



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



*Reconditorium ac reclusorium
opulentiae sapientiaeque numinis ...*


Thomas Vaughan





10.05

FG 730



Reconditorium ac Reclusorium

Opulentia sapientiaque

Numinis Mundi Magni,

Cui deditur in titulum

CHYMICA VANNUS,

Obtenta quidem & erecta Auspice

Mortale Cœpto; Sed

Inventa Proauthoribus Immortalibus Adeptis,

Quibus

Conclusum est, sancitum & decretum,

Ut

Anno hoc per Mysteriarcham Mercurium,

Velut

Viocurium, seu Medicurium,

StatVta oraCVLa sVa eXorDine InoLesCerent,

& aVrea Veritas persplCaCloribVs IngeniIs

nVDè breVliérqVe InnotesCeret.

Orbe post Christum natum Millesimo, sexcentesimo, sexagesimo sexto, Idibus Majis.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE,
& ELIZEUM WEYERSTRAET, ANNO 1666.


EPIGRAMMA IN ZOILUM.

*Invide virtutem semper violare secute,
Semper in alterius dentibus esse cute.
Non ad cuiusvis sunt hæc æquata stateram,
Hæc sunt Præteritis irreprobata Sophis.
Nullius indultâ temerè mastige petenda,
Hic nihil ergo noce, vel meliora doce.
Gelria mi patria est, sed Venloa propria terra,
Me mihi scito datâ non nisi lege loqui.
Non tamen à Piceo vultum despecte Bacillo,
Quin lege, quod, forsân, pruriat, intus erit,
Nec tetrico rictu censuram defer in illum,
Clausula ni fuerit pagina lecta tibi.*

CHARACTER

ADEPTORUM.

In cruce sub sphaera venit sapientia vera.



AMERICAN

ADVERTISING

Advertising Agency

Advertising Agency

Chorus

PHILOSOPHORUM

Semper humili ac humiles, hæc Artis amussis ad arces;
æ VIA nostra Doctrina In humilitate sita est.



Idoneum ad Lectorem

Interverbium.

1. **I**udiciose mi frater, quia hodie infinita maledicendi lascivia, & ego non semel hâc parte graviter vapulavi, quòd nimirum aliquid vigiliarum publico bono aliquando fecissem, ac fortè nonnulla juxtâ adessent, metalepticè, aut tropologicè sumpta, cujusvis captui non ita statim obvia, neque reconditorum tamen vocum, phrasiùmque indicem adjecissem, idcirco nunc damno meo cautior indè effectus, vocabulorum abstrusiorum, sententiarùmque acutiorum glossemata atque paragraphos astituere proposui.

2. Sunt enim aliqui tam scioli, támque præfracti, ut omnia, quæ ipsi nesciunt, vel non sentiunt, facile prædamnent, vellitent, & perdespuant, nihílque etiam probent, aut addicant, nisi solummodo, quod sibi fuerit cognitum & compertum. Mox ubi syntaxis, sive verbum occurrit, quod minùs fortassis primâ fronte apprehendunt, ajunt: hoc fictum est, non autem receptum latinum; quia hoc numquam ampliùs legi, nec audiui; volentes per id haud obscurè indicare, propterea quoque minimè tolerandum: feictum profectò, tum Platonico, tum Socratico ore dignum dictum! quasi verò hujusmodi glorioli, gulòsique lectores, seu magnis nasís pansophi omnia legisse aut audisse debuissent, quæ in amplivago latinitatis campo delitescunt, quem profundissimum ritè appellare licet oceanum vix annorùm nostrorum funiculo plenè explorabilem:

3. Nihilominus intantum calumniandi cacoëthes, livorisque virus gliscit & incanrescit, ut nihil nunc in præsentí exulcerati hujus sæculi facie magis agere videatur, qui ad lucem opera sua protrahit, quàm detractoribus, malevolisque mensam quandam adornare, qui omnia, quæ apponuntur, non dico acidis, aculeatisque linguis, & moribus; verùm violentis ruptibus, ac Theoninis dentibus discerpunt, corroduntque, non quæ displicent
modò,

modò, sed & quæ magnopere subinde placent; haut abssimiles felibus, quæ tantò acrius in aliquem solent obgrunnire, quantò lautiorẽ sibi ofellam sentiunt exhibitam: quoniam ut nunc sunt affectus hominum, nulla meherculè res, nullum negotium, vel opusculum nullum tam justis de caussis fuscipitur; quin adũnt, qui illud obelent, aculeisve suis pungant.

*Nemo pol Antimacho, nec tutior ibit Homero,
Vellicat & magnos livida Parca Deos.*

4. Accidit non ita pridem, circiter ante annum, ut tractatus ille de medicina universali, qui hĩc ad calcem libri subtextus, & à me Londini in Anglia è germanismo in latinismum transfusus est, ostenderetur aliquibus à rebus naturæ & artis utriusque instructissimis perlustrandus viris, si, qui typis procuderetur, dignus foret, nec ne, judicium suum, calculumque darent; & inter illos pleraque pars erant Doctores, aliqui etiam divi, nec genere minùs, quàm prudentiã conspicui.

5. E quibus uni valde valetudinario, & jam omnino mortuo (sed aliàs maximo Philomago, musarumque Mæcenati, ac Hermeti velut suppari) in animo concluderam appingere dedicationem istius prædicti tractatũs, quia aliquousque me noverat, & ego ipsum: hinc composueram eo fine aliud secretius quoddam pictatum, in quo planis, & non longis logis (propter specialem aliquam rationem soli Deo, & mihi notam) communicãram eidem propriam facillè mentem de Philosophorum Invento, pròinde penitiùs imaginabar, rem ex toto, & voto mihi eventuram:

6. Sed eheu, ut sæpe in contrarium tendunt spes firmæ mortalium! triduo enim vel quadriduo pòst, typographus petenti mihi, num quid resolutionis haberet super opere isto, respondit, fabam nigram intercidisse, censum & conclamatum, non bonum esse latinum translationem illam, sed scatere barbarismis, & carere sapore, in quã tamen (licet intra plũs minũs deciduum tota peracta fuerit) præter solum titulum, & paũca admodum

VO-

vocabula, forsan non ita communia, atqui ad rem appositissima, ne litera quidem immutata est; Ego autem auriculas dimittens, & unà impensè obstupefscens adeò sinistram consensum, hos Atticos arbitros protinus convèni, hodie istum, cras alium, petri-que ab unoquoque perhumiliter, quatenus amabò luminibus meis non obstrueret, at faveret nonnihil, & æquam suam dignaretur ferre censuram; nam tres omnino, vel quatuor, homines itidem non indoctos, sat dextrè de re sententiassè.

7. Surdis fabulas, nihil effectum est; nemo non quasi in fermento existere visus; multi etiam superciliosè & præcipitanter me auscultantes, tandem non erubuerunt coram in os dicere (ecquid enim non eloquuntur culmities?) videlicet interpretem illum, quisquis ipse fuerit, Chymicam artem prorsus non intelligere, nec me semel tantæ esse authoritatis, qui archaizare possem, vel genium meum prodere, versionem illam, è germanissimo in latinismum, factam esse pueriliter; Hem cæcos, vidistisne unquam colores? & simul cum his dictis humaniter monstratum mihi aliquoties dorsum.

8. Cæterum dum ego semel, ceu jam in ostio, novissimè à certo quodam illorum supplicarer, ut fraternè quæso & judicatò rem pensaret, adjecit adhuc remissè & leviter, in ipso discessus momento, ubi typographus rediret, visurum se tamen, quid dicturus esset; & supra omnia hæc memorata fuerant mihi aliqui multum concionati de humeris, sique occurrisset, vel tenuissent istud Horatii,

*Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & pensate diu, quid ferre recusent.*

Non dubium, quin & illud occurrissent: quia videbantur quasi per hoc indicare voluisse, me tanto operi pertegendo, scilicet ut transferrem aliquid de una lingua in aliam, præcipue Romanam, longè fore imparem.

9. Et quamvis potentiam meam nauci, ac nihili hinc libens agno-

agnoscam, nolimque me vel ulli, licet minimo, æquiparare, multò minùs gloriose præferre, nihilominus, nisi humilitas tanta foret in Deum venustas, & apud homines utilitas, affirmare fere ausus essem, plerosque ex illis, quantæquantæ etiam emunctæ naris, & obuncti Laris, cum omni suâ sapientiâ atque solertiâ, vix semel sic facturos secundum.

10. Et hoc adhuc ampliùs, iterumque mecum dices, æque lector, modò rem semel paullò strictiùs trutinæ appenderis; tunc quippe, non criminandi, verum potiùs vehementer admirandi, luculentissimam invenies rationem: quomodo nimirum ego adhuc, spatio tam perbrevis, opus istud & hoc qualecunque, ausu pari atque formidine, (etiam exconditionatus, & peregrinus, sine re, & ære in itinere; sine igne, validissimâ in hyeme: & nullo, neque libro, neque socio habito) aggressus, in pessimis nimirum dierum, quos totos planè extremæ necessitatis onera, & curæ conquirendi victum ac amictum diversissimæ extorquent, evigilârim ad limam talem, qualem vides;

*Sed mea musa rudis, canimus, quas possumus, odas,
Quæ non docta strepit sæpe refecit avis.*

11. Ego porrò nunc sub meridiem, nunc sub vespèrum, apud illos peritissimos, sagacissimòsque Aristarchos sic convivatus, redii perpetuò tam ventre vacuus, quàm mente ruptus, religiosusque domum, sed super viam multimodas usque cogitationes jactavi, & per animum traxi: aliquando namque cervicem occuiniscens, barbarè inclamare; Proh quantus parasitus, quantus spheudocrites mundus est! catuli judicantur à talpis. Ut irregularis schola est! formicæ instruuntur à picis, ut turbulentum pelagus! parvi pisces devorantur à magnis, quàm malè ordinatum stabulum est! oves opprimuntur à bobus. Pauperes, & bonæ mentis homines variè depressi rejiciuntur, negliguntur; florent alii tam vitiis, quàm divitiis foelices: jus suum non obtinet, at cadit causâ, qui tamen causam defendit æquissimam; Vah mortaliuin

B

moro-

morositatem, sed ô scelestâ, & funesta filiorum Adæ dæmonia! cum obsecrationibus loquitur pauper, & dives effatur efferè; nam quicquid dicunt, quicquid faciunt, ab omnibus laudatur & acceptatur, sive bene sit, sive malè.

Nemo malus felix, quis dives non facit aptè?

Hæc una res & lacrymas & cogitationes ingerit mœstissimas.

*Vah probrosa nihil paupertas durius in te,
Quàm quoddam ridiculos homines facis atque rudentes!*

12. Aliquando etiam ajebam mihi, profectò fortuna favet fatuis, hodierno tempore adhuc fit in mundo, quemadmodum ævo Salomonico, pluris penduntur animalia, quàm docti & literati.

Oppida tota canes veneratione, nemo Dianæ:

Dominelli placent; miselli jacent, eruditi & sapientes sunt sepelibiles. Magni mercatores sulphuratorum majori in pretio sunt, quàm ipse Plato.

*Vir bene vestitus pro vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamvis idiota sit ille.
Si careas veste, nec sis vestitus honestè;
Pileus attritus, si fæda & scissa lacerna,
Si toga sordidula est; & rupta calceus alter
Pelle patet, vel si, confuto vulnere, crassum
Atque recens linam ostendit non una cicatrix,
Nullius es laudis, teneas licet omne quod audis.*

13. Interea autem, dum ita lepidè mecum litigo, occurrebant identidem ex verè aureo illo libello (qui meis quidem auspiciis, tam à valentulo rerum succo, sententiarumque gravitate, quàm occulto spiritûs sancti tractu, omnibus orbis voluminibus consimilem materiam tangentibus facile palmam præripit, & ex quò ipsum vidi ac legi, unicè semper cordi meo sapuit) de

de imitatione Christi, vitæ viæque meæ perpetuo comite verba hæc.

14. Bonum nobis est, quod aliquando habemus aliquas gravitates, & contrarietates, quia sæpe hominem ad cor revocant, quatenus se in exilio esse cognoscat, nec spem suam in aliquâ re mundi ponat. Bonum nobis est, quod patiamur quandoque contradictores, & quod malè, & imperfectè de nobis sentiat, etiamsi bene agimus & intendimus, ista sæpe juvant ad humilitatem, & à vana gloria nos defendunt, tunc enim melius interiorem testem Deum querimus, quando foris vilipendimur ab hominibus, & non bene nobis creditur.

15. Quando itaque ego tam sum rudis, stupidus, & ignarus, mundusque tam insubidè iudicat, & hominibus mea specimina usque obsorDESCUNT, tibi, *O indeclinabile Tetragrammaton!* cui parvitas personæ meæ non ignota est, qui iudicio tuo numquam labasceris, apud quem frequenter infulsus & incultus plus pollet, quàm prudens, & eruditus, hunc genii & ingenioli mei informem Primogenitum appronabundus adoleo, ante te, inquam, infantiam meam, pueritiam & inscitiam, subsequentibus duobus syngraphis, cordatissimè recognosco atque emphatico.

S O L I L O Q U I U M

Paraphrastæ Matutinum ;

Quæ Physiarcham tanquam quotidianâ hostiâ mactare, ei que votum sacrare consuevit.

1. **E**Xpergiscere & exilias de melancholia mentis anima mea, quare vano mœrore laceraris, cur superfluis curis fatigaris? ausculta quid stillare in te velit Dominus Deus. Beata anima propter Jesum paupertina, & peregrina facta. Beata anima, quæ Christum Dominum in se loquentem legit, & de ore ejus consolationis favo paciscitur. Beatæ aures, quæ labellis inhalantis Dei obtemperant, & ad fabellas hujus orbis obsopunt. Beati oculi, qui carnalibus clausi sunt, spiritualibus autem aperti. Beatum os, quod lac expectoris divini venis assugit, & ad vitæ hujus luctationum scenas obbrudet. Beatum plane cor, quod ad pulsus cœlestis sponsi quamprimùm distertit, & de mundi hujus lubricitatibus nihil advertit. Beati inquam qui se Deo devotant, seque ab omni sæculari fomnio excutunt.

2. Animadvertite hæc anima mea, quin converte te ocyus ex toto corde ad Deum; obvera sensualitatis tuæ ostia, spira soliloquia tua, aspira sola habitare tecum, nullius require sodalitiū, sed magis ad Deum devotam ingemisce precem, ut valeas percipere, quid misset in te Dominus Deus, ut compunctam retineas mentem, puramque conscientiam: totum orbis amphitheatrum nihili pende, Dei seria omnibus exterioribus antepone; neque enim poteris illi vacare, & in temporalibus pariter delectari, si debet appropinquare tibi Deus cum Angelis sanctis, oportet te à notis, à charis, ab amicis elongari, & ab omni humano solatio mentem tenere seclusam.

3. Hæc

3. Hæc dicit charissimus tuus, fors tua ego sum, salus tua, & pax tua, serva te apud me, & pacem invenies. amputa sirenicam cupidinem, desere hunc amarulentum, hunc felleum, hunc miserum mundum, & reperies requiem: mitte peritura, quære mansura, quid namque sunt omnia transitoria, nisi seductoria? Sequere me, quia ego sum via, veritas, & vita; sine via non itur, sine veritate non scitur, sine vita non transitur, ego sum via, quam sequi debes, veritas cui cedere debes, vita quam desiderare debes; ego sum via salutaris, veritas sphæralis, vita intemporalis, ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, vita beata, vita increata, quam si suspiras hæreditare, præsentem vitam dedignare, si vis inquilinare in cœlo, peregrinare in terra, si cupis triumphare mecum, sustenta crucem mecum: soli enim bajulatores crucis inveniunt viam beatitudinis, & veræ lucis.

4. O dulcissime, ô multisime protomartyr Jesu! quandoquidem ita arcta est via tua, eadèmq; mundo despecta, dona mihi te obsecrò cum omni orbis opprobrio æmulari, neque enim major est servus Domino suo, nec discipulus ultra magistrum, exerceatur servus tuus jugiter in vita tua, quia ibi est salus mea, & sanctitas mea, siquidem tu Domine Deus meus in manibus tuis scripsisti me, omnia bona mea tu es unicus, tu mihi in corde stas, tu mihi in desiderio es, & ideo post te currere, plorare, & obsecrare necesse est: Sed quis ego sum, ut audeam sic confidenter ad te loqui? Ego sum pauperrimus, cum perditissimus, tum ignominis ille homunculus tuus, atque abjectissimus erro, nihilissimūq; cœnum, multò indubiè scelestior, & contemptibilior, quàm scio, vel dicere aſim.

5. Sum, summe ac metuende mi Pater, informis, perfidus & nepotinus ille prodigus, qui furibundo adolescentiæ Aquilone abreptus, jugique impatiens præ libertatis amore insolenter me erga te gessi, & violentum passionum impetum secutus, domum tuam desereus, in longinquas, & peregrinas regiones secessi, in quibus molliter vivendo, & dissolutè agendo facultates omnes, substantiamque profundavi & oblimavi.

B 3.

6. Doce:

6. Doce me tamen hodie toram te dignè & humiliter conversari, quoniam sapientia mea tu es, qui in veritate me cognoscis, & cognovisti, antequam jaceretur fundum, & priusquam natus essem in mundo, qui quoque continuò majorem pro me clientulo tuo subis curam, quàm cor maternum pro sua prolecula, vel quàm ego ipse habeo, aut gerere possum.

7. Ecce ergo, propositum meum pendet ab arbitrio, stat ad beneplacitum tuum, in gratia tua potius, quàm in propria sapientia fido; nam homo proponit quidem, sed tu disponis semper, nec est in homine via ejus: Quantò quis in se humilior fuerit, & Deo subjectior, quantòque aliquis magis sibi unitus, ac interius simplicatus fuerit, tantò in omnibus erit sapientior, & pacatior, tantòque plura & altiora sine labore apprehendit, quia desuper lumen intelligentiæ bibit, graditur Deus cum humilibus, associat se modicis, appropinquat parvulis.

8. Est larga satis differentia inter sapientiam illuminati, & devoti viri, nec non vicissim scientiam literati, & bene versati scholastici, multò semper nobilior est illa doctrina, quæ de sursum ex divina influentia manat, quàm quæ laboriosè nostro conquiritur ingenio; quia melius est sapere pusillum cum humilitate, & exigua intelligentia, quàm integra scientiarum plaustra cum vana complacentia. Diu parvus manebit, & infrajacebit, qui aliquid magnum censet, nisi solum unum immensum æternum bonum, & quicquid Deus non est, nihil profectò est, & jurè pro nihilo computari debet.

9. Verè itaque magnus est, qui in se parvus est, & pro nihilo omne culmen honoris habet, Verè prudens est, qui omnia terrena arbitratur ut sordes, quò Christum lucrifaciat: & verè bene doctus est, qui Dei voluntatem exequitur, & propriam mentem negligit, qui adeoque aliud quærit, quàm nudè Deum, animæve suæ salutem, non metet, nisi nauscas aliquot, anxietates & acerbitates, non poterit etiam diu stare pacificus, qui non aspirat esse minimus, omnibusque subjectus.

10. Qui

10. Qui magis innititur induſtriæ ſuæ, vel propriæ rationi, quàm diſciplinæ ſubjectivæ Jeſu Chriſti, rarò & tardè erit homo illuminatus, quia vult Deus nos ſibi perintegrè ſubdi, & omnem rationem per inflammatum amorem ſupervadere; bene autem ſemper agere, & tamen modicum de ſe tenere, parvuli animi indicium eſt; Humilis corde & ſimplex Spiritu in multitudine pacis commorantur, ſublatis & inflatis nunquam contentantur: nec enim ſequendo paſſiones, aut abeundo poſt concupiſcentias ſuas invenitur pax vera animi, ſed eis reſiſtendo; Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: ſi eſt gaudium in mundo, hoc utique deguſtat vacui ac parvi cordis homo, & ſi eſt è converſo alicubi tribulatio, vel anguſtia, hoc quoq; meliùs novit plena conſcientia.

11. Fili mi, quia hæc ſic ſcis, & legiſti omnia, beatus eris, ſi piaveris ipſa, qui habet mandata mea, & ſervat ea, ipſe eſt, qui diligit me, & ego diligam eum, ac manifeſtabo ei meipſum, faciámque eum conſidere mecum in altithronio Patris mei. O dilarge, mi que melliflue Domine Jeſu, lampedo æternæ gloriæ, mulcedo peregre meæ divagantis animæ! modò deſiderium meum ſit rectum, nec propriâ commoditate infectum, ſicut dixiſti, & promiſiſti, ſic utique fiat, & mihi promereri contingat: Apud te nunc eſt os meum ſine voce, & ſuſpirium meum loquitur tibi, uſquequò ceſſat venire exoptatiſſimus meus Meſſias? veniat ad me orphanum, & lætum faciat, mittat manum ſuam, & miſellum eripiat de omni anguſtia. O ut longa eſt, & amara iſta procrastinatio à nido æternæ meæ mansionis!

12. Abi verò veni, quoniam ſine te nulla erit læta dies, aut hora, quia tu lætitia mea, & ſine te inſipida eſt menſa mea: Oh oh mi Emmanuel, mel & lac ſub lingua tua! ſtilla oculiſſime Domine, lingit eſuribundus vermiculus tuus, favos enim irroras æternæ vitæ, explicandò me in amore ſaluberrimæ integerrimæque cupidinis tuæ jáculo cor meum conſaucia, ut diſcam interiori cordis ore delibare, quàm ſuave ſit amare, & in amore tui liqueſcieri ac natare, hîc ſiquis amet, novit utique quid hæc vox clamet.

13. Bea-

13. Beatus sanè, qui intelligit, quid sit amare Jesum, & contemnere seipsum propter Jesum: nam amor Jesu efficit hominem seipsum calcare. Amans Deum anima sub Deo nauscat unversa, oportet dilectum pro dilecto permutare, quia Jesus vult solus super omnia amari. Cernisne hæc vota animula mea, quæ amantius tuus masculè zelotypet? dilectulus tuus talis est naturæ; ut alienum non velit admittere, sed solus præoptat cor tuum habere, & tanquam Rex in proprio sedere throno.

14. Proculus verò tenerrimus, ô amasiuncule fauciatissime, indica mihi sodes, ubi pascas, speciose sponse, qui nascearis inter lilia, ubi surgas in matutino, ubi cubes in meridie, ubi sis jucundissime Jesu; qui sic ambeas animam meam? deosculer te semel osculo oris mei, ut Adamantinos ac Magneticos oculorum tuorum radios; qui avolare me faciant, in me contorqueas, ut inquam inveniam amodò te semper solum, & deilem tibi soli totum cor meum, deprecamque te, sicut adefurit anima mea, & jam me nemo dispiciat, vel ulla creatura me moveat, aut respiciat, sed tu solus mihi loquaris, & ego tibi, sicut solitat dilectus ad dilectum suum fari, & amicus cum coamico convivari. Reverà tu es dilectus meus electus ex omnibus, in quo complacuit animæ meæ thesaurizasse suum reliquis diebus vitæ suæ solamen Amen.

H O-


H O M I L I A

17

Ejusdem cum Messia Vespertina,

Q U A

*Indies zelotypo illi cordis sui Monarchulo occurrere,
seque ad pedes ejus abjicere solitus est.*

1.  Argire mihi amantissime atque indulgentissime Jesu Spiritum tuum, ut mecum sit, & mecum collaboret, mecúmque ad extremum habitum usque perseveret. Dona mihi hoc constanter concupiscere & velle, quod tibi magis acceptum est, ampliúsque placet, tua voluntas mea sit, meaque tuam semper sequatur & peroptimè ei conspiret. Sit mihi unum velle & nolle tecum, nec aliud posse velle, aut nolle, nisi quod tu vis, ac nolis.

2. Non sit mihi curæ de magni nominis umbrâ, non de multorum familiaritate; nec de privata hominum dilectione; Singulartiter semper amari vel laudari renuam: ista nutriunt superbiam, generant distractiones, & maximas in corde caligines. Humilem tu adjuvas, & de se præsumentem humilias, humilem tu defendis & liberas, humilem diligis & consolaris; humili homini te inclinas, humili largiris gratiam grandem, postque ejus suppressionem elevas ad gloriam; humili tua secreta revelas, & ad te dulciter trahis ac invitas.

3. Bonum ergo mihi Domine, quòd humiliasti me, & depauperasti ut discam justificationes tuas, & vanas elationes cordis, atque præsumptiones abjiciam. Utile mihi, quòd subinde confusio cooperuit faciem meam, ut te potiùs, quàm homines ad Consolandum requiram. O ut libenter frequenter loquereris mihi amantia verba tua, & abscondita manifestares, modò adventum tuum diligentius observarem, tibi que pulsanti ostium cordis mei quamprimum

C

mum

mum aperirem, vah inconsiderantiam & incuriam meam magnam!

4. Reverà amabunde Pastor, ego sum perdita illa ovicula, quam tu ambagiosam post aberrationem venatus, congermanitus in humeros tuos assumpsisti, & ad virecta vineæ tuæ readoptasti. Hosanna itaque, gratia gratia mi Purpurate Lucifator, qui omnino jampridem votis ac suspiriis matris meæ Monicæ incoram ipsâ me tibi suppliciter ligavisti. Obsecro per amicitiam illam, quæ est inter te & me, non deneges intellectui meo hoc luminis, ut scilicet pronunc & imposterum me totum dedam tuæ paternæ dispositioni, & voluntati offeram, velimque ita libenter ætatem esse pauper, desolatus, despectus & rejiculus, sicut dives, honoratus, gratus, vel multus in ore hominum:

5. Eia blandicelle Jesu, irremunerabilis Verbigena, converte mihi posthac in amaritiem omnem consolationem carnalem ab æternorum amore me abstrahentem, & ad se fomite cujusdam boni delectabilis præsentis malè allicientem. Impertire precor pro transitoria terrestri scientia, omnique dilabida fucati mundi magnificentia micam ambrosiæ & meræ tuæ coelestis sapientiæ cuncta hæc infima abdicantis, tæque solum zelantis. Tabulæ tuæ, literæ tuæ sophia sunt jucundissima, sophia profundissima omnem Philosophorum & sapientum hujus mundi doctrinam prætergrediens.

6. Teneam me semper tanquam peregrinum, tanquam Eremitam & exulem super terram, ad quem nihil spectet de carnis tumultibus: qui enim gliscit ad interiora, ad spirituales tuas pervenire delitias, oportet eum tecum procul à turba declinare, satius est utique latere, totumque prorsus postponere, & sui curam gerere, sèque unicum præ oculis habere, quàm se neglecto, phasmata tere-re, suoque segesto, alienum arare fundum.

7. Non me etiam pudeat, aut tædeat aliis lubenter semper auscultare amore tui, & pauperem atque inhonorem in hac vita videri, fierique stultum propter te. O utinam mei ipsius nihil amator essem, sed possem me tibi exintegrò resignare, & plenè relinquere memet, annihilare ac abjicere propter te!

8. Age

8. Age verò, dederis mihi omnibus mori, quæ in mundo sunt, monachari, & propter te amare despici, & nesciri in hoc sæculo! Perhibe pro omnibus orbis mustis suavissimum spiritus tui gustum, & pro carnali amore tui nominis infunde dulcorem. Des super universa desiderata in te ferari, & cor meum ex te pacificare, ut discam te ante omnia quærere, & invenire, ante omnia sapere & diligere; In te super omnem creaturam recreari, super omnem salutem & pulchritudinem jucundari, super omnem scientiam & artem voluptuari, super omnes thesauros & opes hilarescere, super omnem gloriam & honorem inclarescere, super omnia visibilia, atque invisibilia libescere, & tandem super omne, quod tu Deus meus non es, residere.

9. Quia tu Domine Deus meus solus super omnia optimus es, tu solus potentissimus, tu solus sufficientissimus, tu solus suavissimus & solatiosissimus, tu solus pulcherrimus & integerrimus, tu solus nobilissimus, & gloriosissimus tum honorosissimus super omnia, tu mera fax animæ, tu vera pax cordis, tu sola requies, vita, salus, sinúsque solus, extra te dura sunt omnia & irrequieta; Cum hæc ergo face, inquam, in hac pace in idipsum, hoc est, in te uno summo eodémque sempiterno bono dormiam & conquiescam. per Patrem, Filium, & Sanctum Flamen, Amen.

Authoritas & Majestas

1. **T**otius in scenis palmas magnalia mundi
 Non nisi pollucens afflata per ora Sibyllum
 Quas hic inassveto referet Symmista cothurno?
 Aut quas æquidicas Glossarius ille Sorores
 (Ceu sacer Eudamon stipulans è tripode Divum)
 Ducet in odeum Magicâ testudine Vates?
2. Hoc quid obtentum mediando Manes,
 Inferos omnes, superosque Divos
 Promit Hermetis veneris diploma?
3. Hæc quid sine tutore tabella,
 Nominis exspes, temporis expers,
 Rari, cari, parit in lucem?
4. Quid verò, novus hic, novi, libellus,
 Donatus noviter latinitate
 Novâ dogmaticat procacitate?

Horum Magioraculorum.

1. **P**roferet in lucem veterum monimenta Sophorum,
 Digna suis fanis doctarum fata Dearum,
 Pacta quidem Mortale, sed inspirata per illum,
 Muntius Elysia qui diciter Aliger aula;
 Æthere cum lumen discesserat, almâque Phœbe
 Nocturnis medium bigis gyraret Olympum.
2. Gnossidis rectâ remeante filo,
 Millibus mendis, laqueisque tectos
 Dadali prodit superare flexus.
3. Aurea fausta seria vite,
 Augusta throni iussa Coacti,
 Arduâque Senum dicta recludit.
4. Antiquissima denotat Magorum,
 Quæ tamen nihil orbe consenescent,
 Sed semper nova per Patresque Avosque,
 Et seros nova filios videntur;
 Nam novis noviora sunt novella.

TRIUMPHALIA

A D

Auripara artis alumnos anonymo Perphrasta transmissa à quodam suorum intimo consocio.

1. **E**Xultate venit semel sub auras
 Augustâ liber impetratus urnâ,
 Attentâ liber expeditus aure,
 Mysticâ liber expolitus arte,
 Nocturnis liber actus umbilicis:
 Cultus charitono liber decore,
 Liber plausidicus, clytûsque totus,
 Qui tritis calamis, manûque fessâ,
 Qui fracto pluteo, locóque raso,
 Qui morsis labiis & ungve roso
 Insomnes olet omniquaque Musas;
 Pollens Aurifico liber Lapillo,
 Prole Palladiâ poli potitus,
 Fartus dapfiliter Midæ culinâ,
 Extemplò in mediam ruat coronam,
 Et Longas hominum esuritiones
 Obeset dapibus suis, sitimque,
 Lætétque artificum suis amœsta
 Lectis mysteriis typisq; corda;
2. Prorsus amentum resonante rhombo
 Aureo tentum retonante bombo
 Acta consertæ synodi Deorum

Quâ

Quà patet terram crepitèt per omnem,
Quà patet totum strepiter per orbem.
Eja tentando, titubando, flando,
Jugibus Boscam lacrymis cibantes,
Phœnicem multis tenebris coquentes,
Qui vacillantes nimis inter umbras,
A viâ veri procul exulatis,
Quisque suspensam, Jove conticente,
Atque suspectam reputatis Artem,
Mente queis inquam Labyrinthus hæret,
Este perstantes, vigilate macti.

3. Ecce SIC AMBER primus adorsus
Lubrica validi prælia Martis
Æquoris hujus bella ciere:
Hoc Dædaleæ fleximen ædis
Piceis Sertis, Recavis Alis
VENLOUS ausus primus inire;
Lare luxurians præpotis aulæ,
Gravis auspicio Phrygii zeli,
Genioque valens nisus & arsit • •
Præferre facem facili fato.
4. Hic ut protinus usque se beavit,
Hujus muneris impetratione,
Et nos illius usitatione!
Plaudat GELRIA, viciésque vivant
VANNISTÆ lepidò suo volatu.

In-

Interpretis Paranesis.

A D

Auræ veritatis amantem,

D E

Suis Sibyllinis sortibus.

ME tibi Scribentum Paraphraſte negligè nugas,
 Qui noſtris cerebris lubriciora docent.
 Et glyphicis, typicis, me diſſuaſore, Chymiſtis
 Parce ſalebroſis, nomina nuda canunt.
 Flexiloquos inquam fuge, Philoſophumque libellos,
 Qui vix nota Diis Sphingis ab ore ſonant.
 Quotquot enim tales ferme ſcripſere, per umbras
 Semper obiverunt arduiora capi.
 Ambiguo ſemper, tropicove tenore locuti,
 Florigerâ ſicu candiditate citi.
 Nunc his, nunc illis, variisſque ambagibus uſi,
 Ceu fatuos ignes quos ſecus ire patet.
 Quemquam poſſe putas cunctos comprehendere gyros,
 Philomagi primi quos ſtatuere ſuis?
 Quis mihi tu, minimum, legitur qui *turba Sophorum*
 Percepturus eſſe ritè ſatisque librum?
 Dic quotus Lapidis poſſit tenuiſſe Gebèri,
 Perfective operis dogmata ſciſſe Rhafis?
 Cui potuit, lecto, mens vera redire, Platone,
 Vel cui materiam *gemmina fecit avis*?
 Cujus, ineptit, alat Raymundus Lullius aures,
 Tot cui fallaces enumerantur aquæ.
 Arnolduſne novâ de villâ paſcat ocellos?
 Abſit, quod retulit ſegne, vel omne ſibi, eſt.

Ro-

Rosida, mi dices, sonat ille Rosarius ore,
 At quoque spontè suas abdidit arte rosas.
 Alliciéntne precor rosulenta recepta Rosini,
 Omnia cui sulphur prævaluissè liquet?
 Téve magis Morienia fors monumenta juuabunt,
 Posteritas frustrà quæ replicare studet?
 Atque ita de Chymia multi primique novique
 Vix aliquid nudæ simplicitatis habent. •
 Ast Labyrinthæo simulacro mille Mæandrûm
 Explicitus quævis implicuère plicis.
 Hisce fuisse, quidem liquidum, Sapientibus Artem,
 Est ea corrupto sed sociata duce.
 Regia perplexis crepet Aurigraphia logismis,
 Nónne tibi totum tædia nectet opus?
 Sic hîc non agitur, nec eo ferverescitur æstro,
 Qui nisi delitiis Numina magna piat.
 Spiritus ille polo, sed non de sedibus illis;
 Verius afflatus provenit ille dolo.
 Jugibus Ars, mirum, quòd dia sepulta tenêbris,
 Quòd lateat luteo fulvida gaza solo!
 Aurea musa data est, non ad secreta premenda,
 Rebus at utendis Aurea musa data est.
 Tale genus volucrum per mille volatile rupum,
 In nostro minimè nidificabit agro.
 Ingenuè, nudè, non livescente loquelâ,
 Publicitus, licitè, nil laqueante labro,
 Tradere priscorum chartis Arcana Sophorum
 Hujus erit bellum Bellerophontis Equi.
 Ergo palæstrites, me velificante Veredo,
 Phasidos Auriveham nactus in amne ratim;
 Mox iò, bîsque hiscat Patriæ Oppidulique programma,
 GELRIA gens gaude, VENLOA vive vige.

D

Has

Has inter quoniam decumanas Tethyos undas,
 Continuò tutum nostra carina tener.
 Fulgida propterea clavum, gravidissima nauto,
 Ocyus & potius, cur adeatur, habet.
 Omnia per similes, velumque, Coronidâque Argo,
 Auricomæ spoliis æris onusta cutis.
 Lentat, & obliquat, nunquam peritura profundo,
 Carbaseo ventos sed domitura sinu.
 Sin ejus novitas auræ spirare relinquat,
 Alipedi nostro restituenda Deo.
 Hinc volat, & viget, haud primo debilis ævo,
 Ni vacuus vates, altera præla feret.
 Sol, Mars, Luna, Venus liquefient Jupiter aurâ,
 Antè sinet plumbum fumificare rogo:
 Mercuriûsque aëri fugitivus in igne manebit,
 Quàm Jovis aurosi vivida Nympha ruet.
 At quò lingua labas lactantis nescia famæ,
 Nominis eximii quæ vice sæpe jocus?
 Ut tamen, unde profectus, eodem sermo reclinet,
 Ut sapias, capias hoc sub aplustre locum.
 Per breve namque, levi, pro privis Phœnicis alis,
 In stadio, studio, hîc curritur, itur, iter.
 Qui cupit optatam Colchis avertere pellem,
 Hic est Aurivomæ vellere dives Ovis.
 Hic est nata Dei, decus admirabile mundi,
 Dignius aut melius quo nihil iste dolat.
 Hinc sine fraude meus graphiarius omine cantat,
 Humanis manibus quod potiore venit.
 Singula quæ retinent aliena volumina sparsim,
 In simul illâ merax hîc coiêre caput.
 Hîc nihil inseritur præterquam Palladis ora,
 Hîc, nisi quod tradit docta Thalia, latet.

Dedi-

Deditur hîc cuivis Diatribæ Glaurea merces,
 Hîcque palæstrarum publica palma palam.
 Hîc Midicas omnes Cyllenius expolit offas,
 Explicat hîc artes compta Minerva suas.
 Totius hîc Nemesis naturæ venit ad hastam,
 Totius hîc corbis prostituuntur opes.
 Cum omnibus hîc adytis cortina repanda Sibyllis,
 Omnibus hîc resonat turba Novena choris.
 Cum omnibus hîc retonat Parnassus arundine Musis,
 Omnibus hîc foliis Spaltria Dena canit.
 Cum omnibus hîc recubat dispanfus Apollo Camænis,
 Omnibus hîc chartis Sparta Patilla salit.
 Cum omnibus hîcque Catîs celebres panduntur Athenæ,
 Omnibus hîc Scolîs pressa medulla cadit.
 Cum omnibus hîc Sagis Magicum est intrare theatrum,
 Omnibus hîc foliis Aurea Vena fluit.

Argumentum Operis,

A D

Præveniendum temerarias censuras.

1. *S*ummam totius opusculi, mi aureæ veritatis sectator, quasi trivertio,
 hîc tibi in iconæ ob oculos ponere, præsentis rei fatale genium, & operæ
 pretium cogitavi, ne insoliti procedendi modi, & intentionis nostræ ignarus,
 rem impertinentem præmaturè censes, aut inadulturn de eâ feras iudicium.
 Itaque inspicere telam meam, considera ipsam, ac observa, divisam esse in tria
 principaliora fila, Præludium scilicet, Sortes Sibyllinas, & Granum
 Erutum.

2. Præludium, cognominatum Profimetricum, id est, constans ex
 prosa & metro, nihil ferè, nisi valde volubiliter, & tamquam sub velo, ad ar-

D 2

tem

tem spectans continet, sed tantum theōrica quædam illius fragmenta, ac sacro-prophana aliquot philosophica, seu potius Christiana vitæ documenta, meeque monumenta, ita tamen omnia intermixta, ut potior ratio, vel oculus semper redeat, & deflectat in Chymiam.

3. Magicarum Noctium Sortes Sibyllinæ exhibent negotii causam & circumstantias, cur nimirum, & quomodo sit adorsum, atque unâ aliquid ad Artem conferunt: nam ipsum Philosophorum subjectum planissime sæpius de intentione prædicant, canunt; sed tam artificioso venæ tono, ut quisque mox non sit apprehensurus; nisi fortè accuratissime omnia perlegeret.

4. Denique Chymicæ Vanni Granum Erutum solum est, quod rem totam ordinè complectitur & argutè identidem emedullat: Qui igitur non vult, nec cupit hic legere, nisi præcise ad Artem pertinentia, is Prælium profimetricum cum Magicarum Noctium Sortibus Sibyllinis transilire debet, & Chymicæ Vanni Granum Erutum tantum perlustrare, sed ad hoc baris multis non indigebit, quia neglecto omni typico ac glyphico apparatu parabolarum, circumlocutionum, & similitudinum, quibus adumbrata, Ars in se maximè brevis est, levis, linearis, simplaris.

5. Iam autem contra me oriri potest questio, quorsum ergo spectet tantam rerum reperitiarum structuram insere? Dicam, id feci, quia moris non est, nec fieri potest, ut ex una unica pagella compangatur liber aut libellus, & ut credas, verum esse verum; & eo Nympham digniori habeas loco, quod gemmarum ac bullarum ornatu est venustior. Sacris atque sacramentis gravibus sanè de causis Ecclesia adhibet cæremonias; res enim crudè & nudè proposita, quantumvis mystica vel sacra, citò evadit ludus, & in contemptum venit.

6. Rex si solus sine omni pompâ regie comitatu per plateas incederet habitu ignoto, quis eum crederet esse Regem, quis ei regium honorem deferret? Eodem modo Ars Regia mundi nuda, & omni suo phalerarum pompâ vestitu exuta, cui habebitur pro tali, quotus Geam, quis Rheam credat esse Deam, & quis illi genū pederentia flectat? Necesse ergo fuit Nymphæ nostræ aliquam honorificam assuere tunicam, ut augustè publicum frequentare, & Magnorum virorum aulas possit intrare.


7. Et profectò, non dubito, quin, nisi quis Tinesia cæcior sit, aut penitus

tus loligineo inturgescat succo, facile sit visurus, quantum mihi devorandum fuerit laboris in contexendo hoc galericulo, ac affingendis Deæ tot omnimodis cunctis: Maluisssem triplo libentius comam ejus consuetis suis rationum & testimoniorum fasciis exornasse, obumbrasse, quàm aded versicoloris ac inusitatis Poësis machinis expatrâsse; sed hoc fieri hîc nequaquam debebat, quia apertè mihi ipsi bellum indiserem & directè agerem contra Magicorum ordinationem Deorum.

8. Quando itaque ita sic non voluere, eris suscepto calamo & extraordinario ritu contentus. Nihil refert quocunque demùm ordinis tenore res recensatur, modò eam perfectè & rectè habeamus. Vale, & Erutum tibi Gratum fac cautè caleat, atque laute Aureas abeat in spicas.

CIRCUS MAGICUS,

Hic quater in scenâ fistis se nostra Galena.



Profimetricum Præludium

31

A D

Accinctos filios artis quarentes eruere gravem, pragnantemque Philosophorum Galenam.

§. I.

Alchymicus trino, divoque vir ille talento
Praxiteles, leni, stabili que tepore calentem
Exstruxit vitreum miro molimine ventrem;
Ingenerat huic quævis systemata cœlum,
Astrorumque vagos cunctos ex ordine nixos,
Sedulitate pari, quæ vix est credula visa,
Annis triginta ut Saturni scilicet orbis,
Atque Jovis bis sex, Mavortis penè duobus:
Ignea fax Phœbea uno, sed Luna diebus
Viginti septem, neque non bis quatuor horis.

Veluti in mundo illo superiori fieri solet, hoc inferiori devolveretur: Hic constellationes prædominantes, & recursantes; erraticæ, non erraticæ. Hic siderum, ætherumque ordia & occasus, Hic Luminarium, solis, lunæque eclipses optice demonstrantur: Ubere utique artis, nec minùs artistæ miraculo. Sedet? Sodes, ut vobis de hoc vitreo Phœnicis busto eleganter lufurus, audite.

Her-

Hermogenes nostro speculatus sæcula Mundo,
 Substitit, argutóque Deos sic transigit ore,
 Siccine progressa est humanæ industria praxis?
 Vilia jam penitùs vanescent munia terræ.
 Zodiaci Solis cursus, Lunæque meatus
 Arte gubernantur; cardo mortalibus Augis
 Flectitur ingeniis præscriptis legibus ire:
 Et falcata suo redivivâ luce Diana
 Tempore plena nitet, quoties, quantúmque laborent
 Noctis & umbrarum Rectrix Rectórque diëi;
 Cùm caput offuscâ ferrugine nubit uterque,
 Quando redire statum gratissima lumina Phœbi,
 Përque subire viçes, positus quis Dædalus orbi,
 Cynthia quì celeri reparet sua damna recurfu;
 Cur modò cornuta est, modò foeto Delia vultu,
 Et modò deficiat fraternis priva caballis,
 Quid Testudineis Saturni gressibus obstet,
 Qui vis reptitiæ naturæ fabricet aurum,
 Quadrijugésque sua unde rotæ primordia sumant,
Isthac in vitreo spectavimus omnia nido.

Commentum profectò perdisertè. Archimedes primam
 machinam gravidam mundo, cœlum gestabile, com-
 pendium naturæ, speculum naturæ ad speciem ætheris
 incomprehensibili mobilitate concinnavit: Verùm-
 enimverò, *Mirorum natura magè auscultatores*, Supremus ille rerum
 Architecton Deus nonne longè absolutius opus, milleplò perfe-
 ctius, admirabiliùs & subtilius, fabricam nimirum humanam moli-
 tus est? in quâ videlicet instar massæ cujusdam aureæ omnium
 na-

naturæ numismatum valorem continentis, quidquid sub cœli fornibus uspiam aut cujuspiam perfectionis est, intelligere Cœlitibus, sentire belluis, vegetare plantis, præeminenti quodam modo & nodo comprehenditur, cui aptius sanè quàm Archimedis anaglypho applaudere licebit.

Ille etenim parvo concluderat æthera vitro,
Complexus veros simulatis flexibus orbes,
Sed fragilis periit labor, & jam nulla supersunt
Fragmina, tu terræ ac celsi Fabricator Olympi,

Unum opus effecisti Hominem, cujus æternatam præcellentiam nulla poterit satis admirari vetustas. Rem acu assignasse videtur abstrusus ille Zoroaster, qui res etiam profundissimas, subtilissimæque ingenii sui bolide solidè degustavit, dum Magiâ suâ hominis præfectionem, ac perfectionem meditatio contemplatus, tandem erumpit; *O homo audacis naturæ Deisequum mirificum!* impenfibilis certè sententia, perinde si dictum, tunc demùm sagax natura audax opus aggressa est, quando de fabricatura hominis cœpit cogitare. Animal hoc providum, solers, multiplex, inquires, acutum, memor, plenum rationis & consilii, quem vocamus hominem, præclarâ quâdam conditione generatum est à supremo Deo; solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis, & cogitationis, cùm cætera sint omnia expertia, quid est autem, ne dicam in homine, sed in omni cælo, atque terrâ ratione divinius? quæ, ubi adolevit, ac perfecta est, nominatur ritè sapientia.

Non ergo immeritò cessit in præconium Hierographorum, quod rex ille operum & onerum Altissimi structurâ angustî vasculi sui ac palatii confinium *Magni Mundi* gerat; atque ob id grandibus quondam, aureisque characteribus, non in transtris, nec mesâ, verùm in ipso limento Apollinis Delphici longè celeberrimum, pulcherrimūque illud metrum, ac prophetici oris oraculum depingebatur.

E

Con-

Consule te ipsum, noscas te met, & ambula ab intra:

Tanquam sententia de coelo lata, divinitusque in ejus animo nata, utpote scientiæ & sapientiæ omnis initium, adque Deum introitus, rectè verò literis aureis, nam & elogium aureum, aurorque compensandum, nunquam utinam cordium nostrorum laminis obliterandum, sed figendum & memori tractandum pectore: breve quidem, ast quod sine reliquis sufficit, tametsi cetera extra hoc sint & prosint parum; quâ summâ veluti faculâ irradiati commonefimus, in nosmetipsos ut faciem & aciem mentis defigamus, inque notitiam haud alterius rei potius, quàm eam, quâ se ipsum quisque consulat & agnoscat, pervenire proximè contendamus.

Multum quippe scit, qui se scit, hic solus sapit, & reliqui omnes dementant: Subeunda sunt igitur rerum penetrabilia naturæ, & quid ea exigit, penitus pervidendum, aliter siquidem nosmetipsos nōsse non possumus: Quod præceptum quia majus erat, quàm ut ab homine videretur prolatum, eapropter assignatum est Deo nosmetipsos nos noscere volenti, & cū cognitio hæc sit omnium maximè necessaria, dehinc Delphica cortina Creso Regi semel sciscitanti, ecquâ ratione fœlix foret? fata fertur; *si te ipsum nōris*; Responsum reverà omnium sæculorum gentiumque dignissimum memoriâ, sese namque nōsse posse scientiarum apiculus est, qui in antiquando totius Christianæ vitæ eulogio compendium complectitur, sicuti & ambulatilis illa arbor homo creaturarum præferebat argumentum: Expolitè & exquisitè in hoc propositum adstipulatus est mecum Evangelus, hoc primum à Deo peccatori tribui beneficium, ut radium lucis in cor ejus ejaculetur, quò se ipsum intimius cognoscat; Primum indubiè donum, inquires, quod datur homini ex respectu ad lumen, cognitio sui est;

Noscere sese, & quæ sibi sit cœlestis origo;

Hæc via, quæ superas ducit adire domos.

Præclara autem carmina, verèque digna, quæ non è terra accinerentur: haut equidem sanè video, quid religiosius, quid sanctius,
quid

quid sapientius poetari posset, hoc unum enim scire; nihil ignorare est, hoc nescire, nihil scire est; veluti & Nationes, etiam in cœno Gentilitatis núbilo caligantes, copiose displicârunt.

Testis veritatis hujus primus in scenam prodeat oraculum illud Philosophorum atque unus de septem Sapientibus Græciæ Solon, qui ut superbientes & Alexandrinos animos compesceret, insolentes refrænaret, arrogant ac contumaces intra rationis regulam revocaret, medium unicum adhibuit, nominatum nimirum versiculum Delphici fani foribus ac utrisque parietibus inscripsit,

Consule te ipsum, noscas temet, & ambula ab intra,

Ambula inquam tecum, habita tecum, consule te ipsum, & nosce te ipsum, nosce videlicet qui sis; unde veneris; nam ipsum nihil tibi pater est, limus & finis tua nobilitas, & vermes vera tua insignia.

Hunc non inferiorem indutus togam insequatur ejusdem exhibitionis penes primus Thales Milesius, qui, teste Laërtio, cuidam percunctanti, quid rerum omnium foret difficillimum? seipsum, inquit, noscitasse: Hem apographa Orchestræ antiquorum! O viros doctrinâ penitus admirabiles! ecquid enim juvabit cœlum terramque ingenio complecti, & exilitatem ac vilitatem suam non capere? quid profuerit solerter rursari rugas Solis, & nihil meditari maculas suas? ad quid verò conducet observare deliquia Lunæ, & non videre defectus proprios? Si omnium secretorum artiumque cognitionem obtinueris, quid hoc est & prodest, ipsum si te ignores? continuo spatiaris foris que vagaris, censens consulta te, & multa scire, cum tamen de te nil scis & sis; si noveris cœli celsitudinem & pelagi profunditatem, omnesque simul scientias habueris, temet verò non cognôris, similis es illi, qui citra calcem ruderat:

Fundamento etenim, cuncta, ruente, ruunt.

Ut perpauci tamen sequuntur & assequuntur illud! quod suis si-

militer temporibus Philosophorum princeps, patérque Plato notasse videtur, in foro vix decimum, ajens, quemque esse, qui semet nōrit: Persius autem ne unum quidem reperit, unde sæculi sui mores Satyrâ acidâ perstringens, arguit,

In sese nemo tentat descendere, nemo,
Semper at alterius spectatur mantica tergo:

Cordatè itaque Plato, ethnicus licèt philosophus, præfatum lemma coronavit, dum dixit, sui notitiam & memoriam, absolutam solidamque esse scientiam, & ab hoc consummato versu,

Consule te ipsum, noscas temet, & ambula ab intra.

Omnem sine lite vitæ sapientiam atque justitiam progerminare. Unde Romanæ facundiæ fax flōsque Tullius, ita fit, inquit, ut mater omnium bonarum artium sapientia sit, à cujus amore, etymo græco, philosophia nomen invēnit, quā nihil à Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præstantius hominum vitæ datum est: hæc enim una nos, cū ceteras res omnes, tum, quod est facillimum, edocuit, ut nosmetipsos nosceremus, cujus præcepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non hominī cupiam, sed Delphico Deo tribueretur; nam qui se ipse nōrit, primum aliquid sentiet, se habere divinum, ingeniūque se suum, sicut simulachrum aliquod dedicatum putabit, tantoque munere Deorum semper dignum aliquid, & faciet, & sentiet, & cū semet ipse perspexerit, totūque tentārit, intelliget, quemadmodum à naturā subornatus in lucem venerit, quantāque instrumenta habeat ad obtinendam, adipiscendamque sapientiam: quoniam principio rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente concipit, quibus illustratus, sapientiā ducit, cernit se bonum virum, & ob eam causam beatum fore.

Ast aliunde, alleviamentum hoc depromptum est, ut autem & è nostrā quoque sagittam emittamus pharetrā: jurē mihi dice-

re

re posse videor, in consultatione, habitatione ac cognitione, memoriæque sui ipsius consistere altitudinem scientiæ Christi, cuius sublimis sapientiæ comparatione, quæcunque cætera, verè est ignorantia: insigne verò, testesque telum, quod homines etiam stupidissimos derepentè in sapientes Sacerdotes commutat! O ergo *trivium* aureum, vah augusta cantilena, profundius sanè humani cordis triangulo incudenda! In hæc enim ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu, cognitioneque Verbi istius inenarrabilis, Dii immortales, quàm ipse se consullet, internoscet, quod Apollo præcepit Pythius! quàm contemnet, ut despiciet, ut pro nihilo reputabit ea, quæ vulgò dicuntur amplissima!

Sed aliis adhuc coloribus, & novo, ut sic dicam, carbone, eandem vobis in albo depingam. Antæus ille Terrides, de Gigantum stirpe prognatus, dum cum Hercule jactatus in terram procumberet, matrèmque illam indulgentissimam oscularetur, vires ei perpetuò, roburque restaurabantur: Ast mox, ut in altum, ubi in sublimè caput efferebat, imminutis iterum lacertis, ab Alcide prosternebatur: Verùm fabulæ relicto cortice, veritatis nucleum, quæ in eâ latet, eruamus: Dicendum itaque, idem omnino accidere nobis, animos quando gerimus Gigantèos, & de singulari quâdam prærogativâ nobis Terrigenis præsumimus, nostrique obliviscimur: dum namque terram tenemus, oculosque in esse nostrum defigimus, simulque mente sæpe voltamus illud.

Consule te ipsum, Nosceas temet, & Ambula ab intra. Ac expendamus, quid simus, unde venerimus, & in quid redigendi, nullus reperiri potest hostis, nihil usque arduum, usqueque Herculeum, quod nos evineat, aut prosterneat, nihil adeo secretum, adeoque suppressum, nos quod lateat, aut prætereat: Enim verò simani, & vano quodam præsumptionis, sapientiæque vento, in elationem, in sublimè nos abripi patiamur, nubésque & inania sectemur, fursùmque nos erigere enervemus; si denique, quænam sit nostra, & unde venerimus, ignoremus, origo, neque præfixum semper

versiculante oculos habeamus, vincimur, superamur, aberramus. Hem emphasis edolata, documentum diutissime dignum, quod non modò idioræ, verum etiam doctissimi quique æmulentur! Ad hujus proinde thesim & mimesim, *authentica Aureaque Philosophiæ nostræ Alumni*, continuo, quotquot summæ sapientiæ hujus Nympham intueri itis, agitamini, excitamini.

Hic modus, Hæc nostro signabitur area curru;

Hoc quod inaurato termen agetur Equo.

Hæc nempe philosophia est omnium profundissima, hic primus & imus, præcipuusque splendidissimi illius planetæ artium Alchymix radiusculus; hic inquam fertilissimæ Auræ hujus arboris singularis ramusculus; hæcque unica functionis hujus fax & lux, quæ à scatebris salientis aquæ dimanans jubare suo quodam incredibili modo intellectus vestri tenebras irradiatura.

§. 2.

At enim, quia nil sine magno vita labore dedit mortalibus, oportet omnes, quicunque huic Litho litant, Pancraticè insudare, torismotis ingenii rotis anniti, remis & velis in hac anfractuosa Argò viriliter insurgere,

Nocturnâ versare manu, versare diurnâ,

Non datur ad Musas Magicas via lata meandi

Aurea nec molli recubat Sapientia lecto,

Ut quoque nunquam assæ vento venère columbæ.

Quis namque unquam acediosus aut otiosus trophæa sive brabia composuit? Ecquis inquam athleta unquam sine sudore coronatus? Nemo utique mitrens manum ad aratrum & respiciens retro apertus approbandus, vel qui talentum Domini sui in sudario abscondit & ipsum multiplicare negligit: nec enim secordes, aut Endymionis Epimenidisque somnum dormitantes, torpescentesve otio Philomaga unquam pro filiis suis amplexa & exosculata est:

Au-

Aurea Philomagia studentes, quaerit agentes,
 Assiduum nostrâ studium deposcitur arte,
 Hic qui addit progressum, addit pariterque laborem,
 Qui studet hoc cursu speratam tangere metam,
 Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alit,
 Abstinit ludendo, choreis atque placeis:

Voluptas enim corporis cum cognitione & horum Philosophorum subiecto stare non potest;

Venter, pluma, Venus Lapidem fugienda sequenti.

Est & hæc Caji Marii, apud Sallustium, Imperatoria sanè vox, non tam purpurâ, quàm sago sapiente digna, *Nemo ignavia immortalis factus est, Citra pulverem nemo vicerit Olympia*, quod tantundem, tantum tacitè editum, neminem, qui remissiore sit animo, brabio Magiagonismatis donari, nisi pro eo strenuè desudârit, ac plurimum lassatus fuerit: Nemo ergo sic desipiat, ut putet per anfractus, per diverticula, ambages, penetrare ad Indias gloriæ posse; falsa prius maria transfretanda, procellosi innumerabilium fatigationum fluctus superandi, æstus plurimarum vigiliarum emetiendi, angusti inquietudinum sinus, audacioris conatus, studii, vexationisque frequentioris, & variarum corporis animique emaciationum, devorandi illi, qui in istius Chrysomalli Arietis portum contendit:

Pinea Peliaco prognata cacumine tecta
 Neptuni liquidas quondam navèrè per undas,
 Phasidos ad fluctus Aurosaque stagna Cytæa;
 Cum læti juvenes Argivæ roborâ pubis,
 Auratâ optantes pelle intervertere Colchos,
 Verrere Pegaseâ sunt ausi Cærule puppi,
 Salsa peragrans ab ignis compita palmis.

Nam quorum animos Philomagiæ splendor semel occupavit, gloriæque calcar animos delenivit, ii nec laborem sentiunt neque dolo-

dolorem, & si tantus est, ut aliquando erumpat, eo tamen non magnopere moventur, toti enim in hoc sunt, ut prosint proximo, immortalēque sibi gratitudinis mercedem comparent; Qui igitur putat, ad hujus Galenæ requiem perveniri posse per amœna viridariorum, per pampineam passamque planitiem camporum, per umbrosa vallium, per otia voluptatum, is deridiculus est, graviterque fallitur, & Anticyricā laborat opinione.

Nemo quippe novi degūstat Veris odores,
Mella nec Hyblæo spoliāt fragrantia rore,
Si fronti caveat, timeatque scabentia spicula,
Armat spina rosas, abscondunt mella Melissa.

Errores comitantur artes, est iter angustum angustas sapientiæ ad arces; Ars siquidem & virtus versantur circa difficilia; nec sit sine magno periculo facinus magnum & memorabile:

Ad vitam & verum non data lata via est,
Ardua per præceps gloria vadit iter,
Non juvat ex facili lecta corona iugo.

Honor alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloriā, jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur, solum scilicet ex arduis perpetuum nomen;

Hæc, nisi mentitur Colchas, monumenta laboris
Sunt longi, cujus fama perennis erit.

Quod sic succinctim succinuit Archiëmblemataster ille Alciatus, quando depinxit draconem, quem passeribus devoratis decem, tandem in petram commutatum finxit, ut ita decennium, quo Græci obsedere Trojam, prædefiguraret, sed demum victores & ictores evaderent; Egregiè quidem contemnatum, quia actum agere, facilia periclitari, secundo flumine descendere, levia moliri, quid hisce rebus possit subesse gloriæ? aut qualē facinus sit, negotium adoriri, quod nullo negotio pertractari potest?

Cū

Cùm itaque res horum myſteriorum minimè ſit poſituræ poſterioris, at planè prioris, tunc ex requiſito, juriſque indole, nunquam informes, & enormes trunci, neque unquam ad Philoſophicum Roſetum permittendi ſunt reſtantes ac pandiculantes, qui vitam ſuam inertis ſylveſcere ſinunt, qui ſtatim plenis velis, rectoque amite & tramite, ſed ſtrenui, gnavi, & vigilantes Anachoretæ, qui teſte Luna admirabilia & difficilia in antris, in ſpeluncis, in cryptis terræ exantlârunt, qui per devia & avia, per ſentes & dumos, per aſpera rupum per confraga montium manibus pedibûſque ad palmam victoriæ tendunt, qui inquam per Syrtes & ſcopulos ex turbinofiſ procellis ad quietum pacatiſſimum portum navigia ſua veſtare quærent, ſapientiâque magnâ egeſtate mercantur, quâ formâ, uti nihil in rerum naturâ excellentius, ita hâc imitatione & ſimilitudine vivâ nihil præſtantius, nihil melius, nihil dignius;

Ecquid enim eſſe poſſet, per Deos, optabilius illâ, quid præſtantius, quid homini melius? hanc igitur qui expetunt Philomagi nominantur; nec quidquam eſt aliud Philomagia, ſi interpretari velitis, quam ſtudium *Opulentie ſapientieque Numinis Mundi Magni*, hæc autem eſt, ut ex conſiſtorio Adeptorum definitum, rerum naturæ arduiſſimarum, cauſarûmque, quibus hæ res continentur, ſcientia, de quâ illud Socratico ore ſonaturus jurè uſurpem, O ſpecioſiſſimam, nobiliſſimâque picturam! At pretio nequaquam, auro puta, vel argento cuipiam comparandam, quemadmodum arva, ædificia, veſtes, ac ſimilia: quin imò divitiæ omnes in ſymbolizatione ſapientiæ exſordent & nihileſcunt.

Præpoſuimus illam inquit Rex Regum mortalium ſapientiſſimus Salomon regnis & ſedibus, nec adæquavimus illi lapidem pretioſum, quia omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum exiſtimabitur in conſpectu illius, Hoc hic imitari nos non pigeat, ac omni in illud ſtudio incumbere, quomodo noſtrum indies mentale peculium adaugeamus, quomodo de virtute in virtutem creſcere, & ſapientiæ theſauros concumulare valeamus, ante omnia enim theſaurus

F

pre-

pretiosissimus est sapientia, oraculo Orientalium illius quorumlibet facile ditissimi & potentissimi (quippe nonnulli quem Regem fuisse arbitrantur) prophetæ Jobi, qui nihil ei exæquandum reperit, *Non commutabitur aurum obryzum pro eâ*; Hinc Oratorum O mega, Philosophorum princeps, & Theologorum teda Doctorumque sol Aquinas sapientiam inter maxima hominis bona computant, quæ dicitur *Fax mentis honestæ*, Gloria, splendore cujus vel integerrimi quique capiuntur.

Tantus est enim innatus in omnibus cognitionis amor & scientiæ, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura, nullo emolumento invitata, rapiatur. Videmus, ut pueri, ne verberibus quidem, à contemplandis rebus perquirendisque deterreantur, ut pulsi requirant & aliquid scire se gaudeant, ut aliis narrare gestiant, ut pompâ, ludis, atque ejusmodi spectaculis teneantur; ob eamque rem vel famem & sitim perferant: Quid verò, qui ingenuis studiis ac artibus delectantur, nonne videmus eos, nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem, omniâque perpeti ipsâ cognitione & scientiâ captos, & cum maximis curis ac laboribus compensare eam, quam ex discendo hauriunt, voluptatem? Mihi quidem Homerus hujusmodi quiddam vidisse videtur in iis, quæ de Sirenuncantibus finxit; neque enim vocum suavitate videntur, aut novitatis quâdam prurigine atque varietate cantandi revocare eos solitæ, qui prætervehantur, sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhererent: sic namque invitant Ulysses.

Quin puppim sinuas, Argivum ô sidus Ulysses,
Auribus ut possis nostros haurire lepores:
Hoc etenim nemo æquor homo præterlegit unquam,
Ut prius haud sistat vocum dulcedine tractus,
Omnibus appotus cupido post corde Minervis,
Ad patrias semper devenit doctior oras:
Nos grave Martis onus, miseram clademque subimus,

Græcia

Græcia quam dio vectavit pignore Trojæ,
Cunctaque de latis rerum vestigia terris.

Appenderat enim Homerus, probari fabellam non posse, si cantu-
cunculis vir tantus irretitus teneretur, scientiam pollicentur,
quam non erat mirum sapientiæ cupido patriâ cariorem, atque
omnia quidem, cujuscunque modi sint, cupere scire, curiosorum;
duci verò majorum rerum contemplatione ad cupiditatem scien-
tiæ, summorum virorum est putandum. Nec quoque vacabit hîc,
sed pertinebit ad rem, quod & alibrin Officiis Romanæ robur, rós-
que eloquentiæ Cicero de virtutis venustate & splendore loquitur,
tam scilicet venustam eam & eximiam esse tradit, ut, modo huma-
nis oculis cerni posset, admirabile sui in animis hominum excitaret
desiderium, atque omnes in amorem suum pertraheret;

Illex est virtus, virtus pulcherrima virgo est,
Quæ omnes visa semel torfit amore sui.

Quod Orator ille de virtutis venustate, idem rectius de sapientiâ
edere licebit, dicendum igitur, tantum illam pulchritudinis, tan-
tum decoris continere, nullus ut unquam propius illam sit intuitus,
qui non eandem admiratus, ejusque formâ ad virtutem ac vitæ vi-
gilantior frugem fuerit incitatus. Oculorum, ait Plato, est in
nobis sensus acerrimus, quibus sapientiam tamen non cernimus,
ut illa ardentes amores suscitaret sui, si videretur!

• Pulchrum ac scitum in hanc rem legi apophtegma. Diogenes
ille Cynicus (quem ridentem verum dixisse, atque optimè rerum
humanarum conditionem exposuisse constat) quodam die ab An-
tisthene repulsus, scipione postremò intentato, abigenti sese dixit,
*Cædesi vis, at nullum adeò ferum, adeoque durum reperies baculum; quo me
abs te, dum aliquid docueris, abigas, O zelus, sapientiæque fervor sin-
gulariter unicuique æmulandus!*

Facit & in idem propositum, quod legisse me memini de Assy-
riis & Babyloniiis. Adducebant hi in præamplam quandam aream,
quasi in encyclium forum, filias suas; deque his tria constituebant

syntagmata ; Primum erat earum , quas natura longiore manu exortiumque dotum venustate & dexteritate locupletaverat : Enimverò secundum illarum , quæ eatenus existebant in medio , quæ neque pulchræ , neque deformes essent : Tertium autem istarum , quæ rejiculae , & derelictæ quasi à naturâ , usque adeò sobriè provisæ erant , quò citra injuriam deformes invenustæque dici possent ; Venientes eas propter juvenes sponsam habendi avidi , ordinis primi nec non pulchritudinis filias primòdum assumi volebant , nihil osecius tali sub conditione , ut illas accipiens ingenti pecuniarum summâ dotare ditareque cogeretur , & pecuniæ illæ non puelabus illis impertiebantur , sed in maritandis invenustis , ne conquererentur , conservabantur , istas enim qui ducebat , lucrabatur ; Istæ jam autem mediocres , quæ neque speciosæ , neque varosæ erant , extra ullum lucrum , aut solutionem obtinebantur . Non ergo poterat , illorum judicio , simul possideri corporis pulchritudo & divitiæ , tantidem pendentes foeminam formosulam accipere , ut , nedum extra dotem adipiscenda foret , verum etiam pretium , quatenus habere illam possent , persolvendum : Factum hercle , & consuetudo deprædicanda , verèque laudabilis ! Sed eja nunc *proci Unigenitæ Philosophorum* respondete , ecquæ autem fuit unquam tam

Bella , glabella , nivella , tenella , terella puella ,

Ut sapientia ? quæ unquam quæso virguncula usque adeò fuit rara , cara , & præclara ut sapientia , ecquænam , inquam , Cynthia unquam pretiositate aut speciositate sapientiæ fuit suppar ? Hæc *candor lucis æternæ* , & *speculum sine maculâ* : Dum personam aliquam à pulchritudinis donis , & bonis valdè volumus laudare , Soli illam comparare solemus , qui purpureo claritatis suæ colore auricomis-que splendorum jubaribus universa refarcit , & lætificat ; sed attendite , Sole longè pulchrior est sapientia ; *Est enim hæc speciosior sole , & ante omnem dispositionem stelligeram probata prior.*

Pul-

Pulcher ab accinctis redivivus Apollo caballis,
 Pulcher & effoetis cum juga laxat equis;
 Pulchra Venus rosei quum lucet nuntia Phœbi,
 Pulchrâque cygnâis Cynthia vecta rotis;
 Pulchrior at quævis præstans sapientia visa,
 Pulchra quid à semet sola feratur habens:

Hoc uno hæsitans Herillus, sapientiam summum bonum esse defendit, nec rem ullam aliam per se expetendam, condecens conveniensque censens, quatenus propter se solam amaretur,

Ipsa quidem sophia sibi met pulcherrima merces,

Et minimè propter lucellum, adde quod omnia satius præstaret contribuere pro acquisitione illius, ad imitationem Evangelici mercatoris, qui, *Inventa una margarita pretiosa, divendidit omnia, quæ habuit, & acquisivit eam:*

Non incassabit rem, quod narratur de curioso studiosoque illo naturæ arcanorum ruspatore Alphonso, Aragorum nec non utriusque Siciliæ Rege: Hic cum fortè fortunâ obambulando semel à quodam audisset, indecorum esse, quod Rex, aut Princeps gentium gentium, meliorisque dignitatis, foret literatus, respondisse traditur; Vocem illam nunquam fuisse hominis, ast Aselli coronati, seu, id non esse loqui regiè, sed bovis instar mugire; Dictum profectò peregregium, dignaque, quæ floreat in omnium ore ac mente sententia, quid enim potuisset melius obrogasse? Cum sapientiâ præditum esse vel maximè regium, & egregium sit: Hæc enim est viva verâque illa nobilitas, quam non facit atrium plenum inani-bus imaginibus,

Stemmata quid faciunt, quid prodest sanguine longo
 Censeri, pictosque ostendere pariete vultus?
 Nequidquam nostrum numeras, nos quod fuit ante,
 Nam genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipsi,
 Vix ea nostra voco, nulloque vehenda tothurno.

Ridiculum sanè, aliquem asseribere sibi, cujus non semel extitit causa, aut quod non promeritus est. Cum eapropter volueris veram hominis æstimationem videre, & qualis sit, scire, nudum inspicere, deponat patrimonium, deponat conditionem, deponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, & animum intueri, qualis, quantus, quotusque sit, alieno, an suo magnus; nam genus qui laudat suum, aliena laudat; Remotâ jactantiâ, dicite, quid sunt omnes homines, quàm homines? remotis possessionibus, splendore vestium, auro, gemmis, cæterisque homines sunt tantum homines, non mutantur, nisi quoad extrinseca:

Quid Proavos jactent, quod si primordia spectent,
 Authoremque Deum, nullus tunc degener extat,
 Omne pari mortale genus consurgit ab ortu.

Vera notaque nobilitas est Esse clarum doctrinâ, consonanter Socrati, qui hominem conspiciatus prædivitem & arrogantem, sed eruditione nullâ præditum, *Hic inquit equus est argento circumtectus*; Solent enim equi stragulis, phaleris, ac bullis argenteis circumcirca ornari, cum tamen intus nil aliud sint, quàm equi; Ratio itaque & perspicuitas ipsa declarat, solum sapientem esse nobilem, quid enim prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara, aut quid nocet ei, quem mores adornant & nobilitant, generatio vilis?

Malo pater mihi sit Therfites, dummodo ego sim
 Æacidæ similis Vulcaniæque arma capeßsam,
 Quàm me Therfitæ similem producat Achilles.

Quisquis proinde naturâ suâ proclivis ad bona fuerit nobilis est, quanquam matre progenitus Æthiope: Meritissimè igitur modulari.

Nobilitas hominis mens & Deitatis imago,
 Nobilitas hominis virtutum clara propago;
 Nobilitas hominis miserum relevare jacentem,
 Nobilitas hominis mentem frænare furem,

No-

Nobilitas hominis naturæ jura tenere;
 Nobilitas hominis nisi turpia nulla timere;
 Nobilitas hominis terrenos temnere pontes,
 Nobilitas hominis cœlestes quærere fontes;
 Nobilitas gemmis non auro vera paratur,
 Nobilitas aliquid deposcit majus habere,
 Res etenim sôphiæ tantùm ornamenta putantur,
 Quas fortuna suis manibus donâtque rapitque:
 Hæc igitur nequeunt generosum reddere quenquam,
 Nobilitatis avos in se doctrina reservat.

§. 3.

Rhythmî verò venustuli, & Phœbi tripode digni versiculi, quibus tangimur omnes Christianæ Philosophiæ mancipati, majorem semper oportere habere rationem æternorum, quàm terrenorum; Res terræ & temporis in minimis habendæ sunt, Quod si est ita, certè nobis, quantum conniti animo possumus, quantum diligentiam consequi, contendendum, ut ne segregemur ab iis, quorum est proprium vitâ frui sempiternâ ac beatâ, quod efficere qui voluerit (omnes autem velle debebunt, qui se ipsos diligere, convenienterque naturæ volent vivere) nunquam committeret, ut, quæ cæteris perniciosa fore crediderit, ea ipsius prosequatur.

Effet enim multùm sanè res flebilis illa,

Eò temeritatis & insanix devenire philosophum quempiam, ut propter punctum umbratilis & imaginarii gaudioli cruciatibus semet obicere acerbissimis prudens ac volens non vereatur, cum fugitivâ voluptatulâ mansura bona commutare non metuisca, ob fugacem vix probè delibatam delitiolam in omnium miseriarum abyssum præcipitari non pertimescat, ob unicam inordinatam cogitatiunculam torquerier igne intemporalis in æternum non perhorrescat, *Quis sortem non defleat illam?* ob momentaneam delæctatiunculam gaudiis excludi sempiternis, *Quis talia fando temperet & lacry-*

lacrymis? Vah cæca, crassaque stultitia, non alio equidem, quàm extremo castiganda supplicio.

Ah cosmophile, calamitatis minitantis miserere tuæ, Creatoris recordare tui, esto certus & memor, quia parca admodum cæremoniæ solet mors esse erga homines, sed veterana hæc versutæque trivenefica adeò se gerit Tigrinè, truculenter, barbarè, ut nullocum conniveat, ast omnes ex omnibus bonis spoliæ: Inaurita hæc enim & implacabilis Parca, trux hæc ac Manliana Libitina, ut variis nos in lecto doloribus afflixit & morbis confecit, lento quodammodo nòs igne excoquens, tandem penitus enecat, ac miserum in modum suffocat, nudos denique in alterum sistit Mundum, & cùm captivitatis nostræ ephemeris expiravit, ceu summa omnium hujus orbis Latomiæ legislatrix, vincula nostra compedisque illa abruptis, & liberos secedere exiliòque eductos in patriam postliminiò renare permittit;

Imus ad obscuram Lethen Stygiàmque paludem,
Unde relaturæ nullâ nos voce carinæ:

Imus ad horrendos Manes properantiùs, unde
Umbrosùm ferimus, devictâ morte, triumphum;
Pallefcens erimus nudatis umbra lacertis,
Langvidulis cum corde genis, pendentéque collo;
Attamen unversos puppis nos deferet illa,
Vah unâ transire vadum tot millia cymbâ!

Mendaciorum Fabri Poëtæ jam pridem Pandoram quandam finxere, quæ ærumnis & infælicitatibus, quas quotidie nimis eheu experimur, rimam referasset, & mille miseriarum, malorum, morborumque hamaxam in orbem invexisset; Hoc quidem commentitium est, at indubitatum, verum verius vero, Phlegethontiam illam Proserpinam (quæ ferales istas Deas humanorum factorum pensâ trahentes semper occupatas habet, & nunquam sabbatiffare finit, mortem intelligo peccato genitam) adamussim quandam esse Pandoram, quæ stragium quoddam diluvium Iliadèque in
hoc

hoc confusum mundi chaos induxit, intérque Japetidas rabiem
& scabiem infœlici proh semine infeminavit.

Tria item ab iisdem fabularum fîctoribus cæca describuntur, nu-
dus nimirum, troffulus, & formosulus cum arcu infans, depîctus
& effîctus solis ex ossibus cum falce homo,

Et pulchella tenens manibus gladium cum lance puella,

Quasi Nugivenduli illi per hoc significare nobis voluissent, ea
sunt, Cupido sive amor, Mors, & Justitia, & medius-fidiûs! annon
ingeniosum istud inventum est? sanè sic,

Atque etiam non abs re animis ego sæpe peperi,

Num ingeniosius quid comminisci posset; *primò* enim, duabus
potissimùm de causis,

Verus amor cæcus diciet esse potest.

Prima, quòd omnes promiscuè sine ullo intuitu feriat,

Cæcat amor mentes dementes atque scientes;

Altera, quòd defectus deformitatésque dilecti in morem cæci non
videat;

Errat amor cæcus, non est amor arbiter æquus,

Nam deforme pecus judicat esse decus;

Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam,

Quisquis amat cervam, cervam putat esse Minervam,

Quisquis amat lenam, lenam fore censet Helênam:

Quamvis fœdatur, semper placet id, quod amatur.

Deinde similiter Justitia exoculata depingitur, quòd omnes citra
respectum, aut personarum acceptionem dijudicet; *demùm*
Mors, quòd omnia sine ullo discidio perfringat; & obvia quæ-
que demetat,

Æquo conquassans inopum clamore tabernas,
Regalésque aulas, ferto diademáque planans;

Mors enim magna, potens, ac terribilis, & quæ personam non accipit, nec munera, pauperes divites juxta habet, & sicuti panni negotiatrix eadem ulnâ holosericum sabanumque metitur: ita mors tam dominum, quam servum ad idem trahit pistrinum; Mors mores verecundos neutiquam patitur, Baronibus, Comitibus, Principibus, Ducibus, Regibus, Imperatoribus nihil benigniorem se præbet, quam rusticorum, aut mendicorum infimis, eodem nempe pede pulsans populos Arctoo

Frigore decoctos, propioréque sole perustos,
Quos videt exorients, quos inditus æquore Phœbus,
Quos breve, quos longum rutilo jubar axe pererrat.
Hæc lex, huc Rex, grex: huc primus & ultimus ordo,
Est mala, sed cunctis via lugubris, ista terenda est,
Pervigil inferni mulcendus janitor antri,
Conscendenda Senis squalentis publica cymba,
Quæ nullo posito discrimine transvehit omnes.
Mors ruit, & veluti maturas messor aristas
Omnia vulnificâ præcidit falce cruenta,
Non fortunatis parcat, non illa beatis,
Divite cum Crasso penetrat sub tartara Codrus.

Quemadmodum ergo in frondidenso disfratatóque nemore, quamdiu viret, genera arborum spectamus perdiversa, glandíferas quercus, umbrificas fagos, nodigeras juniperos, aculeata aquifolia, sublimè nutantes Populos, & perpetuò vernantes pilantésque pinos, ac arbores alias, tam cúmulo, quam numero infinitas, coloréque & vigore multifarias, inter quas hæ terram perserpunt, illæ comam & capillamentum intra nubila condunt: quarum istæ à floribus, hæ à frondibus: aliæ autem à fructibus commendantur, è quibus hæ vulgares sunt & abjectæ, illæ verò singulares, nobiliúm.

liumque usibus ac delitiis destinatae, atqui quamprimùm ut secula in illas impacta est, & istae in ignem jactae, inque cineres redactae, quis obsecrò rubum è cedro dignoscere, genistam à myrto, sacras lauros è sylvestri Ericà queat discernere? Quotus jam usque supini degenerisque judicii inficietur, hanc tumultuum assultuumque abyssum mundum, eodem quoque modo, sylvam dici posse, homines verò plantas? juxta Theomagi nostri vetus effatum; *homo est arbor inverſa;*

Et conversa quidem plantula dictus homo,

Quoniam ut arbor in imo, sic homo in alto suas habet radices, hoc est, capillos, qui totius corporis arcem, id est, caput velant; & profectò nemus hoc, quamdiu viret, variegatis est distinctum coloribus, hos namque è verborum frondibus discernere est, nonne mines verò tardi & bardi sunt: quidam autem facundi atque disertissimi, aliqui etiam Philosophi, artifices, rarifices: Istos autem è floribus, hi enim formosi, illi deformes; neque est eadem omnium adoleſcendi ratio: Alios tandem dignoscere datur ex fructibus, supple operibus seu actibus heroicis: Quosdam videmus animosos & generosos: alios opulentos, alios porrò pavidos, meticulosos, nihilque propter penuriam aggredi audentes, Sed statim ut trux & violenta illa Magæra mors incisionem facere coepit, ac iracundiæ suæ jacula in illos intorsit, omnesque in pulverem & putredinem redegit, nulla amplius distinctio observatur, parem omnes sortem obeant, nulla tunc differentiae fit mentio:

Sed quicunque ex æquò fune dolantur ab uno.

Elige tunc semel capita, quæ aureis olim redimita diadematis conspexisti; selige tunc, si potes, corporum cadavera purpurâ quondam & cocco contextorum: delige inquam linguas tam præstantium philosophorum, tam disertorum olim Oratorum: com-monstra tunc trionias Nympharum decorarum, Dianarum, Helenarum; quibus Orientis gemmæ omniæque Arabiæ nemora ad orna-

tum non suffecerunt; ejice tunc genas, quæ tantum stibii, statæ, sublimati & purpurissæ pridem insumpserunt: designa tunc semel speciosam illam Junonem, cujus elegantia omnes in admirationem & invidiam traxit, quam tot deperiere proci, quæque semper gemmis onusta, auro squalens, byssoque cooperta fuit.

Occasione cujus placuit jocosæ semel factæ Philosopho Cynico Alexandri fastum ludere: illo namque præterambulante fanum quoddam, Diogenes in sepulchreto, in ossuariis defunctorum inter calvarias tumultuabatur; & nunc unam, nunc aliam contemplabatur; nunc hanc arreptam abiciebat, nunc alteram arripiebat: hunc Alexander contuitus interrogavit, quid isthic inter mortuôs sic vivus ageret? respondit Satyricus philosophus, quærere se cranium Philippi Macedonis parentis ejus, cæterum hæcenus reperire non potuisse, quod nullum inter ipsa discrimen:

Nam ut varia bene verno tempore herbarum florûmque genera in apricis locis viviscunt vigescuntque? quanta colorum, nitorum, nidorum odorûmque diversitas? quanta in latitudine, longitudine varietas? quanta in vigore & virore inæqualitas? sed quamprimùm ut messor falcem iniecit, florésque ac herbæ ad terram disiectæ sunt, nullum amplius discrimen dignoscitur, aut omnes eandem, magnæ simul & parvæ, pulchræ non secus ac abjectæ sortem subjerunt: Annon jam hæc mortis monarchia mundus prati aut viridarii cujusdam efficitur? in quo homines florum herbarûmque parte funguntur; at hi omnes magnitudine inter se discrepant intersuntque, honoribus & fortunis sunt impares: enimverò quamprimùm Gorgonia Libitina seculam iniecit, omnes ocyslimè pares & æquales fiunt:

Æquat enim rapida immiti mors omnia falce,
Est fatale mori, mors nulli parcit honori,
Debilis & fortis veniunt sub spicula mortis.
Magnos & parvos, dites, juvenésque senésque
Mors tremulenta capit, mors truculenta rapit.

Dic

Dicubi sunt nam jam Sampsones & Gedeones? ubinam Hercules
& Achilles?

Sunt omnes rapti vento, sunt turbine lati.
O decus uranicum mundi radialis Apollo,
Cujus ad Hesperios erratica luna vapores
Dilassata levat nocturnæ cornua bigæ,
Defer ad æternos Alciden pergere Manes,
Atque canis regnum Stygiam recubantis ad aulam,
Unde regressurus non ullus dicitur unquam:
O mors, mors crudela, tyrannica, mors & amara!
O mors, ut dura, & quàm tristia sunt tua jura!
Concedit populus quantus substrata per urbis
Ante novi ludos avidus spectare theatri;
Quantus & accurrit Lenæi ad Numen Iacchi,
Quinta coronavit cùm Sacrum floribus æstas:
Quanta Deam Cererem secretam turba frequentat,
Cùm longæ sancita renascitur horula noctis;
Tanta per ignavas obtorpet turba paludes,
Pars gradiens tristis longæque evanida vitæ,
Pars & adhuc currit viridanti congrua veri;
Virgineo nondum spoliata flore Corinnæ,
Atque comis nondum positis de vertice pubes,
Et modò perdoctus maternum pusio nomen;
Ut minùs his cantum solis ætate timerent
Lumine prælato tenebrosam pellerè noctem,
Schemate lugubri reliqui per opaca vagantur,
Est qualis nobis animus, cùm luce remotâ
Quisque sibi moestus sentit caput esse refertum
Unversâ terrâ, vacuæ stant turbine nubes,
Atque chaos densum, turpes tetræque tenèbræ,
Et requies mundi cum cæco chromate noctis;
Sera gravæque nos illò demoliat ætas,

Nullus ad id serò, sed tempore sat venit, unde
 Quum semel advertit, potuit discedere nunquam,
 Quid juvat edurum, miserum, prævertere fatum?
 Hæc omnis mundi terris vaga turba facesset
 Ad Manes, faciétque quietæ carbasæ Lethæ,
 Omne tibi crescet, quod Vesper lustrat & Ortus,
 Parcito venturis, tibi nos Libitina paramur,
 Quanquam tu segnis, nos stamina rumpimus ipsi,
 Ultima, quæ vitam nobis dedit, abstulit, hora.

Quoniam itaque in rebus naturalibus tanta istius finis necessitas esse perhibetur, quò Physici eum omni in re primum statuere non vereantur, ut, quamvis in executione operis postremus, in intentione tamen & mente sit primus, tunc mors, cum rerum omnium extremum sit atque linea ultima, omnibus nostris in actionibus prima sit, ac principem in omnibus operibus locum teneat, necessum est: Sicuti enim navicularius, dum in mediis fluctuum necessitatibus navim gubernat, in puppi, quæ navis pars est extrema, confidet: haut secus Philomagus, qui mundi hujus difficultatum occultissimarum Oceanum enavigat, ut debitè & rectè vitæ partisque suæ navim dirigat, non in prorâ munerisve sui conditione confidere debet, suam scilicet prærogativam admirando, quia ante alios ad arcana præelectus est (nunquid namque de se lutum prædicare potest, præferétque convasculis vah, quòd in foelicioris formæ pocellum sub figuli torno rotatum sit) Nec etiam in anquinâ, mediæ nimirum æstati abblandiendo, honores & dignitates, divitiarumque suarum affluentiam numerando, at in puppi, in *mortis nocte*, & novissima ad mentem revocando.

Hoc, hoc est, quod ingenii & doctrinæ princeps Plato (quem divinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, quem Philomagorum Homerum appellare mihi mandatum) dicere solebat, videlicet, prudentes & sapientes scholam sibi quampiam constitutur, in quâ aliud abs vitæ brevitate mortisque celeritate nil doceretur

tur, ejusque meditationem veræ quoddam, probæque genus esse
philosophiæ, stolidos autem & fatuos Academiam oblivionis,
quod nunquam Libitinæ novissimorumve recordarentur, & nullo
non tempore de annis prorogandis pensiculerent: Est enim in
comperto, sapientes, simplices, & virtutum sophiæque æmulos vi-
vendo sensim mori, improbos autem, fastuosos atque nefarios mo-
riendo vivere, vitamque sibi semper pollicitando, mortem pedi-
bus conterere; Evidenter eapropter nunc innotescit, studiis pa-
læstræ hujus qui animum format mancipatque, nullius rei avario-
rem esse oportere, quàm solius sacrosanctæ sapientiæ,

Sis domibus multaque potis tellure licebit,
Nil tua casta suis portabit Manibus umbra,

Omnia hinc manebunt, omnibus tuis, & quidquid in hac vitâ desi-
derare poteris privatus, vile & angustum intrabis sepulchrum;

Haud ullas laturus opes Acherontis ad undas,
Cocyti Tragicâ nudus sistêris in actâ:

Reges, potentes, Principes & divites Dii terris tantum præsti-
tuunt; Hinc verus sapientiæ amator, vel *fbris labris*, ut dicitur,
gustatâ solummodo sapientiâ, nunquam post aurum, aut vanam ho-
noris auram abiit, sed potius circa Philosophorum Galenam, quæ,
ex sono scripturæ sacre, naturæ theca est, hæsit, siquidem adeptus,
nedum imperii unius, verum rerum omnium, totiusque orbis valo-
rem, suis potest circumgestare loculis, & tanquam totius machinæ
mundi Dominus omnia possidere, meritòque dicere, *mecum omnia
porto mea*.

Divitiæ nostræ nullo latrone pavebunt;
Subfannent alii, misceto morio sales.

Quid namque, interprete Paræmiographo, prodest stulto habere
divitias, cum sapientiam emere non possit.

Ad

§. 4.

AD eam ipsam ergo authoratus sum ego vobis in præludii huius theatro (modò Evangelus meus augustissimo auxilii sui afflatu cymbam per procellosum hoc æquor dirigere ne dedigneretur) calcar subdere, & raram ac claram ad summos honores & opes viam commonstrare; Ecce verò torrem ex apertâ vobis valle præluet philosophorum Deus decusque Socrates; qui humanam divinamque nactus Adoream, & famâ super æthera notus, sic ad sequendum hortatur:

Quia hic, cùm semel die quodam obviam habuisset in plateâ adolescentem Zenophontem, ut ex Apophtegmatibus advertitur, contuens in eum, ac ex physiognomiâ animadvertens, naturâ stante & inclinante ad sapientiam comparandam habilissimum, extenso suo, quem humeris gerebat, baculo, quantocyus detinuit eum, tales proferens voces, heus tu juvenis, unde venis? ubi venditur panis, sicubi veneunt pisces? atque alia istiusmodi, cùmque ad interrogata compositè respondiſſe ipsum perspexisset physiognomus, subjunxit mox, ubi locorum nam habitent sapientes? responsa dedit juvenis, se ignorare, tum ille: sequere me, ait, & ego te instruam, quia turpe est, nescire te id, quod maximè scitu dignum est, posteaquam scias alia minùs necessaria; Dignum profectò Socratico ore documentum! at illud instituto meo adaptans, dico.

Sapientiæ ille institor Mercurius meus, caduceo suo continuo per vicos obcurſitat, obviantes vos verò ipsi, scitantique eidem semel de nucibus, & illiusmodi affaniis, minùsque necessariis, indubiè quàm exquisitissimè statim respondere sciretis, sin autem à quovis vestrum semel de scitu citimis, nominatim, ubinam alicubi rerarum simplex probaque philosophia, sive ipsam continentes fasti deliteant, aut reperiantur, percunctari inciperet:

Urique aqua hæreret vobis, & lingua palato
Vestro, ac essetis muti, tentique cerèbro,

Et

Et meis quidem auspiciis, ut hâc in parte non obſtinem, (tot, dolor, hinc inde ubique emiſſis, refertis multiformibus, fraudulentisque receptiunculis) cum totâ curiâ & iſtud prætereire vos clamare poſſetis; He ergo artem deplorandam! & ô res noſtras deſperatiſſimas! at hem, evax, etiamnum maſti, mihi vobis, *ſapientiæ ſuboles deauratæ*, non numiſtæ, nec auri fame laborantes ſophiſtæ; Socraticè phyſiclarè commiſſum eſt, ſequimini me;

Vos ducam in Terram latam, valdèque probatam,

Futurus veſter anteambulo, ductor & doctor, qui Apollinea mecum ſubire ſacraria, ac ſublimis inſtar aquilæ ad altiſſimam aſcendere Libani Cedrum, Chryſogonumque Alchymia Athlanta conſcendere nitimini; harmonico Spaltriarum hujus Odei tono, tanquam juſculo Lethæi poculi inebriati, ad hoc aſylum, roburneâmque arcem Capitolio Romano inexpugnabiliorem, properate: hos Magicos coccos è paleis erutos, vindemias has meſſis meæ abſramentis, zizaniisque exſcalptas, inquam, fruſtusculos hoſce Nocturnos, ſeu genii & ingenii mei Phrygios foetusculos, ſolenni ac Ambroſio choro approbatos, quantulâcunque cupiditate commentaminor, imò duabus ulnis amplexaminor.

Nec enim ſumus ii, quibus nihil verum eſſe videatur, ſed ii, quî omnibus veris falſa quædam adjuncta eſſe dicamus, tantâ ſimilitudine, tantâque ſimultate, ut in iis nulla inſit certa judicandi & aſſentiendi nota; Nam Philoſophorum quæſita, quòd penitùs ſcrupica ſint & hieroglyphica, ac caliginofis ænigmatum opinionumque, perplexitatibus opacata, non niſi à divinitùs illuminato viro, ſeu Adepto philoſopho comprehendendi per ſe poſſunt.

Si modò me modicùm vobis audire lubebit,
Ab ipſis naſcentis Magiæ incunabulis.

(Si licet exemplis parvis in grandibus uti)
Et altiùs vobis rem repetam, atque paradigmaticabo:
Facta canam, ſed erunt, qui me finxiſſe loquentur,

H

An-

Antiquas symbolas, cuculi cantum, in novas hasce centurias redigendo.

Effinge de viro, & muliere circulum rotundum, deque eo extrahe quadrangulum, & de quadrangulo triangulum, deque triangulo effice iteridem circulum cyclicum, & magisterium expleveris; est enim res, cujus caput Carbunculeum, oculi Gagatici, & pedes Adamantini, artificium; ac mille id genus alia ubique occurrentia; quorum non ultimum, sed cæterorum velut supplementum (ut Stoicorum foccis incedamus, qui ad summam constringere solent argumenta) sit hoc.

Purpuricomus Phœbus genuit inferiori in mundo filiolum, quem Majugena Mulcibro nutricandum, & Philyridæ dedit ad imbuendum; hunc primodum jubemus posteritatem omnem cum leonis Eoi cruore (qui ex continenti de pruinâ cœlestinâ, terreoque tepore conceptus, in maris mediterranei rivis, à Lucinâ Æolo, Ennosigæoque obstetricante, obductus fuerit) capeßere: exhibet enim hic Mercurium Philosophorum, spiritum illum mundi secretum, Syriacumque rorem, quia spiritus ejus circumdedit faciem terræ, & intestino illius educetur coluber tortuosus.

Postmodò à marcore inutili Amphitrites falsilagine separare, cumque lixivio purgare, non quidem ex cineribus fageis, quernisve, eorumque sale, composito, sed metallicò, quod cæteris est durabilius: nec similiter ex vulgari latice, at eo, qui de Parnassi scatebrâ petitus (abs aliorum indole fontium in vertice montis existente ab ungulâ Præpetis Medusæi ingeneratâ) quique sub juvene Iliade in glaciem crystallumque abierit, utpote qui sit partium subtiliorum, quàm stagnantes, lacunarumve palustres aquæ, propter quod ad nigri squalique philosophici corporis intima, ad abluendum ipsum, penitus penetrare poterit.

Tandem Gemelliparam prægnantem Deam blando tantisper tepore, benignèque igne fovere, donec per elementaris orbis rotas, artis, naturæque stratagemate ad sextanguli formam Cynthii flos, Cynthiæque ros in indivisum quoddam consurgant corpusculum,

culum, & stupendarum viriâ duplionem, masculum atque fœ-
mellam ediderint, utrumque tunc statim seorsim, prôque suo unius-
cujusque genio decenter nutrire, saponē sapientum dealbifica-
re, lactēque Virgineo ad solidam usque ætatem focillare, germano
suo Pæani, Cinnabarinâ stolâ, Corallinoque satellitio squalenti,
despondere, ac connubiali tedâ jungere; hujus namque prolifico
ingravidata seminio, ubi, elapsodierum curriculo, cum Neptuno
Vulcanus in reconciliationem redierit, deque Ope Phœbi, Phœ-
bésque parente seu nutrice Jupiter Appollinem & Dianam proge-
nerarit, exoptatum illum tot precibus pretiisque Phœnicem, qui
sibimet nedum perpetuare vitam, sed & humanam prorogare vae-
tudinem, verēque Aurea revocare valeat sæcula, enitetur.

Mare mehercle præaltum, perplexum, etiam eruditissimo inna-
bile! quantæ hîc voragines, & abyssi! proh quanta profunditas!

Hîc Zanclexa charybdis, Scylla, Capharea faxa,

Hîc Cyclopæi scopuli cum mille Mæandris;

Et nescio, quid labyrintho ipso inextricabilius; quomodo captus
tyronum tantis intricationum fluctibus exurgentibus poterit trans-
fretare, ubi OEdipodum mens propemodū suspenditur & subsistit?
qualiter inquam mortalis intelligentiæ vela pendentur, ubi im-
mortalia labefactata contrahuntur? vah laborem laborum omnium
Alcidæorum supremum & extremum! hem præruptas rupes, hem
naufragos anfractus! O imperceptibili periphrasi ambages Laby-
rinthæas! omnia in hoc monumento magno subjecta sunt crucibus,
cassibus, casibus, nihil hîc intelligibile, sed quaquaversum inhospita
inibi conspiciamus Dindyma, prô quot hyperbatorum altaria,
quot icones & echones! hui quot in hoc peristylio exstructæ ex-
dræ, quot emblemata pictitis fictitiisque hinc inde literis signa-
ta! *quis leget hæc?* O qualis nodus! ipso sanè Gordio indissolu-
bilior, pol' difficilis & omnia consimilis Herculeo, in quo nec prin-
cipium apparebat, nec finis, qualis & fuisse fertur Gordius, quem
cum Alexander enodare non posset, ense dissecuit: experientiâ

polydædaleâ quiane, Argisq̃ue centoculis, & ipsâ rhomphæâ Delphicâ, ad Vulcania hæc vincula, gryphosq̃ue dissolvendos, opus erit, adeò arcanorum mysteria per fabulosas, ambagiosasq̃ue sententias ac voces illis involuta sunt; pleni libri philosophorum, refertæ allegoriis, distentæ parabolis paginæ ferè omnes, tanta quidè similitudinum copia, ut nihil possit esse cumulatius:

Ego itaque, ne quis mihi similem quoque invidiæ notam inurat, talibus circumlocutionum involutionumq̃ue palilogiis Consulta Præteritorum Philomagorum non innodabo, sed rupto Pythagorico silentio, candidis lectisq̃ue discipulis, paucis & planis; rem totam declarabo: Hanc igitur provinciam relictam explebimus nullius adminiculis, sed, ut dicitur, Marte proprio, neque enim quidquam de hac parte strictè divulgatum, quod mihi probaretur, de iis, quæ in manus meas venerunt: cùm itaque aliqua species utilitatis noviter objecta est, commoveri me necesse fuit, nec verò desertarum prorsus rerum patrociniū suscepimus; non enim hominum interitu artes quoque oppetunt, sed lucem Authoris tantummodo desiderant; excipietis eapropter hoc Orthomagopuscum lucubratum his jam contractioribus Noctibus; quoniam illud majorum vigiliarum munus sub nostris auspiciis postea excutetur, & gaudebitis cimeliarchio hoc aperto Versuum meorum, quos fortè composui: cùm ea, quæ sparsim tractantur ab aliis, rara atque præclara, omnia pariter ad meum hoc Metricum pressumq̃; transferam scribendi genus. Incredibile quippe videbitur, quantum rerum magnarum hîc vobis canere intendam, præcipuum utpote humanorum votorum punctum prophetare, reconditissimum secretorum omnium hujus mundi thesaurum, non fusè, sed nudè & circumcisè propinare: erit videlicet hæc mea regula seu tessera linearis ac certa, quâ ceu duce filo incedere poteritis: O elegantem vobis philomathiam in medium producam, quæ velut mandibulo asini Philistæos in fugam dare, portasq̃ue gazæ attollere valebitis, luculentissimum, uti opinor, vadimonium sponsionis meæ præstaturus, eapropter talem mi decet præbeatis attendendi fidem, qualem hîc vobis procemior scientiæ sorttem.

Ve-

Veruntamen ad aureas has dapes fruendas, est ante omnia omnium, quibuscunque summâ cum gloriâ jucundam huic pulveri operam navare, parémque fortunæ committere aleam, animus, Archimandritas agere, cûmque Diogene in ssadio corrente cursum non remittere, qui traditur, etiam inter negotia publicæ perturbationis, projecto palliolo, præcinctus dolium sine morâ suum, tecumque versatile (in quo, veluti domi porta, perpetuò conclusus, animum potiùs, quàm vitam agebat, haud secus ac affixa mens ligneo coelo) circumvolutare huc illuc præquam ardentè incepisse; hic namque sudare; hic in otio gnaviter occupari, hic multum actitando nihil moliri, tam serio omnia ludo, ut in dolio, tanquam equo Trojano, salus Græciæ includi videretur; cœpère verò ad hæc mirari & indignari civium plurimi, qui cûm ex ipso quærerent, quid sibi demùm vellet? equidem, edisseruit, commoveo dolium, ut, cæteris aliquid agentibus, me quoque cerneretis actuosum, *qui enim nihil agit, nihil esse videtur.*

Magnificum verò & divinum Diogenis dictum! per quod non obscurè argutulus ille philosophus indicare voluisse videtur, Anarchasides si natura domi non genuit, arte & exercitatione multâ multos adhuc possibiles etiam ipsis Hermetibus Ægyptiis Hermetiores, & vel Platonibus ipsissimis Platoniores, qui nullis fracti laboribus, nullis pepercerunt sumptibus, nulliùsque illos improbi facti, ut saltem inceptum ex animi sententiâ succederet, piguit, tantus philosophiæ hujus in iis assurrexerat ardor.

Tria reperiuntur animalia (inquit Adamidarum sapientissimus Salomon, quippe qui sapientiam supernè adeptus fuerat) quæ quidem terræ minima vivunt, sed sapientiora sapientibus, easunt, formica, lepusculus, locusta, stellio: de postremo hoc versiculus extat catenus; *stellio manibus nititur, & moratur in edibus.*

Parœmiarum autem Salomonicarum Scoliastræ habent ex Hebræo; *aranea manibus nititur*; quæ hunc ferè formant sensum. Aranea negotiosis tenellularum manuum suarum telis vitalitum sibi parat, nec, quod ait Parœmiastes, prætergrediendum, quatuor nimi-

rum hæcce animalia ad certamen provocare prudentissimos quosque posse, ignorantiaque judicare etiam eos, qui sapientissimi & videri & audire volunt; *& ipsa sunt sapientiora sapientibus.*

In quo araneæ vilis & exilis bestiolæ sapientia arisque sit sita? in eo, quod, tametsi in aulis Regum moretur, nihilominus manuum suarum labore usquequò utatur, quò longiturniorem in annos plurimos vitam protrahat, immò videri queat imprudentiæ incurrere calculum, quòd, siquidem in domibus Regum degat, ubi tanta est ciborum copia, annonæque affluentia omnis, illa nihilofecius usque semper sollicitè, usque impigrè, operosèque intra viscerum suorum officinam retia texat, quibus incautas capiat muscas, ut cruore earum propriam sibi conservet vitam, quod si est ita, cur huic animalculo sapientiæ titulum tantum sapientissimus tribuit Paræmiastes? Augustum prudentis encomium, & gloriosum sapientis epithetum peroptimè meretur animalculum hoc pro agendi genio, quo Spagiria fructuosè viros erudit, instituitque Sopho-chymicos.

Aranea enim manibus nititur, & moratur in adibus Regum: tanquam dictum, quid refert, quòd palatium abundet lautitiis, quòd affluat delitiis, habeatque promptuaria, quorum hæc rustentur in illa, si ego inter hæc non mihi manibus meis victum quæritem, quem nequidquam mihi ex isto aulæ rerum omnium luxu promi-fero, me ni eviscerem, nullasque non noctes, & dies, ducendis filiis, contexendis retibus, & muscarum venationi impendam, paribusque laboribus ac curis alimoniam mihi conquiram.

Hoc ipsummet, muto quodam ingenii sui exemplo, inclamat & edocet *industrios Auræ sapientiæ consecratos*, qui etiam si exorti Dei dignatione victoriosam sedem, fortunatumque obtineant domicilium in opulentâ Alchymia basilicâ, ubi supremus Operator adeò magnificas delitias, tamque singulares favores dispertit, ubi tot sunt magisteria, tanta tincturarum messis, adeò superabundans sublimis artis Manna, pusillum nihilominus atque pauxillum exinde habebunt emolumentum, ni quoque pro more araneæ anticipa-
rint,

rint, suamque sudoris partem perfecerint, ut delitiis illis fruisi, inque istius foelicitatis portum penetrare possint: *Aranea manibus nititur*; nisi namque magno se studio doctrinae filius defatigat, delassaret, diligentissimeque allaboraret, erit in medio tantae copiae, ceu quidam pater Pelopis.

§. 5.

E Nimvero, quia tam inextricata, & erronea viarum omnia, quibus ad Auream illam Iasonis Regiam, copiaeque cornu contenditur, ut cum hominum myriades multae inattenuato semper studio, nullo neque sumptuum, neque discriminum respectu habito, vexationibus, vigiliisque plurimis, atque labore indefatigabili, Sisyphus saxum volventes, *Auratis Pulvisculi* majestatem contemplari, ac conquirere desudarent, & etiamnum desudent, nihilominus vix uni, aut alteri naturae porta, retrojecto divino pessulo, resecrata sit, morigera illa Theano uxor evenerit; seu acciderit adire Corinthum, ducatum quendam amussimve Ariadnae in hoc itinere sinuoso, errorumque Mæandro, nullo viae gnaro duce dato, praevaticantibus, analematis instar, inquam instar triformis Proserpinae proboscidis (saltuosus in compitis confixae ad viatores edocendos) ego compendiam, rectamque semitam, ac schema strictum inibo, quo usque gravem, praegnantemque *Philosophorum Galenam* invenire queant;

Sic legitur Theseus monstrum prostrasse biforme
Incassum feriens obcoecis cornua ventis,
Inde pedem sospes multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo,
Ne labyrinthæis è flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error,

Gratis accepi, gratis tribuo, sapientiam sine fictione consecutus sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo; Antegenitales quidem nostri non nisi discipulis devotis monumenta ambagionibus plenissima, proprio abnucleanda nisu, per quasi
ma-

manus tradiderunt, ego verò hiulcabo hîc lignum latum,

Adde quòd heptàthyras, septem velut ostia Nili,

Et centum Thebarum portas:

Hæc mea porta patens nulli claudetur honesto,

Tros, Tyriúsque mihi nullo discrimine ridet.

Hæc mea lucerna pendula, ardens & lucens, veratri instar ignavos derepentè in philosophos transmutans, & ad physiologandum impellens;

Hæc, inquam, nostrâ per litora curritur Argo,

Sic tamen Æoliüs tensuri carbasa ventis,

Ut naufraga semper, arenosâque nimîè loca relinquamus, nec ita in profundum velificemus, ut terram omnino deseramus, sed

Alter remus aquas, alter rasurus arenas,

Nempe est medio maxima turba mari.

Ea duntaxat ex celebrioribus, quæ præcisè rem ipsam vel praxin concernunt, consectando:

Principibus placuisse viris erit ardua fama.

Ut videlicet animos cæcultanter corroborare, ac diu multumque mobilitatos mitigatoriâ demulcere doctrinâ, adque expedite experimentandum (quatenus per itus congruos certum suum fortitum adimpleant) valeam fuscitare; at nec eo quidem decreto, ut quælibet mox monachorum more de objecto textu fermociner, inque apicum producâ exigui corporis vocalæque viribus: esset enim id abruptis Amphitrites fluctibus fragilem ingenii mei cymbulam committere,

Immensum modicâ pelagus fulcare carinâ,

Et parvâ vacuum pennâ volitare per axem;

An non est impar Troili congressus Achilli?

Pigmæus,

Pigmæus, Satyrusve collatus Giganti, Chius ad Coum, Darus ad Entellum: quid enim agat agriculus inter lupos, quid pusio latens in medio molossorum, si mater vel nutrix non patrocinetur? esset profecto hoc Echidnam Lernæam sine viribus Herculis aggredi, cujus capite attruncato uno, decem subinde alia coarrentur, nec est enim aliud mea ratiuncula, dum cryptica hæc universa transvêlificare tento mysteria, quàm linter quidam angustus & exilis vastis procellosissimi oceani jactatus gurgitibus, mei inquam ingenioli nihil aliud accinctio, dum amethodica hæc reconciliare gestio, quàm audaculus quidam parvi culicis aut cyniphis volatus, qui altius solito se tollere nixus, ventorum folliis arreptus, in terram dejicitur & enervascit.

Quare mechanica tantùm, insufurrandaque per Hermogenem tangere annitar, adjungendo pusillitatem nostram sublimitati Gigantum Majorum nostrorum, *facile est enim inventis addere* super senes intellexi, infinitus sim, si singula, quæ in materiæ hujus latifundo adumbrari possunt, cum clara rei veritate & experientia ex Authorum interpretumque sensu pariare voluero; suffecerit ut propositum prosequamur nostrum, fatales penitioresque lineas, quas Dei digitus Terræ inscripsit, in rem nostram plenius enodare.

Quia nihil ad me spectat scire, spiréntne sub aqua pisces, nec ne, sitne halex an balena Rex gregis squamigeri? sitne sol lapis ignitus, utrùm verò currus igneus? & sitne vera facies in lampade lunari, & eccur? aliæque hujusmodi sexcenta, ex quibus fructus nihil, quàm labor & afflictio spiritûs, meræque pretiosi temporis jactura, parum quippe res repressæ, at tempus tritum irrevocabile nomen est, contestante Acacesio Metrico,

Damna nihil rerum, sed plùs fore damna dierum,
Res semper rebus succurrere, nilque diebus:

Traditur Diogenes Cynicus subtilissimè semel plurima de astris apologantem irrisoriè interrogasse, ut pridem è plagis æthereis venisset, utpote tam gnarus politiæ cœlestis: taliter Thales
I Mile-

Milesius unus idémque illustrior inter septem sapientes Græciæ, cum, præhensis ocularibus cosmocolophonem vagâsque errantium, fiderum sinuationes, atque coruscantem istum stellarum exercitum ad præfandum ex iis aliquid futuri, modò Dii innuissent, in contemplationem absorptus, speculabundiùs intueretur, in luteam foveam, quæ ante pedes ejus erat, cum fortè incautè illos moveret, incidit, tibiisq; ut dicitur, fractis, rediit ridiculus domum, ob quod argutæ cuidam adstanti vetulæ meritò ludibrio fuit, quæ jurè id eum pati ajebat, qui, cum ad juxta pedes posita obbrutesceret, cœlestia vellet explorare: juvâtne, ut itidem illud Præpes Poëtafter acutè attenuet, audire?

Fortè Thales celsi dum conspicit ætheris ignes,
In luteam foveam, pede cæcultante, labascit;
Hunc ubi collapsum quædam muliercula vidit,
Quæ veniebat aquas craterâ fortè petitum,
Sic super insultans, cum pervenisset ad ipsum,
Alloquitur salsâ caput intrâ voce tremiscens;
Astra quid ophtalmis cœlestia stulte perâgras,
Non sat multa tibi terrestria commoda cernis?
Dúmque futura studes aliis prædicere fata,
Non potes, ante pedes jaceat quæ, cernere fossam?

Sic plurimi adhuc nasuti contemplantur cœlum, & mille nugatorias subtilitates, hic omnia hiat, iste & ille nomen inhiat jurgiis,

Alter rixatur de lanâ sæpè caprinâ,
Propugnat nugis armatus, scilicet ut non
Sit mihi prima fides, & verè quod placet, ut non
Acriter elatrem, sed fiat doctus in omnes;

Et interim ad errorum fossam, in quâ continuò cæcutiunt, nihil advertunt, quousque tandem pro fine ad insaniam redigantur; hic enim dum nixos astrorum, & vertigines cœlorum accuratiùs rufpatur,

En-

Ingeni lustrando sentit sibi contorqueri um.

Ille & iste demurmurandis versibus mentem vertit, & in rabiem incidit :

Iste sibi pangendo pedes cere comminuit brum.

Proin prudentiùs dixit Pythagoras, Samius ille Senex, nobilisque nomotheta,

Arduitate suà quæ supra nos, nihil ad nos.

Idem hoc hîc haut inconcinnè usuvenire potest illud illustris Eudræ, ad hunc scilicet ajebat Angelus, si quantæ habitationes repariantur in eorde maris, aut quantæ sint venæ in principio abyssi, essem percunctans te, fortassis diceres mihi, cærule non obivi, tenebrosam nec descendi in abyssum, nunc autem adhuc non interrogavi te, nisi de iis, à quibus es inseparabilis, & non respondisti mihi de iis quidquam, quantò ergo minùs percipere potes alas Altissimi?

Itidem & ego illos pansophos, qui de quovis vacuo argutè ac astutè differunt, disputantque, ad araneacea, ad aquatilia remitto, & dico, cedo tu, qui inania siderum, qui erraticos ætherum, astrorumque curriculos, & constellationes tam curiosè, tam scrupulosè scrutaris, sectarisque, quomodo fiat ex ovo avis tam bellè pennata, atque avis, cui ferrum ferculum? ecurr torpescant manus, ut primum Narcus inciderit in retia, & quare quoque is torpor, manu aliquid gestantibus, impediri possit? aliàque id genus innumera, quæ casu quò sagire nequis, res superas quomodo comprehendes? nunquidne tu, qui sapientiam usque encycliam & circularem tibi arrogas, respondere poteris, qualiter terra, quæ verticosà gravitatis suæ mole deorsum pendet, in medio aquarum, librato se pondere sustineat? vel qui mel apes, aranci telas, aut bombyces sua fila contexiscant? quòd si autem animalculorum, vermiùmque opellas non capis, quomodo tantum tibi tribuis, divinæ ut manus admirabilissimæ cognoscier ab te posse præsumas? næ ista gloriosa sapientia haud magno æstimanda est, non multum siquidem differt ab insania.

Animosi attamen vos, qui auspicatò, auguratòque in hac nostra naumachia classica tantorum esse præmiatores talentorum præelegimini, relictis, repudiatisque illis vulgaris vexilli legionibus, huic mensæ meæ honorificæ, perspendidòque convivio, circumflua ciborum luxuriâ & dapsilitate decore (in quo sympsiarches Atlantiades) accumbite, semper in Apolline, semper in cubiculo Solis cœnaturi:

Fercula trademus preciiis prægnantia succis,
Instruet Aurofas hæc mea mensa dapes.

Inclytum illud haud dubiè esset epulum, & omnium ore celebraretur, dignumque, ad quod prudentes, sapientipotésque vocentur, si in eo Phoenix, priva illa in terris avis, Arabiæque deserta pervolitans, quâ nihil in orbe rarius, apponeretur; quid igitur de convivio hoc Adeptorum Ambrosio dicetis, in quo verè totius universi vivax Phoenix, solis lunæque Boschæ, publica in mensa, manducanda profertur? an ne de simili quis unquam epulatione loqui audivit, an non hæc, in quâ non philosophi & prudentes, sed Reges ac Monarchæ delituntur, digna? Dapale itaque Cleopatraz convivium apagesis antiquitas, quod Historicorum omnium præconio celebratum est, quòdque illa in gratiam sui Antonii Alexandriæ apparari curavit, in quod illati fuerunt uniones duo præstantissimi pretiosissimi que centum Coronatorum, qui millibus & amplius licebant; quandoquidem longè eminentius, excellentiusque epulum, hîc quod instituitur, in quo præclarissimus, quæstuosissimisque ille unio, naturæ totius thesaurus, Melectris Trismegista offertur, unio verò persplendidissimus, cuiusque valor vix verbis expressibilis, & gemma, margaritumque adeò egregium, adeoque eximium & luculentum, ut homo sapiens illud emere cupiens, omnia sua ære commutet:

At enim tali magnificâ mensâ convivando non nutriemini, ni preces prius præfati, Deum placâritis præsalutârîtisque, qui so-

lum

lum amicis , inauguratísque hoc basilicum ad salutem benedicit
epulum , eo quidem Ministeriarche , omni dubitationis caligine
relegatá , haut dubiè tunc facìlè pervenietis ad Paradisum Ve-
stalem , in quo Tmolia carpetis Mala ex illo Maronico aureo ramu-
lo ,

Qui manibus nitendo volens facilísque sequetur,
Si vos fata vocent , aliter non viribus ullis
Vellere , præduróve potestis stringere ferro.

Dives enim hic termes demeti non potest , nisi cæremonioso cum
cultro , prævio Divino Numine , naturæque lumine , ipse namque
Lapidis dux est , & laborantum emendator ; Duce itaque illo , cu-
jus esse æternum est , cujus potentia illimitabilis , cujúsque sapientia
penitùs admirabilis , qui tenet clavem , custodítque cardinem the-
saurariæ hujus Theriaces , in quo omnes sapientiæ gazæ , quique
iter infantium facit fortunatum , in universitate omniscii hepta-
techni , & omnium , quæ Apollineo accessu , recessúque reperiri
queunt , facultatum Encyclopædiastæ , mancipaminor , hic erit
æquissimus Brabeuta , isto Dogmatiste

Vela datote Noto portos habitura secundos.

Columbam itineris sui ductricem Æneas in nemore errabundus
habnerit , nos in hac umbrosa , venosaque Alchymica sylva è cœlo
nobis columbã ,

Phasidis ad flexús , Hermique rubentis arenas ,

Comitem destinari postulemus , precantes ,

Esto dux , ô si qua via est , cursúsque per auras ,
Dirige per lúcos , ubi pingvem dives opacat
Ramus Humum *fulvo* gemmantem cortice *fructu* :

Cœlestis hujus candelabri cynosurâ , ac vigila viâ Dynaste ducti, ad ipsum Tritoniæ templum curriculo concertemus. Melificatricum ingeniosarum apum industriam, & experientiam hic sequi desidero, quæ de præstantissimo, fragrantissimoque apiastri, ac florum succo, cellulas suas thymino melle constipant, osculatimque colligunt, optima & melligena abs rancidis separantes, & utilia tantum tractantes; Atque sic hinc jam quidem est, quamobrem libuerit his Orthomagiopusculis facere epigraphen, federitque illa venditare sub facula *ventilabri Chymici*.

Quemadmodum enim instrumento hoc res nihili, siliquæ, re-segmina, strigmenta, cortices, crassioresque exuviae propulsantur, & exterminantur, quodque sarmentitiarum qualitarum vappam & amurcam sapit, foras distruditur, ac esareculatur, puro, nudoque nucleo, & meditullio remanente. Haud aliter ex hoc meo centro, umbilicoque Adepti Corporis, monstrosa, confusa, absfona magistellorum multorum, spheudoartificumque exercitamenta, effigmenta, ne dicam, deliramenta concellavi, penitusque eliminavi, dulci solum, integrâ, & emedullatâ sarrituræ, scientiæque pupillâ, ab omnibus parabolarum pelliculis, translationumque tunicis defæcarâ, retentâ, inque horreum palmatiportûs unâ reportatâ; *neque enim trituram instituimus propter stramen, sed propter frumentum.*

Nolo nihilominus propterea hanc empyriam lampadem ita succendere, quasi, quàm quæ hic habeantur, nulla alia magnalia, eaque eximia essent (nam non sum adeò oscitabundus, tamque degeneris animi, hebes aut effrons, ut negare possim aut velim, in universa hac hospitalitate, nullum tot emolumentis effartum studium, quod tot nos bonis, totque donis beet ac cohæredet, quàm unum illud Philomagiæ exercitium, quæ tanquam mysteriorum theatrum, secretorumque speculum hominem heroum, integrumque conservat, debilem incolumitati restituit, naturæ abdita eruit, animum solidâ scientiâ, serenat, corpusque omnibus vitæ clinodiis cohonestat & collocupletat, ac tandem ad ipsam
Crea-

Creatoris cognitionem pertingere patefacit) sed quòd metallorum metamorphosis, seu potius, ut vulgus loquitur, probum auri-
ficium extra hos Aphorismos prorsus impossibile, naturæque directè bellum indicat.

Tria, testificatum est, antiquitus celebrata fuisse impossibilia, avertere Herculi clavam, Jovi intervertere fulmen, Homero versum, quibus qui quartum addiderit, multifariò scilicet Alchymista aurum, argentumque inculpatum effingere posse, mecum tenebit, indè & inscitiae, insipientiaeque minimè purgandos puto, qui lenimen aut pulvillum eorundem cubitis supponunt, sustinentes videlicet, variò, diversimodeque probum aurum & argentum per particularia, ut illi arguunt, construi posse: quoniam sicuti tales quotquot ab instituto & navarcho naturæ recto recedunt, ita quoque oleum omne, operamque perdunt, hydor hydriis stillantibus, Danaidumve doliis hauriunt, &, ut habet dictum, Penelopes pensum resuunt, illud Sisyphi

Sublimabundi saxum, neque proficit hilum.

Ejusmodi enim prorsus irritus est Æolii Senis labor, qui ingens saxum in montem provolvere molitur, ad cujus supercilium dum propius accedit, rursus devolvitur; Quoad hoc ergo omnes Alchymistæ meritò mendacistæ, inanésque fufflones habendi ac censendi, non nisi opera adulterina, foetusque spurios proflantes;

Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra,
Cur ego, si nequeo, ignoroque, poëta salutor?

§. 6.

Consimilia itaque notha portenta, somniæque hâc in æde locum non habebunt, arborum non corrodam cortices, neque stramentitiarum superfluitatum saburras; at ossa conabor, & medullas intimas perscrutabor, nova nec non vetera, quibus facile quisque Artem Antiquorum consequatur, prolaturus; in oraculis vacabo, narrationem Philosophorum Adeptorum conservabo, in
ver-

versutias parabolarum introibo, occulta Philomagorum exquiram, & in absconditis Sibyllarum versabor. Gigantum nostrorum post-nepotes Pelion Ossæ superponemus, ad Jovem propius accessuri, liquatius auribus melos accenturi.

Quia ad hunc solum scopum, unicúmque intuitum hoc metricum composui holiopomenon, cùm, ut Banausorum & Chymicorum plurimi (qui nasum Aristotelis autumant Artem Chymicam, nasum quidem cereum undiquefecus flexilem, ductilémque) ab impensis sumptibus, ac infanis (adsit veriverbio fides) laboribus avocentur; tum vel maximè, ut certificentur singuli, qui hortos hos Hesperidum omni oblectamentorum luxu scatentes, aut pendulos Semiramidis, Adonidis, Alcinoi, Phæaciæ, Mahometisve, paradisos quondam præ delitiarum compendio habitos, ingredi, dumósque hos plusquàm Herculeos tentare & exantlare flagrant, ductore Delio, atque ingenio acerrimo opus habere, Diisque propemodum profatos, ac Theophilos esse debere, hoc est, Dei dilectos, devotósque esse oportere, qui refrænatione externorum sensuum succidant, refecéntque omnia incitamenta malorum, humili mente, & simplici Tonanti obsecundantes, inviolatis ipsius præceptis, in quo totius indubiè philosophicæ navigationis summarium consistit, scilicet ut Christides Creatoris sui continuò sit memor, futuri etiam ævi, & summd studio perpendat præsentis vitæ fugacitatem, cadivitatémque eorum, quæ mundi sunt, cum oculo ad æterna;

Nam opus, quod hîc tangitur, tantæ virtutis est, & energiæ, tôtque prodigiis pollet, ut non in posse volentis, nec currentis, sed in velle miserentis Dei fervetur, hæc utpote Sphingis ænigmata, etiam OEdipis gravissima non nisi intuitu annutúque Altissimi dissolvuntur, qui tantum gazarum impertit & communicat, non ut propudiosè lubricitatem carnis (cujus custos Asmodæus) aut Aphrodisia colamus, non ut in vertice pretiis arcium, Mausoleorúmque, aut Damascenis, Porphyriacis, suffitisve vestibis pollucibiliter niteamus, & volutemur in serico,

co, byſſo, cocco, oſtro : aut auro, gemmĩſve calcaribus, ocreĩſque noſtris fulgentibus effrænes, exleges, & legirupæ ſuper inimicos triumphemus ; neque ut inter maſteas, inter ſyſſitia cum Helio- gabalo & Philoxeno delicatè, aſot-ſque heluemur, iĩſque abuta- mur, at ut utamur juxta jura & dicas juſtitia divina, nec enim ap- paratà & extenſà profundit manu clementiſſimus, dilectionĩſque pleniffimus Deus totius ſublunaris naturæ reditus, hujũſque orbis oblectamenta ad ruinam & excidium eorum, quos nitibundus mor- tis ſuæ talento, & effuſione vivifici, ſacroſanctĩque ſanguinis ſui, è triſtiſſimo tartarei tyranni ſupplicio, in novæ libertatis refrige- rium reſtauravit, & ab ipſo perditionis Erebo, ærumnarũque abyſſo relevit.

Ex quo quidem manifeſtum evadit, quamobrem tot millies mil- libus ad illud OEbalia pellicis pharmacum, Deliaque balnea ac- ceſſus præcludatur, non utique ideo, quòd hoc olochryſum minũs moly calleant (auſim enim mihi, qui vix ſum Philoſophorum cœ- num, & neque ſcientiã, nec ingenii fœlicitate venditare me poſ- ſum, omni ambitionis jaſtantiã ſepoſitã, iſtud inaugurare) ſed propterea, quòd vel mente prædictã purã non auſpicentur, aut ſi ſic fortè, quòd humiliori loco oriundi, quibus ſimilibus vacare ne- gatum; Fruſtrã namque venatum itur ſine canibus, caſſibũſque ac invitã Minervã, piſcatum abſque hamis & retibus, aucupatum extra viſcum, milvũmve, nundinatum ſine maſſupio, aquatum ad puteos citra crateram ; eodem modo inane eſt, & pauperculo quaſi impoſſibile, Baſiliſcum Philoſophicum, ſine divitiarum, quan- tum ſatis eſt, communi inſtrumento, excludere velle :

Nam mare Marſ hominum eſt, Regina Pecunia, nauta
Navigat incertus, qui caret hujus ope. •

Huc inexaturabiles illæ mortalium partes & artes, huc omnes illi indefiniti Gigantei auſus vergunt, tendũtque, hanc uno cuncti ore clamant, & amant;

K

Da

Da Deus hos lætâ loculos turgere monetâ,
 Unicus hic clamor, solus & est hic amor.
 Proin scitè semel Diogenes olim interrogatus, cur aurum palleret? quia multos, respondit, invenit insidiatores,

Utpote sollicitæ tu *mureæ* occasio vitæ es,
 Ob te immaturum mortis adimus iter;
 Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes,
 Sēmina curarum de cute nata tuâ.

Veruntamen, ut rectè in proverbio, *est nervus mundi*, operumque heroorum, ut enim avis non potest evolare implumis, sic neque tyro absque argento;

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
 Res angusta domi, tenuique pecunia panno.

Per quod docere Poëta nōs voluit, quod paupertas sit impedimentum ingeniis excellentibus. Ad doctrinam & virtutem est gravitas, quæ trahit deorsum, nullum pauperie durius est onus, est offendiculum ad honores, ad dignitates;

Nam parent opibus, quas qui conflaverit, ille
 Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam Rex.

Exiens semel, si placet, forum circumspecte, quidquid humanis usibus commodum, congruumque, id omne ære venale est. Officinas ingredi, nundinas contemplare, quidquid oculis delectabile, quidquid cupiditati acceptabile, id omne pecuniâ mercabile.

Tanguntur nares majoris odore lucelli;

Ad diverforium diverte, modò semel sarcina tua argentifona audiatur,

Mox tibi percipies conclavia cuncta patere,
 Olfacto nummo, quasi viso Principe summo,
 Dissiliunt valvæ, nihil auditur, nisi salve.

Quid-

Quidquid deliciarum, quidquid cupediarum, quidquid palato acceptum, etiam ex ultimis finibus terræ, ad tinnitum pecuniarum, ad tacem, tintinnabulumque, quod in tabernis, ad manum advolat;

Massica, Chia, Comata, Mosella, rubella falerna,
Quidvis intrepidè, nummis præsentibus, opta;

Veniet, & eveniet tibi, seu justum, seu injustum, sive rectum, sive curvum.

Mutnegra cum *murva* facient rectissima curva;

Tamet si vel formosas instar Floræ, & auricomas instar Auroræ cuperetis,

Mox erit in vestris formosa corinna lacertis,
Namque & amatores Regina pecunia reddit.

Verissima ergo ista sententia cujusdam, cujus videlicet verba dulci dulciora ambrosiâ: Divitiæ, dicentis, ut impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis; Alius sanè esse atque iterum faciliè alius potuissem ego, ni paupertatis pondere depressus,

Opprobrium magnum paupertas quidlibet urget
Et facere atque pati, respectum perdere cogens,

Præcelsæque bonum virtutis destruit usum:

Simplice me videas natum *Patre*, & in tenui re,

Majores pennas nido extendisse loquëris,

Ut quantum generi demas, virtutibus addas,

Summis multa viris me non facienda patrâsse

Corporis exigui, censûs nullius alumnum:

Pondo premit dextrâ, levâ gestantur at alæ,

Ut me pluma levat, sic grave mergit onus;

Ingenio poteram superas volitare per arces,

Me nisi paupertas dura teneret humi.

Quantumcunque præinde sint quidam philomathæ, & alati, id est, nati, propensi, atque inclinati à naturâ ad hoc, vel ad illud, ac amba-

rum etiam alarum remigio, equis & mulis, toto orbe prosequendo, vehementer eò contendant, in pulvere tamen perpetim Palladis isti togatæ milites hærent, nunquam masculescunt, sed pedetentim reptantes patiuntur duplex cum stadii labore, & cum egestate certamen, vixque unquam gloriæ culmen attingunt, quòd paupertatis onusculo defetiscantur, & præterea Mecœnatum raritate, velut Remeliginibus naves, alioqui velis remisque celerrimè ituræ, retardentur, Partum verò perdifficilem, & ô grave ac ærumnosum pauperium!

Ecce Cleanthes, potiùs Phreantes, Philosophus ille Stoicus, nónne pecuniæ penuriâ, quam in chartam emendam exponeret, cogebatur ea, quæ à Zenone audierat, ossibus boum, testisque fictilibus inscribere?

Similiter Plautus Poëta ille Comicus festivissimus, omni salium laude mactatus, nónne & is ob paupertatem addictus fuit molæ asinariæ, cùmque vacabat ab ea, sine ulla temporis interapedine, fabulas componebat, quas vendebat? idem quoque, *obstrigisco*, fuitque in me multò veriùs, adèò ut meritissimè canere possim,

Pauperibus præceptor ego, quia studui pauper,
Cùm deerant nummi, exponebam indusia venum.

Inquam, éadem quidem exempla multò in me fuisse evidentiora, qui, *nigrescam*, nisi continuo, pérque omnes adolescentinos vitæ meæ annos, præ zelo musarum, plurimas, incredibilisque adversitates, & tenuitates fuerim perpeßus, innumerâque cordolia habuerim, ac quasi aquis tribulationum integer absorptus; congerie calamitatum, plenèque afflictionis mœstitiâ oculi offuscati, noctu & die in profundo Pimplæ fui, solûsque in alienis oris erravi, in campos secedens, ac sub Papilionibus degens, sine re & ære, sine facundo in viâ convenâ, qui pro vehiculo, cùm tamen solatium sit miseris socios habere poenarum.

Immò, modò referre fas est. Antisthenis illo didaculo discipulo
re-

rerum omnium egeno, longè quandoque miserior fui, illi quippe dolium semperdum tornatile, quod ad solium solis herbæ solstitialis instar circumagebatur, reliquum erat, mihi verò, proh dolor! præ nimia sæpiculè mendicitatè, vix porca quædam vinea, sub quam gallina cum pullis suis succubare possit, suppetitavit: erat illi tunica, palliolum, quod superiùs circumsternebat, mendicabulorum supellex stipes, peraque panaria; mihi autem nihil frequenter horum fuit, non modò non visus Diogene, cæterum & quovis pannoso mendiculo pauperior: post temporis aliquantulum, at cum Phrygibus, cœpi statum, casusque meos multum ingemiscere, & vacuas sæpe palmas complodere, pedesque incertis gressibus quaterere, nunc hanc, nunc illam capitis partem, quæ mihi nihil pruriebat, adscalpere, & ore semiclauso singultiens, nescio, quas querimonias ebalbutire, lassus in die angustia meæ gemibundus crebrò tristiore animâ penes me ipsum inclamavi:

Hei mihi! cur unquam didici, librùmque relevi,

Literaque est oculos ulla morata meos!

Alchymia stultus quid inutile tentem?

Res Laris est lauti nulla relicta mihi:

Terræ aridæ colonus sum, ut quid me torqueo? vix, ausim dicere, tot persecutionum adorsibus Alcmenades odio Junonis subactus, quàm ego, modò his, modò aliis impetuosus afflictionum nimbis; accedit, quòd pii, senesque Parentes mei hoc ambo anno ad plures profecti, sinistrè aliquando informati, lugubri oppidatim schemate, quirituosisque suspiriis suis abs rubicundulis madidulisque oculis meis lacrymarum ferventium diduxerint rivulos; O si arboribus ac arvis semel fieret loquela! attestarentur utique, ingravescentibus indies dolorum aculeis, tanquam despectissimum me circumforaneum, virorùmque novissimum, seu trivialem Allobrogem, acriùs quàm Romulidas à Saturnia obraptum Ganymedis Phrygis, divexatum, discruciatum:

K 3

Non

Non si mille mihi lingvæ sint, orâque mille,
Curarum species cunctas perstringere possem,

Verbis valeam adumbrare, nedum enarrare, totum penè meum
vivere flere fuit:

Adversis tot adunatus, quot barbula setas,
Quôtque meum cirrata occiput arma gerit;
Ovula ranarum, formicarûmque bacillos
Vere mihi posses dinumerare prius,
Quàm mala lassatus passim quibus obrutus orbe,
Extera dum lustro sidera solus inops.

Ah quoties ego fletibus uberibus faucius, & ambefus, cæpas ede-
re, in luctu ac planctu heautontimorumenos atque Heraclitus
compertus!

Frigidulo potiùs numerabis gramina Majo,
Multa paludosis sitque ut arundo locis,
Et quot manè vagis culices consultibus errent,
Quôtque micent calido vespere certus eris,
Quàm tibi moerorum notescat creta meorum,
Flore juventutis quos bene passus ego.

Quàm, inquam, credideris, ut multa illo, *Heraclitus*, etymo fue-
rim complexus, verbum verè abbreviatum, ô quot comprehendis!

I nunc, & facias aurum, pretiosâque mille,
Niteris excelsum qui culmen adire Sophorum!

Noxâ itaque meâ, documento, amicis que monitis omnes recipis-
cunto, & ediscunto,

Queis est cunque nimis depressa, & curta supellex,
Rêsque angusta domi, *sapere haut sublimè nimisquam*,
Vitare illam Alchymiam tanquam demessoriam floris adolescen-
tiæ; cum Dædalus & Icaris è Cretâ, aut carcere Minois non evo-
lare,

Si

Si jaceas plano, non erit unde cadas,
Dædalides sublimè nimis dum fertur in auras,
'Dædaleum vitreis murmur adhæsit aquis.

Ni aliis aliquando cum ignomiâ velint esse ludibrio & mancipium, quemadmodum ego nunc, qui videlicet portavi pondus dièi & æstûs, gnavitérque in vineâ vacavi, & jam alter metet, ac quidem largiter, ubi nihil, aut paucissimè saltem infeminavit, inque labores meos introibit; Ego perdius, pernox executus, acconatus, ausus, alteri jam autem pretium, salariûmque sudoris mei, & lucri continget; Ego mellificavi, in coitione, conflictûque semper novissimus, & jam alter erit primus in mellibus meis, prædisque potiundis.

Has ego scirpo rosas, alter sibi sumet odores,
Sic sibi gallinæ non parere ova solent,
Nec vaccæ sibi sic ubera lactis habent;
Sic sibi bombyces non sua fila trahunt,
Sic vos nec vobis bajula fertis equi.

Atqui, præfagio quemquam forsan hîc penes se tacitè tractaturum, semper utpote esse eos, qui subsidiari faciliè possint & velint, modò super re istâ, inter fortunæ ac Minervæ amantiore, candidè communicetur: adstipulari, ex voto Philosophos satis (qui ubicunque omnia secum ferunt,

Et quibus omne solum patria est, ut piscibus unda,
Ut quæ avibus vacuo quidquid in orbe patet)

In occasione tali adeò exiguum requirente, progredi posse: effato Aristippi philosophi, cui, ubi die quodam exegisset mercedem laboris sui à Dionysio Rege Siciliæ talentum auri, quomodo tu, inquit Rex, eum sis philosophus, aurum à me postulas? sapientes tamen locupletat ipsa natura, non videris imitari cæteros, qui aurum & opes aspernando, prædicant, philosophis & sapientibus nihil unquam deesse posse: Respondit ille, tinni mihi primò, quod abs te peto,

peto, talentum auri, & tunc objectioni tuæ satisfidabo, aurum itaque ubi accepit, dixit ; Non mirare Rex, quia Philosophi docent, sapientibus nihil unquam defore posse, rationabiliter hoc ajunt, nam semper, sinéque magna difficultate reperire possunt eos, qui necessitati ipsorum succurrant.

§. 7.

V Erùm hæc & consimilia occlamanti in promptu , suumque manet remonstrandi os, *primò* namque talia nunc non apparent tempora ;

• Terra malos homines nunc educat, atque tenaces,
Verius inverso nunc quælibet ordine fiunt,
Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum nunc habet & fidei, nam raditur Orbe,
Plurima fraus nunc, nulla fides, invertitur Orbis,
Ima simul summis in nequam diruta Mundo,
Inversæ series sunt, status, ordóque rerum,
Dum sincera malis soboles postponitur, & dum
Per cunctos reprobi populi vectantur honores,
Ipso semet agon mundus deluditur ipse.

Fieri hodie videtur in mundo, quemadmodum ævo Salomonico, pluris quippe animalia fiunt, quàm eruditi & literati,

(Oppida ubique canes venerantur, nemo Dianas)

Coctores pluris, quàm Doctores, Arcades pluris, quàm Aristoteles, Glauci, quàm Socrates, scurræ ac audaculi pluris, quàm honesti & verecunduli, quia iniquitas regit Mundum, & hypocrisis imperat, indigni possident dignitates, ignorantes dominantur doctis, sapientes verò reguntur à stultis, & equi judicantur ab asinis: Scelerati stant in culmine, vitia vigent, virtus est vituperio; mendaciloqui, logodædalique laudantur, veritas & honestas exulant: sapientes expectant ante fores divitum, non divites ad ostium sapientum.

En

En it dives eques plaustris rhedisque curulis,
Ponè Plato peditem raptat Aristotelem.

In ædibus opulenti Epulonis canes cæteræque bestię lautè lurcabantur, & misellus ac lacer Lazarus, vir innocentissimus, Deique delitium singulare, ante januam illius lupiens emoriebatur; deterius profectò etiamdum in domo Mundi res peragitur, quàm quondam in Epulonis palatio; nam immites, improbi, impii, qui canum & bestiarum ritu vivunt, cupediis delitiisque redundant, heluantur, epulantur; miticordes verò, Deique servi, pauperes, & humiles præ fame penè pereunt, extremæque necessitate premuntur; Vah ecqua ataxia hæc & dyspraxia in mundo! ecquis abusus, ecquæ turbatio, ecquod chaos! *Fortuna favet fatuis*: inepti potiuntur honoribus, stolidi sustolluntur, adque dignitates decernuntur; authentici autem in infamia & opprobrio vivunt: sapientes abdicantur, & à muniis deturbantur, ignari imperitique adoreis donantur:ardi lenonisque locupletantur, Dædali verò à pileis pedibusque sunt, & sapientes ad extremam decidunt egestatem: equi pro beneficiis sollicitant, at asinis pollicitantur, digni negliguntur, & indigni ut habiles judicantur, inventiones doctorum, proborumque uti nugæ, ut anilia commenta ridentur, & consilia stultorum ut oracula amplectuntur; Mundus próinde nónne optimè democratia baptizari potest, in quâ quisque supremus esse & præesse vult? an non regnum est malè ordinatum sophiæ ac politiæ experts, in quo homines brutales, appetitus qui suos brutorum instar sequuntur, præcipiunt, gubernant, sapientibusque leges præscribunt? Nunquid, inquam, ad vivum, ut verbo perstringam, prostibulum?

In quo Tartareos ob nummos omnia fiunt,
Vix ubi conspicias, qui non tangatur amore

L

Ar

P R Æ L U D I U M

Argenti aut auri, potioris spēve lucelli,
 Quid faciat stultus? sapiens & munere gaudet,
 Ob nummos patitur sibi rumpier hymena virgo,
 Ob nummósque locant ingvina nuda Lupæ.
 Ob nummos Vetulo nubit pulchella puella,
 Junis & ob nummos vir quoque ducit Anum:
 Ob nummos homines animas & corpora vendunt,
 Ob nummósque vides quodlibet orbe geri.

In quo sunt homines sicut limaces, vel illecebræ argentariæ,

<i>Quæ non colunt amorem,</i>	<i>Sed volunt datorem;</i>
<i>Non hamant ocellos,</i>	<i>Sed amant locellos;</i>
<i>Si cares locellis,</i>	<i>Non places ocellis:</i>
<i>Nam tenax glabellis</i>	<i>Est manus puellis.</i>

Tantisper adolescentulum amant fovéntque lubricum,
 Dum porrigit, quod possidet, & possidet quod porrigat;
 Si quid feras, acceptus es, si nil feras, exclusus es,
 Si quid feras, amator es, si nil feras, arator es;

Si bene discutias, facies, non uxor amatur,
 Non glabra pellicula, ast scabra pecuniola:
 Taïda si quis amat, non se, sua credat amari,
 Thaïs amore carens, munus amantis amat:
 Thaïs dorophoris comis, quod si hinnit inanis,
 Thaïs in adversum comprimit usque pedes,
 Curia Mundus, ubi per munera munia dantur,
 Non nummos & opes Hebraïca lingua vocavit,
 Or aurum Galli, prodiit hinc & honor;

Ut vulgare habet Græcorum adagium, *semper prosperè cadunt Iovis
 taxilli.*

Diligitur nemo, nisi cui foeliciter omne,
 Censibus exundans omnibus ille placet:

Pluris enim nunc sunt, quàm prisci temporis ævo,
 Dant vel amicitias, pauper ubique jacet:
 Suntque Diis proclivia cuncta, reclivia cuncta,
 Ad se Magnetes velut omnia Ferrea prænsant,
 Ad se Magnates ita quælibet Aurea raptant,
 Ad se sicque miser quævis fastidiâ captat.

Cum obsecrationibus loquitur pauper, & dives effatur rigide,
 quidquid enim dicunt, quidquid faciunt, ab omnibus laudatur,
 & acceptatur, sive bene, sive malè,

Nemo malus fœlix, quis dives non facit aptè?

Humilis locutus est sensatè, & non est datus ei locus; locuples
 locutus est, & mox omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad
 nubes perducitur, pauper autem locutus est, & dicunt, quis est
 hic? pauperculus ille. Hem mortalium pestilentiam, sed ô
 lerata filiorum Adæ flagitia! accidit, proh dolor, ut divites se-
 deant, pauperes stent retro, toga holoserica ante forum sese ven-
 tilet, lacera ante januam, ante fenestram, claudatur citò lapide
 Lazarus, ut ne foeteat, vel exhalet, nescio quid Asphalticum, aut
 Mephiticum.

Vah probrosa nihil paupertas durius in te,
 Quàm quòd ridiculos homines facis atque rudentes.

Deinde dicendum, nullos habere amicos, qui paupertate obrui-
 tur.

Dilectos mutuò nullos habet ille sodales,
 Qui semper queritur quòd sibi pauca pecus.
 Cur nullus, qui Hecalen, nulla est, quæ diligit Irum,
 Nempe quòd est hic egens, illa quòd esset inops:

Cùm semel sapienti cuidam fuisset dictum, duos, pauperem nimi-
 rum & divitem, summos esse amicos, astutè arguit, hoc esse non
 posse,

posse, quia dives alioquin pauperi opes suas communicaret; quapropter pauper & dives nunquam ritè conspirant,

Non bene conveniunt, nec corde morantur in uno
 Divitis ille puer, pauperis ille puer,
 Si qua voles aptè nubere, nube pari,
 Est id, amicitias & tibi jungè pares.

Quæ enim pars diviti ad pauperem, ecqua communicatio caba-
 bi ad ollam? quod si se colliserint, confringentur; ditiori ita-
 que se focium esse, nihil pejus est, ut evulgavit orbi miraculum
 illud antiquitatis, omniumque Regum Rex Juda justissimus Idu-
 mæus. *Denique*, quòd

Fronti nulla fides, homini sic nulla prophano,

Oportet modernò tempore vulpinari, Archimandritas agere,
 Argi vel Lynceos habere oculos; multi siquidem bilingves, &
 instar Cerberi triffauces sunt: Difficillimum item, ex vultu solo,
 pauculæque conversatione, hominem nôsse, nisi quis fortè fene-
 stellam Momi in pectore gestet, ut spectantia lumina ad cor us-
 que transmittat, sed neque Dii sumus, ut omnia arcana, & præ-
 cipuè humani cordis abyssum perscrutemur, ubi plures, ausim di-
 cere, vertibilitates ac volubilitates sunt, quàm in ipso Euripo,
 quod tamen Euripi fretum, unius duntaxat diei noctisque spatio,
 septies ferunt redire: Plures inquam flexus ac reflexus, quàm in
 quatuor simul Plinii labyrinthis: quinimò nullus Mæander, nul-
 lus labyrinthus adeopere intricatus, adeoque implicitus: nulla
 vorago adeò obcæca, nullum mare adeò profundum, nihil tan-
 dem adeò impenetrabile, adeoque imperforabile, quàm cor hu-
 manum.

Nam inter vias clivias, ambagibusque retortas sine aberratione
 ullâ incedere gravè quidem est & difficile valdè: attamen cum
 personæ, à quibus scitando cognoscere, aliisve conjecturis ad exit-
 um pervenire possumus, reperiantur, sperandum est, nos tan-
 dem

dem evasuros : Enimverò cor humanum diverticulis , anfractibusque plenum, pravum & inscrutabile quotus cognoscet? Quis ergo cogitatione illud superpenetrare, quis perspeculari poterit? quis ab errore ullo audeat vindicare? & quod adhuc pejus, quæ ad viarum directionem constituta sunt signa, sæpe nos ducunt, & seducunt, atque à recta semita abducunt : pulchra enim, gratiosaque facies cor sanè benignum & amabile indicat, sed signum est fraudax, quia fallax gratia, & vana est pulchritudo:

Pelle sub agninâ latitat mens sæpe lupina:

Lingva quidem ut dux hujus semitæ se offert, sed varios connectit & concinnat dolos;

Non tot ventivago stabulantur in æquore monstra,
Quot scelerata dolos lingvæ frequenter obit.

Jam verò, ex omnibus cordis adinventionibus, malæ ægrius cognoscuntur, homo namque, quantum potest, quærit eas semper celare & palliare. Expiscamini semel in deliquia, & huic, alterive malam suam mentem objicite, mox rationum, caussarum, latebrarum, argumentorum, mantelorum mille umbracula in promptu sunt, quibus prava intentio, & vulpinus animus honestissime vestiatur: nulla enim perversitas, nulla astutia rationibus caret, vix vitio ulli suum deest palliolum, nequitia & fallacia penè nullæ non formoso prætextu excusantur, nulli latebrâ suâ destituuntur, nemo non aliquid argumenti obtendit, quod exorbitaverit, omnibus nimirum vasculis suum invenitur operculum, ipso meridie, mero claro tenebræ densissimæ superinducuntur, & dies tam artificioso sæpe noctis schemate involvitur, ut certissimam esse juretis eclipsin, quot autem ejusmodi eclipses, *6 Deus*, hodierno tempore est cernere!

Ævo videlicet nimiumquàm vivitur beato, vix quisquàm sinistrè agit, & intendit, vel sanè nemo se oblucinasse fatetur, &

quamvis fraudulenter, atque etiam nequiter, & perversè fiant plurima, ea tamen speciosissimè semper operculare novimus; nam jam usitati, & notissimi artificii est, justitiæ cercum nasum decoro specillo affigere, culpam à se in alium derivare, quotidiani moris est, crassissima mendacia sincerissimis hominibus obtéxere, frequentissimum; hic fodinas pollicetur tibi aureas, auxilia omnia, nec ferreas semel præstiturus, sed nec digitum aut pedem moturus, quare nihil melius, quàm sua per se curare, vel planè intermittere.

Rem Lapidis reris cum multis posse manere?

Non bene cum sociis Alchymia atque Venus.

Jactanda super solum Dominum cura, & ipse enutriet,

Hunc mutare fidem nunquam palinodia pressit;

Difficillimum enim est in hoc inconstantiae theatro mundo bonos aliquos respirare amicos, sicuti difficile est, in fine Autumni invenire flores primi Veris; quia sæpissimè, qui magnum in nos proferunt favorem, & negotia usquemodò promovere student, nihil sperant, nisi ut omnia pessum eant, sunt sanè amici, quasi conchylia, quæ crescunt, crescente lunâ, deficiente eadem, deficiunt:

Umbra velut sequitur radios per Solis cuntes,

Cum manet hic septus nubibus, illa fugit;

Sic comes est facibus fortunæ mobile vulgus,

Nube quibus tectis, protinus illud abit,

Tempore foelici multi numerantur amici,

Sors dum dextra perit, nullus amicus erit:

Alcornis tumeant si turgida carbasa ventis,

Eque tuo voto prospera cuncta fluant,

Mille tibi socios, centumque videbis amicos,

Cognatus cuivis, ac Dominellus eris,

Ast

Ast ubi fallacis fortunæ Numine verso,
 Læva semel velis flaverit aura tuis,
 Tu qui jam circum fueras tot cinctus amieis,
 Et modò Cognatus qui Dominellus eras,
 Hæc à sola tuis tristanter dicta reportas,
 Fausta dies *bene vir*, cogor abire domum.

Quàm ergo diu tu divitiis affluïs, & torrente fortunæ abundas,
 omnes velut limpidissima aqua ad te invitās, ubi evanuerit, al-
 veum proculant;

Dum favet, & blandis plaudit fortunæ labellis,
 Magnificas ultro cuncta sequuntur opes,
 Quàmque diu fortis fons est stillando liquores,
 Ejus aquas omnes absque quiete petunt.
 Ast ubi defluxit, remanent, nec poscitur ulli,
 Centenis comitum qui modò cinctus erat.
 Scilicet expendunt utilitate fidem,
 Nil si Magne *feras* ibis *Homere foras*.

§. 8.

SEd satis longum jam videmur in his spatiati pratis, ut autem
 & è proprio semel flosculum decerpamus horto: Experimur
 Chymistæ, & est verissimum, quòd maxima sit conformitas au-
 rum inter & argentum vivum, & quidem tanta, ut, cum aurum
 est extra ignem, quocunque etiam loco argentum vivum sit, il-
 lud quasi quærat, quatenus ipsi se uniat, & adhæreat; atverò
 quando illud in fornace vivificamus, & purificamus, hoc in fu-
 mum versum, illud deserit; ita omnino fit in omni hujus orbis
 amicitia, eà siquidem non obstante, cum tu velut aurum in ignem
 tribulationis, adversitatis, vel angustiarum ingrederis, fictus, fucosus-
 que amicus, tanquam Mercurius, inquam, velut alter ille fer-
 vus fugitivus te derelinquit, & in fumum fatiscit, sicque solus
 relinqueris in elibano arumnarum tuarum:

Quoniam verò nostrum subimus viridarium, juvat & alios
 adhuc

adhuc indè depromere flores, cum amicorum par nobile vidisset olim Spagiricæ philosophiæ illud abstrusissimum mare Theophrastus, è quibus unus opibus inundabat, alter verò rerum tenuitate affligebatur, jocabundus ait, *Amici si sunt, quorsum tunc alter ita dives, alter ita inops est?* ostendere volens, ubi sincera sigillatur amicitia, adversitates & prosperitates communes esse debere, nec æquum esse: sed contra amicitiae jura, à divite pauperem & inopulum amicum deferi.

Verus amor miserum nunquam demittet amicū.

Profundiùs hoc succedamus rosetum, videamùsque de amore quid quasi quidam Deus philosophus Plato noster dicat, ille in dialogo amoris ait, *Amor nimietatis est & voluntatis parens*; non equidem satis hìc capio, quod dixit, si *nimietatis*, cur simul statim & *voluntatis est parens*? ego econtrà potiùs dicerem, *Amor voluntatis est & nimietatis parens*: at absit hoc, Plato divinus divinè hìc locutus est, quando dixit, *Amor nimietatis est & voluntatis parens*, quod tantundem est, tanquam protulisset, apud eum, qui veraciter amat, post omnia pro eo, quem diligit, profusa, post omnia ab illius honore & exultatione impenfa & erogata, reliquum manere solùm plura profundendi, impendendi, & erogandi desiderium, idque tam magnum, tamque candidum, ac si nihil profudisset, impendisset, erogasset *nimietatis & voluntatis parens*: Hic, hic est veri, germanique amoris lapis Lydius.

Sed unicum duntaxat adhuc pro fine ac quasi in corollarium Rosario hoc exiturus legam florem. De Heliotropio, cui ob reconditas & stupendas, variàsque naturæ proprietates, Veteres quoque nomina indiderunt diversa, passim notum est, quòd sit Solis amans, ut quem à creperà in creperam, aque primo usque ad occasum ortu, avidis spectare oculis nunquam desinat, tanquam à Solis aspectu vita illius tota pendeat, & hoc illi vivere sit, quòd serenissimum illustrissimùmque istum planetam videat, sed forsan, utrùm tunc solùm ad solem convertitur heliotropium,

pium, cum ab illo pulcherrimâ stellantium radiorum circumvestitur luce? nequaquam, ait, arcanorum fide naturæ curiosus studiosusque observator Plinius; quantula hæc enim benevolentia foret, si splendicantem tantum Phœbum prono capite deveneretur?

Heliotropii miraculum multoties memoravimus cum sole se circumagentis, etiam nubiloso die: quanquam nubes se in medio intraponat, & gratissimi dilucidissimique sideris aspectum, velut summam per invidiam, occultet, ne cernendi cupidissimus illius flos, perspicere ad ipsum possit, sequi nihilominus illud non desistit, sed obnubilo quoque die, cum omnia ventus miscet, medias inter injurias, ad amicum planetam deflectitur, quid ita, quid hoc? respondet Plinius, *tantus sideris amor est*, ex quo fit, ut nubilum non minus, quam serenum prosequatur; Si rutilum admirabilis planetam planta tunc solum sequeretur, cum is illi fulgidus velut arridet, nullum eâ re exortis amicitiae daret argumentum, sed quod die etiam nubiloso, quasi submisso ad reverentiam capite, ad illum quaquaversum acclinat, tamen si tempestas interjectu nubium videre prohibeat, id veri ac sinceri luculentissimum amoris est indicium, *quia tantus sideris amor est*: tacito itaque floris hujus monitu,

A pulsu debet cognosci verus amicus;

Non *dextra*, prosperitatum & foelicitatum, dum quis scilicet fortunâ potitur secundâ & valetudine bonâ, subque prolixo Deo rebus omnibus hujus vitæ affluit, sed à pulsu *levæ*, abque eo, si quis amicum dilexerit constanter, etiam cum illum aversata fuerit fortuna, & bonis omnibus enudaverit, adque excitas redegerit, & in mendicabulorum ordinem dejecerit; hæc integerrima est amicitia, hæc sincera, & quæ magnam mereatur laudem, dilectio, hic lævis lapis Lydius.

Scilicet ut fulvum tentamus in ignibus aurum,

Tempore sic duro est experienda fides.

M

Qui

Qui tibi nudato, tibi suppetiatus egeno,
Hic raros inter dandus amicus erit.

Fallaces sunt enim & falsissimæ hæ tuæ amicitia, quas tibi tempore abundantia reconciliasti, ô vanitatum vanitas, & inanita-
tum inanitas ! has hominum velle curare consuetudines? nugæ sunt meræ, puerorum pulegia, occupatio otiosissima, & fraudibus plenissima,

Qui per vina tibi est, per munera factus amicus,
Hic quod amicitia fidæ sit rerene pectus?
Quærit, amatque scyphos, & vina, & munera, non te,
Si dare desistas, cessabit amicus & iste,
Et pennis abiturum corvi aggredientur hiantes :

De his haud incitè expressit quidam, *Vultures reverà sunt, expectant cadaver, apes volantes ad daples*, cum Vulturum, apumque in morem prædæ pappisque inhient : Hem rem justâ redargutione, ne dicam, Novercali dignam, ô pestem & scelus anathematizandum ! ad quadrimestre vel trimestre cum hirundinibus apud homines nidulari, etiam in domibus pauperum modulari, hyeme autem algidâ appropinquante, homines derelinquere, & tanquam adulatores, tempore tentationis abscedere ! Atque sic à planta pedis usque ad cacumen capitis mendacii argumenta mille in homine reperies ;

Tu quicumque igitur, noli confidere Mundo,
Labere fallaci si geris Orbe pedem.

Fides siquidem rara est in mundo, & amicus verus, qui omni tempore diligit, ut rarus, sic carus,

Rarus homo terris, qui verus habendus amicus,

Quin imò. ut unicâ voce vadum videre valeatis, Omnia mendacium sunt veritatis colore fucata. Obite orbem & inspicite, plenissi-

nissimus est simulatione, dolis, hypocrisi, fraudibus, mendaciis, larvis, mangonicis personatorum gregibus repleta ubique omnia, verborum & cæremoniarum nullibi non plurimum est, parum charitatis & fidei, verba speciosa, cæremoniæ blandæ sunt, sed cor amarum natat felle : Non igitur immeritò hæc hypocrisium officina mundus in sacra scriptura dissimulator, mendax, & impostor baptizatur, quia exteriori facie pulchra sanè omnia, blanda, sinceræque ostentat, atqui emptorem circumvenit, cùm intus sceditatem, fastidium, fucum, mendaciùmque tegat, *vah vaser orbis!* Et certè, an non re ipsâ id mihi non rarò accidit, & expertus fui? præcipuè verò, cùm anno Domini 1657 Amstelodamum in Hollandiam, & 1662 Londinum in Angliam appulisssem, viaticoque meo, quod fuerat tenue, propemodum absumpto (nec, unde lucrarer sumptum, scirem,

Nam non rarus eram gallinæ filius albæ,

Instar hirundinis tempus vernum prævenientis,

Cui fuerat sat abundè res non victa labore,

Sed relicta) publicè per urbem schedas, in Physicochymicis me operam exerciturum, hæc affigi curâsssem formulâ.

PARÆNESIS ad PHILOSOPHIÆ

A L U M N O S.

1. **N**on legitur à divina munificentia majus emanâsse donum sapientiâ, quapropter antiquitùs ipsa, præ omnibus hujus mundi divitiis, maximo semper habita æstimo, & expetita fuit, ut liquidò è monumentis philosophorum antiquorum (qui de divino Magico, coelestis suæ Artis veraci antiquitate, inviolatâ veritate, & singulari nobilitate, mirificaque præstantiâ, cum miraculosis & ineffabilibus conjunctâ fructibus, prolixum instituerunt sermonem) innotescit, atque colligere est.

M 2

2. Vesti-

2. Vestigiis igitur prædecessorum, Senúmque nostrorum insiſtendo, ſimplici hâc animadverſione notificare volui, vetuſtorum me dicta Magorum orthodoxis, lectiſque ingeniis interpretari velle, ſuper myſtico eorum, veriſſimo tamen, ſenſu, quem æternis typis, allegoriis, parabolis, periphrasiſque oblectum obvelatum iverunt; quæ eſt ſubſtantia illa temperata, quam non poteſt ignis violentia ſeparare, nec terræ fæculentia deſœdare, nec aquæ limofitas alterare, nec contactus aëris obumbrare, quâ omne corpus edurum molleſcit, & molle indureſcit, & fugitivum figitur, fœdúmque colluſtratur candore mirabili; quæ dicta eſt à patre & philoſophorum prophetâ, *totius fortitudinis fortitudo fortis*, quæ itidem eſt illa veritas occultata à poëtis, nominatim in fabula Gorgonis, Jaſonis, & Medæ de Aureo Vellere, éſtque de natura Solis, cor, & forma, & flos Solis, & Arbor Aurea, de qua ſi fructus auellantur, novi ilicèt recreſcunt; & hic eſt iconiſmus ille luteus, qui ſemper in igne dureſcit, & hæc imago illa cerea, quæ in eodem liqueſcit,

Ut lutum dureſcit, odorâque cera liqueſcit

Uno, & eodem igne, inſummâ, hoc eſt illud forte & fortiſſimum, quod omnia vincit, & ad ſe trahit; hocque eſt illud ſeparatum à ſuo corpore, de quo tanta mirabilia philoſophi, prophetæ, poëtæ, reliquique cecinerunt.

3. Eja igitur *doctrinæ filii, pergite*, jam, jam inquam, janua conſueta, ad ſtupenda & abſtruſa naturæ percipienda, temerè accedite, cæſoque ut alter ſuſtulit Aurea cuſtode victor Mala Tyrrinthius; ita evictio langvore ſordido, diſpulſiſque inſcitæ caſtris, unâ mecum è portu ſolvite: erunt enim verba mea, tanquam verba ſapientis, conſolutioneſque meæ novæ & inauditæ, certæque veritatum in hac materia determinationes.

4. Cæterum præter hæc jam enarrata, quæ concernunt Philoſophiam philoſophorum primorum ſuper ſecreto ſecretorum, erudit quoque præſentator hujus diſcipulos in philoſophia; qualis

lis in universitatibus dictari consuevit: Poterunt itaque Domini, mercatores, mercatorumque filii huic se magistro insinuare, expensisque magnis, quæ liberos foras ad academias amandandos comitari solent, supersedere, cuique fiet ex beneplacito suo, taliaque audient, qualia se nunquam, ab orbe condito, à quovis publicè doceri audisse spontè fatebuntur &c.

PROTREPTICO-MELOS

AD

PHILOMUSOS.

1. **S**icut in exigua pictor quandoque tabella
 Unversas properâ lineat arte plagas.
 Aureus Eois oritur quâ Cynthius undis,
 Occiduoque suum supprimit amne jubar:
 Sic &, *nestarei Musarum roris Alunni*,
 Quælibet Aonii muneris acta mei
 Hâcce repentinâ, vilique studebo schedellâ
 Poplite declivis rumigerare genu.
 Pulcher ab accinctis redivivus Apollo caballis,
 Pulcher & effoetis cum juga laxat equis;
 Pulchra Venus rosei quum lucet nuntia Phœbi,
 Pulchrâque cygnêis Cynthia vecta rotis:
 Pulchrrior at quævis præstans sapientia visa,
 Pulchra quid à semet sola feratur habens;

Hoc uno hæsitans Herillus, sapientiam ultimum bonum esse defendit, nec rem ullam aliam per se expetendam, condécens conveniènsque censens, quatenus propter se solam amaretur;

Ipsa quidem sophia sibimet pulcherrima merces, &c.

M 3

2. Quem-

2. Quemadmodum ergo fieri amat inter indigenas, aut qui sunt quâpiam probè in urbe noti, rariùs scripto, vel pagellis quæstuari, nec ullis negotii sui situm philyraceis indiciis auspicari, ex parte, quòd quisque eorum satis seria noscat, partim & propter illubentiam, seu veriùs pudibundæ mentis tumentiam, quia semper proprio in patrio stridet, quod hospito, vel alieno ridet; Sic ediversò exterorum ea est consuetudo advenarum, ut, quamprimùm crepidinem allamberint, focùmque aut locum, quò an-navigabant, attrigerint, plurifariis cominùs consultis, coeptisve vitæ suæ partes significant; nonnulli choragiis, corollis, nonnemines foris, loculis, aliquammulti etiam (quos videlicet prolixius fortunæ Numen afflavit) literis demùm recommendatitiis ad amicos, ad antiquos: compendiariò nemini non quàm contentissimè studetur, ut statùs sui aleam promoveat.

3. Quando ego itaque litatò, ac sinistro, uti timeo, auræ aucupio, nuperrimè huc, sed prorsus peregrinus appuli, & nundini mei conditio de more vulgi negotiari vetet, atque vicissim patronis caream, nec fautores, qui causam ferverescere faciant, habeam, schedulis his haut intempestivè, neque tamen arbitrato, verùm potiùs uti fato strictus, Meccœnatum vice, utor, inque horum hypothecam illas succenturio.

4. Quibus quidem membranulis omnibus Artis amatoribus hîc operam meam vendito, &c. Sic volante calamo subtexit triduanus Britannici sideris hospes &c. Cumprimis ab honore Dei gloriosi & excelsi, deinde à servitio quorumlibet eorum, qui opem nostrâ egere possint, sive in philosophicis, philomagicis, & mysteriis naturæ reconditoribus, sive etiam juvenatâ ingenioli nostri bolidè solidè imbuendâ:

Nobilitatis avos in se doctrina reservat. &c.

§. 9.

AD hæc plurimi nasuti homines, obscuri, duplices, & profundi corde, nodos in scirpo quærentes, speculativi, animum machi-

machinationibus tegentes, sensum verbis velantes, quibus nimium fortè otii erat, venerunt, occurrerunt, gratiam meam prænatum, in partes suas tractum, ac sibi devinctum prece, sed non pretio, salutatum, gratulatum, colacum instar palpatum, palliatæ assentationis poppyfmate blanditum,

Ajentes nostri Regni conscende cubile,
Solvere mercedem nemo, omnes scire volebant.

Sperantes scilicet piscari aut venari sub favore meo, Ovo se ovem captaturos aut bovem, qualiter faciunt Monachi, Prædicutii, & id genus alutati alii, qui nihilum nidoris à se sinunt provenire, nisi videant genua græca, dextrâsque dativas, in suggesto sanè stentantur omnia *gratis*, at domi dativo casu, imitantur enim hamos dona,

Munera magna quidem spondebant, munia magna,
Perfida sed dulci sub melle loquela latebat.

Cùm autem paullò post, fama hæc esenuisset, ac omnis iste clamor & amor in ventum fumumque dispersus, mox salutationes etiam glacie gelidiores, calendis coeperunt esse rariores, deticuit dulcedo citharæ, canesque cevere,

Sirenum cessare melos, pocellâque Circes,

Buccinas, sonosque lyræ illorum non ampliùs audivi, nec candidis chirothecis dotatus! O fidos Amicos frontetenus, sed fycophantas & assentores cute, cordetenusque corvos, ac veros Vultures! & sic comperi pro fine,

Quòd, *brevis est*, verum, *magni fortuna favoris*,

At hem Heraclite, quò progredieris? delabi alioversum videris, protinus regrediendum, quod si namque de hodieporico, vitâque meâ incepero, Iliadem facilè complevero: quamvis enim invernantis, vegetæque adhuc ætatis flore constitutus, perpeffione
tamen

tamen molestiarum, & experiētiā mundanarum larvarum poly-
tropum vel sexagintarium indubiè exæquabo & superannabo ;
nam in miseriis totā vitā meā luctatus sum, Scyllæam quasi ra-
biem, & Cyclopæa saxa expertus,

Postremus pullus satus infœlicibus ovis,
Tot nostrā tulimus Lernas ætate malorum,
Ignea stelligero quot in æthere sidera lucent :
Tótque jocos passus, species quot in æquore nantes,
Et quot ad Oceanum rivi, quot flumina vadunt ;

Si hæc in viridi ligno, in arido quid fiet ? Verè manus Domini
tetigit me, castigavit, cicuravit, & eruditus sum tanquam juven-
culus indomitus,

Pernimis afflictus, quia crimina plurima feci,
Per proprias vibrata manus hinc spicula pendo :
Sed quorsus funduntur inanes hæce querelæ ?
Post tenebras spera lucem, post nubila Phœbum,
Casibus adversis agitatam luminat ævum,
Attritūque novo tribulatum robur adauget,
Et pressum meliùs deterfo candicat ore,
Flebile ut incoëptum melior fortuna secundat,

Quam tamen, *disperream*, credite mi hoc, etiamsi forsan antea, ad
cordis vadum loquor, nunc nō expeto.

Non ego nunc avidus *murva* sine fine parandi,
Abstrusum Chymix ignibus æquor aro ;
Nec peto, quæ quondam juvenis, secreta, petivi,
Vincentem Lapidem cruda metalla Sophūm ;
Nunc portum teneo, spes & fortuna valet,
Ludite nunc alios, sat quia lusus ego,

Ego non sum jam, qui fueram, amplius ego.

Assyriis mensas exstructas luxibus odi,
De viridi philyrā nexa corona jacet.

Ego

Ego nunc prorsus Diogenizo, & omnia rideo, sūsque deque habeo, ut Diogenes, qui interrogatus aliquando ab Alexandro, num quid à se velleret; nihil inquit aliud, nisi ut à sole paululum declines, qui apricanti mihi umbram facis importunam; quo responso adeò ferunt Alexandrum delectatum, ut reversus ad suos dixerit, Diogenem se esse velle, si Alexander non esset. Sic multis penitus paradoxa; imò inintelligibilia visa sunt, lautissimas conditiones offerentibus nihil respondisse me aliud, *quàm ut modicam abessent à lumine*, hoc est, placere mihi meo me vivere modo;

Idque vel maximè propterea, quòd rem nullam esse scirem, quantum vis utilissima, gloriosissima, & jucundissima ea sit, in qua cor hominis quiescat, præterquam in solo Deo; Ex quo occasionem mihi sumere bene posse videor quæstionis hujus perpici hinc proponendæ, cur scilicet Deus, rebus cæteris conditis, hominem condiderit? creaverat cælos, eosque angelis repleverat, terram quoque, in quam animalia immisit; aërem, quem avibus appropriavit; & ubi omnia jam condidisset, tum demùm creavit hominem; eccur autem obsecrò Domine partem adeò nobilem, tantæque dignitatis jam condis, cum nullus è creatis locus, quem illi attribuas, & in quo commoretur, supersit? Ubinam igitur hominem collocabis? quem locum occupabit? quod subiturus elementum? anne cœlo inferes? sed refragabuntur angeli, sibi clamantes cœlum esse destinatum, an in aërem transferes? at volucres oblectabuntur; in mari ergo habitabit? at non ferent pisces, terramne incolet? at obstabunt animalia, cedo igitur exhæres homo, quid tibi futurum est? ne quid verò nimis, stete nonnihil, causam sentietis.

Voluit nimirum Creator omnium Deus, rebus jam cæteris conditis, locoque dispositis, ad extremum condere hominem, ut ostenderet, se unum hominis hæreditatem, & possessionem, se quoque solum hominis esse centrum, in quo feriari eum oporteat, si requiem animæ suæ velit invenire; at quid ita? quomodo

N

hoc?

hoc? qualis hæc philosophia? Quid res habeat in suo centro? tria respondet meus ab auribus; quietem, conservationem & unionem, omnia nimirum in suo centro quiescunt, sospitantur ac uniuntur, hinc pleno succlamat gutture Dei delitium, Doctórumque decus: *Fecisti me Domine ad te, & inquietum est cor meum, donec resideat in te!* Verba verò emphatica, & turgida spiritali venâ, quorum dum occasionem sagacis mentis examine pertractamus, videmus quòd res omnis in solo suo centro otietur, nihilque, donec inditum suum finem adipiscatur, contentum sit, universa enim divinæ bonitatis opera circularia sunt & perfectâ, ad ipsum, à quo prodierunt, rotata sphaericè.

Ab initio, ante creationis suæ primordium, naturam cunctis præponens Deus, fecit corpora simplicia quatuor, ex quibus constituit postea corpora quæque mixta, mixtorum verò quædam fecit intellectiva, quædam sensitiva & vegetabilia, quædam intellectiva tantum; quædam autem solum ex raritate elementorum creavit, & ideo jam gratiâ hujus, inquietum est cor nostrum, quoad veniamus ad ipsum; nam omnium elementorum raritas ascendit ad ignem, qui est super stellas, idcirco ergo & nos, ab illâ eadem conditi, meritò sursum tendimus ad Deum, tanquam ad unum principium; sensitiva verò cuncta, nec non vegetabilia de spissitudine elementorum effecta in specie distinguuntur diversa, cum dissolvuntur per mortem, non immerito revolvuntur ad terram & aquam, veluti ad matrem suam, spissitudo quippe elementorum naturaliter continuo tendat deorsum ad centrum suum, videlicet terram, quemadmodum infernus hic noster ignis semper serpit sursum, usquequò attingat elementarem sibi cognatum; Sic studiis totus incumbit philosophus, quousque scientiam obtineat; properat illudque sol, usquequò ab Oriente in Occidentem perveniat. Vadunt sinuosi amores, quoad in Oceanum, cui sunt tributarii, deveniant. Insumma, res quævis naturaliter inclinatur ad suum scopum, quo habito, in eo quiescit; quare cum cordis nostri centrum solus sit totius ille universi Conditor, æternus,

termus, & optimus Deus, & cor nostrum sanctissimæ sit imago
Triados, bonique, ad quod creatum est, capax infiniti, quidni, si
inquires, usquequò ad eum, qui fecit illud ad se? quidni porro
omnem affectum, amorem omnem, totum cor nostrum in nobi-
lissimum anathema, in monumentum, pignusque amoris appen-
damus? in fano Fauni, haud procul ab amne Lethæo, legisse me
memini hanc inscriptionem ænigmaticam;

Semicyclum, sphæram, primamque in nomine Roma
Exigit à nobis Divinus Conditor orbis.

Legi idem & alibi alio modo sic.

Tolle caput canis ac ovīs, atque viscera cervi;

Ista Deoque lites, indè beatus eris.

Quæ nil aliud denotant, me quidem interprete, quàm Deum
cor nostrum sibi deponere, nam quot habet vorago hæc navigan-
tium, Syrtimque mæander Mundus desiderabilia, toridem &
reperire est inexplabilia.

Testis es infatigabilibus qui faucibus aurum

Opræsti nimia calliditate Mida.

Testis, qui duplices clamando Nestoris annos

Euclio, congestas grunniit inter opes.

Quemadmodum enim equo non satisfacit, si ossium plaustrum præ-
sepio immittimus, nec canis, si amplum fœni præter assignamus,
propterea quòd ossa equo non est cibus suus, & fœnum cani, sic
penitus eodem modo, mens hominis nunquam exatiabitur re
aliqua creatâ, quia nulla ipsi cibus proprius est, sed solus Deus;
Nam animus noster, sive cor nostrum trigonale est, seu triangul-
lare, unde sphærico mundo satiari non potest, sed solâ compari
sibi, similique triade, quod hæc decretoriâ, at tritâ, explanabo hi-
storiolâ.

Philippus Rex Macedo in dapali solennique convivio, ad quod

N 2

inter

inter Optimates, complures ingenio, doctrinâque præcellentes asciti philosophi, ut animum paulisper oblectaret suum, eorûmque scientiam expiscaretur, hanc illis quæstionem, seu problema disceptandum, discutiendûmque præstituit, *Quid rerum omnium in natura maximum esset?* hîc arrectis auribus omnes ac animis, quidam ajunt montem Olympum, quem stadiis perhibent altum decem;

Arduus ætherias nubes transcendit Olympus:

Quem, subjungit *alter*, si de montium sublimitate controversia est, longè Atlas exuperat, qui nimirum, non solum regionem

Aëriam primam, sed toto hoc vertice supra

In viciniam Lunaris circuli educitur, &

Cælum ipsum firmamenti fulcire videtur,

Tangeréque assiduè stellas, quia maximus Atlas

Axem humeris torquet stellis ardentibus aptum.

Tertius quid majus excogitaverat totâ terrâ, nempe aquam, quæ tellurem universam primò circumdedit, & ambivit: *quartus* demùm papagallum jaculaturum se ratus, rerum omnium maximum solem pronuntiavit, utpote qui centies sexagesies sexies universum magnitudine exuperat: atqui verò *quintus* proximè veritati locutus est, dum cor hominis rerum omnium maximum, capacissimûmque protulit, quod in pullo illo Martis Alexandro ejus filio re ipsâ comprobabat; hic enim, cum aliquando Aristarchum audisset docentem, plures esse Mundos, lacrymis legem dicere non potuit, quòd nondum unum subegisset, adeò ut præceptorem ejus Aristotelem libellum facere de monocosmo, necessum fuerit, quo tamen jam subjugato, cor ejus Universo capacius, pluribus inhiabat:

I nunc dementans, lupiènsque faceffe per alpes,

Ut pueris placeas, & declamatio fias,

Unus

Unus Pellæo juveni non sufficit Orbis.

Imò nec mille mundi cor humanum exaturare possunt, quia hoc capacitatis est infinitæ; istud autem quò leniùs in aures animùm-que admittatur, capite theoraculum tintinans: *Cor humanum in ærigrine aternitatis non fixum, nunquam satiabile & stabile potest esse, sed omni volubilitate volubilius de uno transit in aliud, querens requiem, ubi non est*: Sibyllina fanè dicta, verbâque pensiculatu dignissima! verùm dissuadentia in mari amoris terreni hujus mortalitatis domicilii anchoram navis cordis nostri firmare, quia error est irridiculus, si putemus, hæc temporalia & momentanea non quietare posse,

Non pretiis tranquilla, beatâque vita metallis,

Aut mercibus paratur Indicis: *Animadvertite ut perpetuo, totòque æonamine querat homo adherere illecebris hujus vitæ, tanquam bono repletivo, satiativo & quietativo, unde tamen non nisi laborem, anxietatem, dolorem & inquietudinem reportat*; O coelestium certitudo verborum! quorum si quis fortè veritatem devotæ mentis lance in dubium vocet, consulat ipsos

Lenarum, Venerisq[ue] procos anagrammate porcos,

Ardenti libidinis scabie exæstuentes, testes non alios compellat, quàm ipsos cosmophilos, mundique sectatores, ingeminantes illud sapientiæ quinto, *Ambulavimus vias difficiles, vias fastidibiles*; fastidium autem hoc undenam ortum habet? ex strophis & technis hujus mundi, qui instar Dædali, Regisq[ue] Minois Labyrinthi, proclivem habet ingressum, egressum verò improclivem, perlaboriosumque, maximè si in Minotauri ungulas incidebat ingrediens; hanc ob difficultatem, periculùmque, locus iste, opinor, Labyrinthus vocabatur, quod bene interpretatur, *Labor intus*:

Non Labyrinthus enim, sed *Labor intus* erat.

Per subtiliter ædè pol commentatum , quia hoc stimulum stadium , discriminumque æquor Mundus aptè Labyrinthus nuncupatur , cum totus sit *labor intus* ; Politicæ civilisque dignitates etiam si quietem nobis multam videantur polliceri , mentiuntur , quia sæculi hujus prospera sunt fortunæ mendacia , sis multis & titulis , imaginibusque illustris , multâ armorum gloria celebris , vario disciplinarum genere , doctrinæque supellectile probè imbutus ,

Divite progenie cum prisco natus Iano.

Verissimum tamen pro coronide comperies illud lemma , *labor latet intus* :

Sub tonitru multo Summates atque tumultu.

§. 10.

UNde Rex Demetrius , noctis nimborum mundi , fraudum , undarumque gnarus , præ cæteris dicere solebat , quod , si quis nôsset , quàm grave foret sustinere sceptrum , & quæ sub Regum gradibus ærumnæ , anxietates , inquietudinesque stabulent , vix quisquam è plebeculâ haberi queat , modò aliquanta eidem salutis , quietisve suæ sit ratio , qui Regnum ambiret , imperium acceptaret , imò vel è terrâ diadema tolleret , *Quis enim in honore sine dolore , in prælatione sine tribulatione , in sublimitate sine difficultate esse poterit ?* Quod jam verò insignis ille Rex de regno , hoc utique in omnibus hujus vitæ lenociniis usurpandum , & plenis faucibus exclamandum ,

Ut grave servitium solvit levidense lucellum !

Contuere cor humanum ab ortu solis usque ad occasum has mundi nundinas perambulare , alios favorabilis aura suavitatis captari , alios voluptates sectari , alios post divitias palari , quæ cum labore acquiruntur , cum timore possidentur , cum dolore amittuntur : Verba mehercule magnifica ! O ergo Cosmocortisani erratis , penitusque labatis , dum vos cordatè

datè agere putatis ; vobis quippe consvaderis , magnam esse in re hujus mundi agendâ, honoribus dignitatibusque comparandis, voluptatibus sectandis, divitiis corradendis , prudentiam ac sapientiam sitam, creditis civilitatem, elegantiamque esse insignem, sodalitia atque consortia hominum frequentare, & palàm esse comem ; dies jucundè, lætèque traducere, luxuriari, nec non voluptates venari, honestatem esse, denique ridere, tripudiare, jocari, gaudere, veram esse hominis vitam , & hæc qui non facit, non posse illum cum hominibus versari. Sed phy ! hem vos Phæaces, & amentes mundi clientes, cæcultatis, conceptus vestri inanes sunt, & prudentia falsa, quia non nisi *labor latet intus*,

Vanida duntaxat quædam simulacra salutum.

Divitiarum etiam possessionem, auri argentique affluentiam dulcem & mulsam sibi futuram facilè svadent illam ardentè concupiscentes, ac mentiuntur, sùntque solum *labor intus*,

Retia gestantes hamatis plena salèbris ;

Veritate ipsâ, magno illo mundi Æsculapio Christo Domino contestante, *Divitias* scilicet *spinas esse pungentes* ; Licèt eapropter nostræ cellæ, cloacæ, fenestræ, domus, omnia aurea appareant, lutea tamen sunt & sordida, quale fuit olim Babylonicum illud idolum Bel, quod totum videbatur aureum, cùm tantùm tale extus appareret, intus uerò foret luteum, quem dolum Daniel divinorum ille arcanorum interpretes detexit, *Ne erres Rex*, inquit, *iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus aureus*,

Bel erat externè nitidissimus, undique tectus

Ære, sed intus erat non nisi vile lutum.

Arundines ac cannæ in palustribus, uliginosisque locis crescentes, prætereuntium oculos pulchritudine & externo virore ad se rapiunt ; quod si autem aperiantur, inanes sunt, oculisque displicent : Hui quale mysterium, & ut oportunitate rei, quam tractamus !

mus! annon enim mundus eodem omnino modo non nisi cœnosa & obscœnè olens palus est? cujus honores & opes cannæ sunt, arundinésque, extus quidem splendidæ, pulchræque, sed tantum specietenus, cùm intus

Grande nihil sint, illarúmque imponat imago,

Omne quod Orbe vides, grande merúmque nihil:

Plurima talia ubivis gentium terrarúmque visuntur illustria oculorum, sensuúmque irritamenta; multa, magnæque pulchritudinis nativæ miracula: Quotus enim nescit, alibi spectari nemorum viridaria amœnissima, hortorúmque pullulantia prata, in quibus passim, aut rosarum ardentium purpura, aut violæ vernantis gratia, aut uvæ livescentis vindemia commendantur; alibi pubescentium florum areolas, liliorúmve nives æstimari; hîc Sapientum Lapidis Auratilem Pulvisculum discupi, illic auri gravissimi pallores blandiri, ibi argenti divites venas, galenásque adulari, Jam & unionum candentium, coruscantiumque pondera, ac gemmarum, baccarúmque scintillantium pretia quid nobis aliud videntur, quàm uberrimæ venustatis, voluptatisque argumenta? & tamen, vah! hæc omnia qualiacunque tandem sint, meræ picturæ, inanésque aliquot ficturæ sunt; *non nisi squalore & labore intus latente.*

Nam tota hæc vita nostra nil præter mendax somnium est, in qua non nisi dormimus, & dormiendo aliud præter inanes, falsæque imagines non videmus, mors autem ipsa est expergefatrix, quæ oculos nobis aperiens, rerum quoque omnium veritatem discludit & revelat, quódque inter dormiendum bonum, voluptatem, honestatem, jubilum, jucunditatémque putabamus, ubi mors nos ipsa excitárit, nil nisi malum, dolorem, laborem, ærumnam, infamiam, & opprobrium esse cognoscemus: Próinde cùm in delitiarum lecto decumbimus, voluptatúmque plumis indormimus, mens nostra mira sibi fingit phantasmata, videmur quippe nobis divites, sublimes, foelices, ac mortalium beatissimi, verum ubi nos suprema illa Morta semel suscitaverit, veritatem

agno-

agnoscemus, & omnia, quæ habere nos rebamur, non nisi inani
 aliquot, fallax somnium, Chimærasque extitisse, videbimus, &

Quod præter larvas, simulacraque vanida rerum
 Nil toto liceat Mundi reperire Theatro.

Ah anima mea! hæc profundiori semper pectore ponderares, uti-
 nam hujusmodi cogitationes nunquam memoriâ tuâ exciderent,
 ut sincerè tunc, ut securè, quietèque viveres, quantum fellis, aloës,
 aceti, & amaritudinis in illis, quæ te modò ita oblectant, & in
 quibus tantum credis latere mellis, reperires! ut repentè ab æ-
 rumnosa hac vita, quam modò tam perditè amas, tam deperis, ac
 velut idolum colis, diverteres! in mortis scilicet horulâ, inquam
 in illo æternæ salutis punctistitio, in illo, quo vita & mors distin-
 guitur, momento, anima mea deprehendes, quod fuisset multò
 satius, centuplò salubrius, milleplò melius soli Deo tuo servasse,
 auscultasse, quàm tempus pretiosum vanitatibus, & inanibus illud
 impendisse curis;

Quid tua subtilis tibi tunc doctrina metallum

Proderit, aut Chymiaæ prodere posse minam?

Carnis denique petulantiam, libidinososque actus amentes aman-
 tes saccharo & melle sibi confvadent dulciores; Omnia ridicula-
 ria hi cortisani agitant, sermocinationes imprimis hilares, illices,
 amabiles hinc indè inter illos proveniunt, quor scilicet Venus
 pingatur nuda? quid puerulus insit oculis? quid desighent tela
 Cupidinis?

Quid notet hamatis manus exarmata sagittis,

Gnossiaque ex humeris ritè pharètra jacens?

Similiaque egregia adagia, ibi & subinde sermo trahitur super
 constitutione microcosmi, ex libris de generatione & corruptio-
 ne, juxta physicam Aristotelis,

Quæ caput, ac oculos, & labra rubella puellæ,

Quæque canit, soleant ut molliter ire verenda:

Unica enim hæc nobis arridet philosophia,

O,

Hujus

Hujus & appetimus solùm replicásque plicásque,
 Nec retrahet nos dæmon ab his, ejúsve noverca,
 Unica mens nobis hæc tantùm gaudia nôsse,
 Viveréque in tali, cum tali occumbere turbâ:
 Ipso contingat Veneris langvescere motu,
 Fatáque clausuri medio solvamur in actu.

At, ô vos profundi Venerimystæ & Asmodæi Nobilistæ! calvi-
 mini,

Carnis delectamina non nisi carnificina,

Emoriuntur, gravitérque mentiuntur,

Ah operam carnem non exaturabis ad istam

Luctifico ludens Cypridis orbe puer!

Hic enim, hic inquam maximus *latet labor*, & *squalor intus*, id ex-
 perti, qui supremo spiritu infames suas Helenas, Bolenas, Lenas
 celebraverunt, túque sub Veneris vexillo antesignane, qui extre-
 mo halitu Cornelias, Hostias, & Cynthias hias, jámque candelam
 manu tenens succinis,

Cynthia me miserum primò læstavit ocellis,

Contactum Veneris nullius antè face.

Cynthia lævorem, nec neminis optat amorem,

Continuò nostros ponderat illa sinus,

Cynthia sola placet, nunquamnon sola placebit,

Cujus in amplexu morte perire juvat.

Laus etenim est, in amore mori, laus altera, possim

Si Phintis fruier solus amore meæ:

Quando meos igitur mors invida claudet ocellos,

Reliquias capias Cynthia sola meas;

Nam neque amare aliam, neque ab hac discedere dignum,

Cynthia quæ vitâ, Cynthia morte melos.

Consimilem & *intus laborem* angorémque experieris, cùm tu ob-
 servas

servas caliginem adulter, prospiciens per fenestras, per cancellos,
cùm malè agens odis lucem,

Vestéque sublatà dulce faceffis opus:

Nunc cum hac, nunc cum illa meretricula, hodie cum Laide, eras
cum Thaide, manè cum Cyprica aliqua, vesperì cum Corinthia,
mortique vicinus, ac fato jam jam concessurus, amoroso amasiam
tuam nictu & nutu insonando aspicias,

O mea Christina, quàm sæpe coivimus unà,

Siccine nunc separat amara mors! cùm inquam Alexandram
agens Pamphilum ad cubiculi secretiora perducis, vagaque libi-
dine equiens, catellarum instar, Atticos, Ægyptiosque omnes
procos cum Clytæmnestra admittis,

Stans cuivis carnali perterebrabilis ense:

Cùm Actæone multò pejor per rimam observas in balneo nu-
dam cum sororibus nymphis sine veste Dianam, tibi que tacitè
applacendo canis,

Ludicer ô nudè cum nudâ ludere lude!

Cùm demùm duos senes imitatus in horto, Susannæ in fonte la-
vanti ais, Ostia pomerii clausa sunt, & nemo nos videt,

Dulce finis bellæ jam ventris inibo puellæ:

Vah autem abominatio, & mera, intolerabilisque stultitia! cùm
senes niventes illi vertices, atque albentia tempora, qui cùm ad
occasum vitæ vergant, ad auroram respiciunt, ac juvenum more
lasciunt: Sufferendum quidem aliquousque foret, si in flore-
tatis constituti, aut jam vesticipes, ad Orientem juventutis
oculos acclinarent; ast incana illa capita & silicernia, quæ tan-
to jam itinere à matuta vitæ retroierunt, morti vicinos, alte-
rùmque quodammodo pedem in cymba Charontis habentes, lu-
mina ad Orientem adhuc convertere, deplorandum est: Sene-

ciones sub vitæ terminum floribus & corollis redimitos incedere, longius vitæ spatium sibi pollicentes, fasciculo uti naribus applicito manifestum faciunt, irridiculum est, satius ad Occidentem oculos inflecte veterane & recane senex:

Ducere grandævi reprobantur aratra Caballi,
Depositóque vetus fecubat ense pugil.

Noli temet fingere corvum, novit te Proserpina canum, Noli annos mentiri,

Aut ritu juvenum, conspectâ, hinnire, puellâ:

Noli ampliùs attendere procacitati mulieris, favus enim distillans labia foemellæ, novissima autem illius amara, quasi absynthium;

Sit tibi consultum, cultum contemnere vultum,
Dat vulvæ vultum, quia vult ut des sibi multum:
Foemina nam dicta ex hoc, quòd det verbula ficta,
Extus picta, sed interiùs maledicta, relicta.

In ore mel, in corde fel, in cunno aculeum habet: Flos Veneris rosa est, sed sub ejus purpurâ multæ latent spinæ.

Mille latent mortes, velantur funera mille,
Oscula, non amat, indulgendo, sed hamat Amica;
Post mortis morsum, vertit dilectio dorsum:
Tot Venere angores, quot sunt Hermete colores.

Maximus ergo hîc plangor & angor & *Labor latet intus.*

Curis jactaris, Veneris si castra sequareis,
Post triduum delectat & ingven & hospes & imber,
Si maneant porro, cum porro jure valebunt.

Notatu dignum est, quod legitur de Græciæ Oratorum Principe Demosthene: hic enim cum quodam tempore ad meretriculam condescendisset, & de mercede cum eâdem stipularetur, ac illa
mille

mille drachmas in rem inhonestam petiisset, pretii enormitate deterritus discedens, braccamque colligans, ait, *Tanti penitere non imo, nolo basiare tanti.*

Exhilarat ternè bellæ luctasse puellæ,
 Quadriduana dolor, quinia prorsus onus.
 Frons Veneris dulcis, sed finis amoris amarus,
 Verna venire veges, vergere versa Venus.
 Semper in Oceanum sic flumina dulcia currunt,
 Ast ubi gustârunt æquora, falsa fluunt.

Quod indè ortum habet, quia stultus credit consilio vulpis,
 (Stultus quando videt, quòd bella corinnula ridet,
 Mox fatuus credit, nunquam quòd pulchra pepèdit)
 Id est, concupiscentiæ & lubricitati carnis, transitorium, mutabile, pictum, bonum, verum, permanens & stabile esse: cùm tamen ipsa *libidinis opera concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa evanescent, & transeuntia torquent, vastantque hostili vastatione;*

Omnia labuntur, certè labuntur amores,
 Lactare, aut lactas, hæc in amore rota est.

Indè videmur nos cosmophili, hujusque mundi cultores illud quotidie penè experiri, quod evènit Patriarchæ Jacob; Meminit sacra Geneseos historia, quia existimabat ille sibi in uxorem dandam pulchram & gratiosam Rachelem, propter cujus amorem septem integros annos, magnos exanclans labores, patri ejus inservierat; veruntamen nocte Hymenæi, non comella Rachella, sed foeda, lippisque oculis Lia ad ipsum ingressa est; Non secus nobis accidit hujus mundi amatoribus, qui, ubi post oleum & operam perditam, post perpeßos labores ingentes, desiderium nostrorum bonorum, divitiarum ac voluptatum abundè nos expleturos, sperabamus, ridiculi deludimur, relicto, pro suavi odore, foetore,

Portantes *magnum præter inane nihil.*

Nam nidus noster, quem vocamus mundum, adulterinus quidam mango est, hamiota, falsariusque versutissimus, unumquemque sanè exstimulat, honores, quos fucat, ut ambiat; opes, quas fuliginat, experat: delitias voluptatésque, quas offert, sectetur, at mentitur & eludit, quidquid enim climat & interpolat, inane, inutile, futile & mutilum est. Apage stultitiam intolerabilem, maximámque moriam, mundi videlicet passionibus excæcati, & fatuitate dementati.

Ob tot sollicitas orbis Stygialis opellas,
Quas nihil esse scio, sed vanas retenus esse,
Et vano phantasmata vanidiora vapore.

Præterit quippe mundus, & concupiscentia ejus: voluptates illius resplendent quidem instar accensæ candelæ, cujus flamma est pulchra, sustentatúrque quamdiu ejus durat materia, atqui ipsa ad vadam perducta, omnia abeunt in fenum & foetorem,

Fumus opes, & foetor honor, dumúsque voluptas,
Et species fumi dumíque est, quidquid amamus;
Et tamen hic dumus, quem non hic fumus inescat,
Non premit esca jugo quem dumea fumea flendo!

Talis est terminus omnium rerum mundanarum, quamvis enim splendor vanitatis illarum nunc nos obhilarret, in fine tamen pariet plurimas nauseas & remorsus, súnque omnia

In pulverem, & flatum, & favillas,
Et tenues abitura fumos.

§. II.

HAbent antiquorum ingeniosa commenta magna sua sæpe documenta, & ego in fabulâ reginæ Junonis, quæ pro Deâ divitiarum colebatur, eximii aliquid reperio. Pluto ergo Junóque duo divitiarum Numina habebantur, quibus hoc nomine propriæ dicabantur aræ, & litabantur dona: cæterum in Junone etiam aër adum-

adumbrabatur, & quemadmodum Jupiter ignem, Neptunus aquam, Ceres terram, ita aëra Juno in comœdia Deorum exhibebat. Expendite hîc jam gemina Saturnines officia, quod & opum Dea erat, & aërem referebat, regionique illi, sub quâ respiramus, præsidebat; quid verò voluit docta antiquitas, quando Junonem eandem & aëris & divitiarum Deam finxit? illud haud dubium (salvo tamen mystico philosophorum sensu) significare voluit, quod in hoc orbe opes & aër, majestas & æstas, voluptas & ventus idem sint:

Extima labra quidem mellitis mundus inungit,
Plûsque fatis blandis fingitur ire rotis,

Sed intus mille sentibus configit, & interitu, ac amaritudine viscera complet, quia,

Ut Juvenalis, plûs aloë, quàm melle redundat:
Gaudia, quæ comi creat orbis imagine, fallunt,
O puer in poenas Cypridis arte tuas.

Univerſipotens ille rerum, Conditôrque Deus delitias tristitiis, prosperitates adversitatibus assiduò permiscet, ubi uber, ibi tuber; ubi nux, ibi crux, ubi Dis, ibi lis, ubi mel, ibi fel. Hem quantus hypocrita mundus! conceptiones illius dolorem spirant, partus inquietudinem redolent, uterus mera officina fraudium, interfemineum non nisi sterquilinium, & seminarium doli; mulierum maxillæ, mamillæ non nisi nœniarum stillæ, exterius quidem pulchræ & libitæ apparent, at verte semel saccum; interioribus non nisi nequitia, & falsitas.

I nunc, & mundi lethalia spicula capta,
Vanida si tanto gaudia felle natent.

Mérito eapropter hæc cuncta sublunaria, & omnia mundi bona pro nihilo ducenda, illudque sepulchri lapidi lemma insculptile, quod post genitis perpetuum relinquo monumentum,

Uni-

P R Æ L U D I U M

Unicuique maneto profundâ mente repositum,
 Terrea cuncta vapor, flatus sunt, fumus & umbra,
 Et species scenæ, nihilum, quò remate dicam.
 Mundo nulla domus tutelæ, aut ara salutis,
 Sed vanitas sunt omnia, ac inanitas:
 Quælibet ex nihilo, qui fecit, is unicus omne,
 Nam Deus ex nihilo quod fecit, id omne nihilum.

Istud fucacissimum *nihil* ut fugeret serenissima illa piella Isabella
 in reconditiore aulæ recessu hos indies descriptos versiculos ex
 aureo cordis sui thuribulo lectitasse traditur.

Sunto mihi vires, lautus mammona, quid istud?
 Esto argenti, aurique redundans massa, quid istud?
 Si mihi sint proles Regis de stemmate, quid tunc?
 Longaque fervorum stipato catena, quid inde?
 Me rota fortunæ sustollat ad astra, quid istud?
 Milléque si foelix annis regnâro, quid inde?
 Nam citò vanescunt hæc omnia, quòd nihil inde,
 Tutius ergo Deo famulem, quia sic satis inde:
 Undique qui quoniam bene viderit, undique cunctam,
 Rursus & undique in unverso Mundo levitatem,
 In toto penitus Mundo nihil esse loquetur.

Quæ metra dum attentiori mentis acie appendo, non possum
 non viragini citatæ adstipulari; tot enim & tantis obruuntur ma-
 lis mulieres solæ, quantum facile in totâ est rerum universitate,
 quandoquidem malum omne ex ipsis sumpserit originem, unde
 æquum, iustumq;, ut ad caput, à quo scaturit, redeat, & sanè rem
 hanc prolixius paullo secundû se expensuri, cedo, quid fodes de-
 litiarum sit uxori viro suo sociatæ, eoque ceu corporeo suo centro
 potenti, nisi materno condecorari titulo, & natorum quorundam
 sui ipsius simili fructu, congruere? porro autem momentum il-
 lud, punctumque gaudioli immenso dolorum, malorumque acer-
 vo,

vo, imò labyrintho intricatur: nam germina tenellula incessanti opus habent relevatione, refocillatione, advigiliantia, pubescencia continuâ custodiâ, adultiora sæpe non nisi cordolia sunt.

Quid igitur inquam voluptatis sit rem ex fundo pensantes per integrum vitæ spatium foemineo sexui? ubi semel assuetum est in utero materno semen earum, & omnis perfectionis, vitæque munere dotatum, in ergasterio vim patitur, lorisque satis lubricis spiritum trahit, putridis, foetidisque innatat aquis, & obsceno uteri volutabro obvolvitur, disruptis his claustris, contractisque obscuri carceris clathris, ut jubare solari, fulgidæque orbis lampade fruatur, biennii saltem ad minimum spatio, lemniscis & cunis, tanquam compedibus, manicisque circumligatur, totum deinceps, cæterumque vitæ tempus, partim parentum, partim mariti strictissimo semper jugo coercetur, arctisque vestimentorum pressuris infibulatur. Earum adolescentia, non quò sibi, sed ut viris placeant, & dum ipsis placent, perennibus interea fodiantur tormentis, sique quid fortè delitioli est eis, dum ipsis viri adhinnunt, & iidem sunt oblectamento, adeò vanidum est istud & fugax, ut mensium curriculo novem solummodo quotidiet hujusce voluptatule exitiale supplicium, quo perfungi nihilominus sine violento vitæ discrimine, membrorumque omnium exquisito cruciatu nequeunt, ac si supremus ille orthocrites, actionumque criminofarum lecitator justus Deus videatur adhuc ab ipsis extulare rationem multæ, quâ viros præcipitârunt omnes & se ipsas.

Mulierem eapropter meritò dixeritis, calamitatis cumulum, lamenti originem, gemitusque initium: Quod si próinde, ut in veritate est, tot tantæque mala sexum illum infirmum circumstent & circumvolvant, tunc mehercle optato & fidere fortunato natæ virgines incontaminatæ, quæ beato peristyllo liberæ seclusæ, sacra sua coenobia colunt, priusquam sciant, quid valeant hujus orbis oblectamenta, & fluxæ voluptatis delinimenta,

O animæ torni melioris forte rotatæ,
Est quibus hæc scitè noscere velle datum!

Indubium est illis cimelia tanta manere,

Quanta nec humano corde voluta latent.

Ecqua item gloria major, quæ laus major, labôrque major? quàm in se vincere naturam rebellantem, pedibus proterere tyrannum domesticum, Parthum & Lacedæmonem vivere in Cypro, retro tergum abjicere immunditiæ omnis receptaculum, nihili pulcherrimum, nihilitudinisque pelagus:

Mundus enim haut mundus, sed polluit herculè mundos,
Ergo manens Mundo quomodo mundus eris?

Pisces oceani incolæ, Neptunique parasiti semper, ne capiantur, in periculo sunt, quibus piscatores nullâ non horâ insidiantur, mille retium, saginarum, hamorumque genera adaptant, mille artificia, dolosque ad incassiculandum adhibent. Cosmopolitis in mari hujus mundi exspatiantibus majora etiam imminet discrimina, quibus, scilicet diaboli, maligni illi spiritus, nullo non tempore insidias struunt, hamiotæ hi versutissimi, qui diu noctûque explorant, & in occulto latent, varia tendicula, casses, laqueosque in eorum perniciem tendunt. Lactator Satanas perpetuò per hoc æquor obvolitat, semper navigat omnem in partem excubans, rete semper & escam manibus præfert, ut incautam animulam defaginet, ac in casses suos concludat, pertrahâtque.

Ah ergo! nec de nihilo ingemino, foelices jurè, tærque, quæ tærque, millièsque beatæ dicendæ virgines, virgunculæque inviolatæ, quæ Zephyro benigniore afflatæ optatum in terrâ viventium portum intrârunt, & ab omnibus Labyrinthi hujus flexibus se expediunt, Mundos muliebres omnes floccipendunt, vestes aureas limbis circumdatas rejiciunt, catenulasque adâmante radiante, nec non unionibus rutilantibus exornatas, annulos, moniliæque pretiosa qualiacunque negligunt, & cætera cosmia blandimenta despiciunt, ut obsequio divino perpetuis devinciantur fœderi-

deribus, Christumque in terris mendicantem, nudum ac crucifixum solenni sibi tedâ jungentes, eodem in coelis, Rege poli solique, genitore lucis & vitæ, mortisque mensore potiantur, & ipsum in perpetuas desponsent æternitates, à quo sponso donabuntur his omnibus inexcogitabilibus muneribus, quæ mens concipere non potest, majestatem, opes, & quidquid humanos ad se rapit animos, non dabit, at profundet pedibus ipsarum fidissimus ille, prætenerrimusque amasio Deus, cilicii loco limbus illis erit vel ipso coelesti balteo signis stellantibus picto præstantior; Mercedem enim verò incomparabilem, prohi ter nobile tenerascentium virguncularum præmium! ut sibi scilicet soli inhæreant, ipsiusque meditentur obsequium, laudem & gloriam, cui purâ & castâ melodîâ, miritonâque voce perlitabunt, insufflante pneumone amoris divini flamine turgido, cujus occulto caloris nectare delibutæ supercoelestibus delitiis medullitùs perfundentur, ac longè longiori quidem tum candidiori honestæ voluptatis face, quàm perfrui possunt, quæ terreno hoc incolatu, tetróque Orbis carcere clauduntur.

Imò verò si omnia illa, & quæcunque mundus habet delectabilia, ad ea, quæ in coelis sunt gaudiosa, vel delitiosa, expendatis, pædores & putores videbuntur; quidquid est enim in hoc mephitico puteo Veneris vel amoris, pellicator nominari debet de lupanaribus exortus plagis.

Quia inferior hic noster Globus instar falsæ, deceptitiæque est officinæ, cujus merces omnes, creaturæ inquam etiam nobilissimæ & præclarissimæ, non nisi signa sunt, typi, ac notæ quædam divitiarum merciumque, quæ in amplissimo illo divinæ majestatis reconditorio continentur; Quotus itaque, modò sapit, non libentissimè desudabit, decertabit pro coelesti illâ polyplusiâ Hierusalem? quantum pro exiguis urbeculis, quæ tantum operæ, calamitatis, sanguinisque steterunt, aut quantum pro pusillo terræ, minutâ munitiunculâ exantlatur? cùm tamen Orbis universus ad mensuram coelestis illius Urbis punctulum sit.

Quod si igitur tellus, quæ nobis tam vasta, adeoque ampla videtur, ad axem, quem sol suo rotatu agit, usque exigua est, quantula sint cætera minutiora, exilioraque corpora, si jam non cum illo planetarum principe, quinimò cum rebus grandioribus, quas coelum interiùs tenet, conferantur? plùs dico, ac si omnis Græcia in armis steterit, si decennali bello Trojam extenuarit, universam urbem incenderit, tanto generosissimorum juvenum, Heroùmque sangvine & interitu depugnatum sit pro una Helena, vah pestilentiam! dignè eapropter effervescens insanio,

Expetitur tanto tam turpis adultera bello!

Quid itaq; nos pro increata illa Dei speciositate, pro transvenustissima illa æternæ veritatis, seu divinitatis forma contemplanda facere par est? incomparabiliter enim pulchrior est hierodulia Christianorum, quàm Helena Græcorum; hîc tamen, cheu, umbella imaginaria, ut sæpè nos coelo, Deo, bonis omnibus orbat, malisque involvit æternalibus!

Homo Dei creatura,

Et in carne oritura,

Pro sempiterna gloria?

Quare brevî moritura,

Est tibi tam parva cura,

Quæ quod quanta sit si scires, Non utiquè deperires,

Nec mundana sic ambires, Aut humana sic sitires,

Vanida trasitoria.

Mellifluè mehereule melleo excursus flumine! quid namquè gloriosius, ecquid victoriosius, quàm, mundo posttergato, totum mundum habere sub pedibus? Vah lumen incomparabile, ô scintillam torris inexastuabilis! tu pectus forte & inexpugnabile, tu potes, quod nemo potest, efficere, illicere, ecquis enim adulterum visco solitæ libidinis illaqueatum, ab inveterata spurcæ lubricitatis consuetudine avellere? in pelle pellicem, cui omnia orbis balnea ad munditiem non sufficiunt

(Bal-

(Balnea cornicem non purgant, & meretricem;
Nix nec enim cornix, meretrix nec munda fit undâ)

Prece vel pretio ex profundo vitiorum cœno abstrahere? abstraxit & avulsit ad ipsam usque divisionem animæ pertingens gratia, charitâsque divina, abduxit Magdalenas, Lenas, Pelagias, Laidas, thaidas, atque indies tot teneras, Sybariticęq; educatas filias à parentibus, patrimoniis, matrimoniis, divitiis, delitiis, quasi ab uberibus mundi ad Christi vulnera perducens; Præ hujusmodi ergo, similiûmq; pertrectatione, si vel ipsum *philosophorum pharmacû* offerretur mihi ad impendendum, renutarem, &, modò eloquar, ut sentio, pro eo fermè, quod Hecale pauperrima daret, reputarem; nam, ut verbo absolvam, ditatus sum ego nunc solâ rerum harum cognitione, suaviter propria in pelle quiescens:

Nunc solùm virtute meâ me fulcio, firmo,
Pauperiémque probam lautâ sine dote requiro,
Hæc est una meo plûs apta medela dolori.

Quòd sciam, non omnibus, & præcipuè mihi, expedire ad salutem, habere cum sanitate divitiarum & honorum libertatem, & id, anne tritum, non in divinis tantùm, sed & humanis est literis? hujusce svadela nunquid hagiographa, codicésque sacri pleni sunt?

Nónne homo, quando locum nimis assurgiscit in altum, Cerebrum sibi sentit inverti, ita ut de rebus minimis subtus existentibus judicare bene non possit? Noctua similiter, nónne quantò sublimiùs de die volat, tantò minùs videt? Non secùs nos in altis majestatibus, & in die ac claritate mundanæ dignitatis, prosperitatisque constituti, visum veræ sapientiæ perdimus, *Cum esset in honore homo, non intellexit*; quia verissimum est, veróque verius, voluptates, divitias, mundi, que hujus blanditias, principalem esse causam lapsus tot scelestorum hominum, horribilisque damnationis animarum ipsorum,

Turgida nunquid enim Croesum fortuna fefellit?

Cosmophilus fatuus, & insanus, cui omnia ad votum fluunt, qui prospero fortunæ vento utitur, qui blandâ in rebus suis malaciâ gaudet, qui inquam extra tempestatem est, & in deliciarum, voluptatûmque rivis obnatat, is de Deo nihilum laborat, de morte non cogitat, iudicium non pertimescit, tartarum non horrescit, nullam animæ, salutisve rationem habet; atque hoc solùm illi cervicem infringit, hoc ipsius ruinæ, exitiique causâ & occasio,

Hic ego sed balbus, quia non intelligar ulli,
Terreus & carpet talia texta puer.

Non dicitur noctis illa domina luna occæcari, vel pati eclipsin, nisi cùm plena, quàm enim diu dimidiata est, & in cornua curvata, ab huiusmodi deliquiò immunis existit; eodem modo homo non conspicitur à bono deficere, nisi honore mactatus, dissentiusque divitiis: Sed hæc hîc latius exporrigenda sunt, seriésque hæc pertexenda: eadem Phœbe, cùm plena, à sole, unde lumen suum mutuatur, est remotior; ita nos, quò locupletiores sumus, opibûsque pleniores, eò ferè semper remotius vivimus à sole iustitiæ. Fertur de certo quodam pelagio pisce, quòd, animadvertens mare commotum, securus intrepidusque per undas vagetur, præsciens quasi se illo tempore à piscatoribus non captum iri; haud aliter quoque homo prudens, cuique res animæ suæ cordi est, tempore tribulationis tempestuoso lætatur, cognoscens se per hanc à carnalibus sâginis, cassibûsque tutum futurum.

Divitiæ siquidem, luxus, & opes, & honores
Transmutant mores, atqui rarò in meliores.

Tunc Helotarum instar vivitur, græcatur, pergræcatur: fragilitatis nempe humanæ nimia in prosperis rebus oblivio est; voluptatum cœno, divitiarûmque fœno obsepulti heluamur, popina-
mur,

mur, bacchamur, nepotamur; tunc relinquitur cœlum Deo, sibi perpetua in terris vita optatur, tunc cum Epicuris propter voluptates discedimus à cœtu philosophantium, tunc cum magnis illis Babyloniorum Monarchis Nabuchodonosoribus (illis inquam, qui sanctissimum simulac amplissimum Hierosolymorum templum diripuerunt) apotheosin, cum Alexandris & volumus nos, & jubemus adorari, ac in Deorum numerum, canonemque reponi;

Ad scelus atque nefas quodcunque est purpura ducis!

Destrahitis, ecastor distrahitis, & divenditis gloriæ hæreditatem minori pretio, quàm lentis edulio, vos ô prælentes pusillitates, & tenuitates voluptatum, cupediarumque mundanarum,

Nemo putet dominis simul inservire duobus,
 Non poterit pariter Thetis & Galatæa procari,
 Alterius vires amor alter cassat amoris,
 Ut perit, in plures rivos qui ducitur, amnis;

Dulcedinis exintegro mellilo suffundimini mari, *Periclitatur castitas in delitiis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in sæculo nequam; fugite de medio Babylonis, & salvate animas vestras,*

Quisquis amas Mundum, bene prospice, quò sit eundum,
 Ut via, sic vita est fracidam sortita mephitim,
 Nam via, quâ vadis, via pessima, plenâque cladis;

§. 12.

Carnalis igitur voluptas (quemadmodum scitè & ophtalmophaneræ prophetarum omnium rex, regumque propheta Salomon sub symbolo procacis fœminæ præfiguravit) tu à verâ nos viâ abstrahis, ac abducis;

Tutiùs est multò Basilisci cernere frontem,
 Quàm bene fœmellæ spectare salacis ocellos;
 Expertus dico, nullum est sub sole venenum,

Quod

Quod tantopere fugiendum est ; juvenilibus præsertim annis, quàm consuetudo exercendi furta ; hæc enim scabies, & pravi consilii juventutis pernicies, ubi semel probè inolevit, & primæ lanuginis ætatem miserè illactavit, poterit quasi nunquam amplius de cæterò eradicari ; Vitium luxuriæ horrendum prorsus, ac penè insanabile malum est,

Omnes humanos sanat medicina dolores,
Solut nullà arte est medicabilis usus amoris.

Id ipsum non ineptè Veteres sub fabulorum mysteriorum involucris indicarunt. Deperibat Apollo in formosam Daphnen, illa dedignata amatorem, omnia illius aspernabatur officia, velut in silicem durata fuisset ; tam implacata, inflexa, illacrymabilis, ut nec precibus se exorari pateretur, vocésque ullas tractabilis audiret, nec pretio ullo induceretur, sed neque minaciis, quamquam terribilissimis moveretur, ut votis illius quidquam concederet ; subpudens Apollo, deitatis quòd suæ potentiam frustratam cerneret, in laurum transfiguravit mulierem, cui amorem sui infundere nequiebat, cumque superiora cogitatione voleret, ac amoris incendiis præcordia illius perditè, & pertinaciter deflagrarent,

Hanc quoque Phœbus amat, positâque in stipite dextrâ,
Sentit adhuc trepidare novâ sub cortice pectus,
Complexusque suis, ramos, ut membra, lacertis,

Oscula dat ligno: Laurum dissuaviari cupiens, quod Daphne dura negabat, refugit quoque oscula lignum ; quam difficilis Daphne, tam rigida laurus, non permittebat suavia, & defugiebat amplexus ; Quorsum, putatis, hæc Veterum fabula spectat ? ut significarent consuetudinis in amore efficacitatem, & quàm firmiter animæ adhæreat, utque difficilè eam deserat. Aversabatur Daphne Apollinem, qui, tametsi eam in laurum commutâisset, equidem illam amabat, & ipsa econtrâ, etiam in arborem versa, æquè

æquè illum refugiebat , dedignata amplexus , abominata amores ;

Oscula dat ligno, refugit tamen oscula lignum.

Quia veneria passio , quæ frequentiore usu in habitum abiit , eatenus occupat animum , quatenus vix eam excutere possimus , vel si omnium virium contentione id velimus , & unicè curemus. Illustrabo hanc vobis adhuc , quanquam suopte genio , & ipsomet experimento notissimam perspicuitatem , illo alio Antiquorum commento , quod illi in Deum amoris Cupidinem fecerunt ; Deo illi affinxit alas ingeniosa vetustas , nec imprudenter hercle id factum , à quocunque factum , quòd scilicet alatus pingeretur Cupido.

Is quicumque fuit , puerum quì pinxit amorem ,

Nónne putas doctas hunc habuisse manus ?

Hic homines primùm sine sensu vivere vidit ,

Et facili magnas fruge perire penus :

Idem non temerè ventosas addidit alas ,

Fecit & humano currere corde Deum ;

Scilicet alternâ quoniam jactamur in undâ ,

Nostrâque non unquam spes requieta manet.

Hamatâque manus meritò munitur habenâ ,

Gnosîaque ex humeris ritè pharêtra jacet :

Lymphat enim citiùs , tuti quàm cernimus hostem ,

Exque illo immunis vulnere nemo redit.

In me tela manent , puerique salacis imago ,

Sed penitùs pennas perdidit ille suas.

Nam volat è nostro defixus pectore nusquam ,

Inque meo semper sanguine bella gerit.

Quid juvat enervis , siccisque habitare medullis ?

Si sic est , aliò spicula mitte tua.

Est isto haud tactos satiùs tentâsse veneno ,

Non ego , sed volupis saucia vena mea est.

Q

Quam

Quam si dispuleris, quis erit, qui talia cantet,
 Hæc mea musa levis, gloria magna tua est,
 Quæ caput, ac oculos, & labra rubella puellæ,
 Et canit ut possint molliter ire pedes, &c.

Ut jam autem alatus erat Cupido, sic mater ejus testudinem calcabat Veteribus, at quæ causâ, quòd alas Cupidini, Veneris pedibus testudinem appinxerint? Venerem Deorum nuntius admirabundus sic affatur.

O Paphia! ecquænam hæc facies, testudo quid illa
 Fœda valet, molli quam pede Diva premis?

Tali enim formâ edolavit eam insignis ille statuarius Phidias; alis pernecitatem significari, tarditatis verò indicium esse testudinem, id pervulgatissimum est, sic ut nemo nesciat, idcirco namque testudo dicitur

Spissigrada, herbigrada, domiporta, & sangvine crassa,
 Sub pedibus Veneris Cous quam pinxit Apelles.

Quæ modicum habet sanguinis, & suum perpetuò circumfert domicilium, herbisque præpedita, solum inambulat prata, quid mirum, quòd laneè, lentèque incedat? Recurrit nunc quæstio, cur quæso axillis Cupidinis alas, quur Veneris pedibus testudinem addiderit docta antiquitas? dicam (moraliter nunc scilicet hanc fabulam sic exponendo; aliàs orthophysicè & propriùssimè, per alas Mercurius Philosophorum, perque testudinem sal mundi, seu centrale, quòd tanquam fixum, in, vel sub eo cooritur, designatur) id fecit, ut eo emblemate duo amoris effecta ingeniosè adumbraret, indicaretque eum, qui amat, habere alas, quibus pernecissimo volatu inferre se possit ædibus ejus, quam diligit, sed ut inde discedat, id tam ægrè, perspissèque fieri, ac si testudineos, plurimùmque prægravatos, aut impeditos habeat pedes.

Carnis pròinde mollities miserrimè homines obæcat, incantat, atque à vacatione rerum sublimium, maximè verò ad salutem animæ pertinentium, detinet, omniùmque ægerrimè aliquando obso-

obsolescit, & se semper, dum prosperè nobis res ex voto succedit, prodit. Hinc finxerunt iidem Veteres, Jovem ipsum captum fuisse amore speciosissimæ puellæ Jonis Inachi amnis filiæ, rescisse autem id Junonem Jovis uxorem, quæ zelotypiâ in rabiem accensa interimere Jonem voluisset; intellexit hoc Jupiter, urque Jonem ab adornatâ jam nece eriperet, transformavit eam in vaccam, ne æmula Juno agnosceret;

Jupiter Ionem redeuntem sede paternâ
 Viderat, & virgo, ô Jove digna, tuoque beatum
 Nescio quem factura toro, pete, dixerat, umbras,
 Aut horum, aut horum nemorum (& monstraverat ambas)
 Dum calet, & medio sol est altissimus Orbe;
 Quod si sola times latebras intrare ferarum,
 Præside tuta Deo nemorum secreta subibis,
 Nec de plebe Deo, sed qui cœlestia magnâ
 Sceptra manu teneo, tremulentâque fulmina vibro,
 Ne fuge me; fugiebat enim jam pascua Lernæ,
 Constatque arboribus Dircæa reliquerat arva;
 Cum, Deus inductâ totam caligine terram
 Occulit, tenuitque fugam, rapuitque pudorem.
 Interea medios Juno despexit in agros,
 Et noctis faciem nebulas fecisse repentes
 Sub nitido mirata die, non fluminis illas
 Esse, nec humenti sensit tellure remitti;
 Atque suus coniux ubi sit circumspicit, ut quæ
 Deprensi toties bene nôset furta mariti,
 Quem postquam cœlo non repperit, aut ego fallor,
 Aut ego ludor, ait, delapsâque ab æthere summo,
 Constat in terris, nebulâque recedere jussit:
 Conjugis adventum præsenferat, inque glabellam
 Pulchellam Ionem mutaverat ille juvencam.

Hic jam videre, quanta fuerit Antiquorum ingenii sublimitas, &

Q₂

qua-

quare nimisquàm verum sit, quod dixi, nimirum, vitium luxuriae ægerrimè aliquando desvesieri, occultarique posse; quid voluit Jupiter, cùm puellam in vaccam vertit, nōne ut cum transformatâ amicâ secretim sua exerceret furta, sicquē lateret virgo, quam deperibat? imò sanè hoc voluit, sed advertite, qualiter sua illum astutia luserit, & cautio, quâ ipsam contegere satagebat, rem detexerit, utque per eosdem gradus, per quos ille ad occultandam eam perrexerat, in cognitionem suæ luxuriei, nequitiaeque alios adduxerit; ipsa namque in vaccam transanimata puella, ubicunque vestigia imprimebat, seipsam tacitè & facètè

Prodebat, noménque suum, casúsque premebat;
 Litera pro verbis, quam pes in pulvere duxit,
 Corporis indicium mutati triste peregit:

Etenim ut vacca pedem habet rotundum ac fissum, sic quoties arenam aut saburram calcabat, fissurâ quidem I; rotunditate autem O formabat, igitur quovis passu, quotiesque pedes in terram defigebat, nomen suum Io exprimebat, ac veluti describebat, ut per eandem viam, quâ charam amiculam suam ignotam Jupiter voluit, cognita fieret, quæ nunquam pedes in terram submittebat, quin simul Io Io velut clamaret. liquatâque voce diceret, Ego ego illa Jovi in amoribus Io, ego ejus dilecta, ego illius delitium, ego rivalis Iunonis &c. Eundem jam sic petulantem animum in rebus secundis excitatè item nos docent paginæ sacrae: annon enim portentum illud virorum, miraculum orbis, victoriisque plurimis,

Robore & Herculeo notus super æthera Sampson,

In Dalidæ residebat sinu, cùm à Philistæis comprehensus & victus, hæcque inadvertentia ruinæ illi fuit occasio? ita profectò, qualiter & plerique adhuc nostram virtutum operibus illustres, quòd nimium incurii nobis ipsis non provideamus, interdumque

dúmque in voluptatis, ac carnis gremio, quæ Philistæa & proditoria Dalida est, jaceamus, sæpe ab inimicis obruimur, inque extremam decidimus captivitatem, quæ tandem exitiî, interitûs, perditionisque nostræ occasio est: Rem hanc scitè deintegrò oculis subjiciam, audite mira.

Die quodam, sub occasum vir opulentus & magni nominis cum tota familia in amœnissimam villam ad polluctum secessit, voluptati liberiùs cum suis indulturus; hîc domus ablecta & abundans; conclavia, præsertim Domini, vario cum peristromate exornata, lecticæ conopœis vestitæ, ad voluptatem nihil non egregiè paratum, inter famulos autem homo fuit scelestus, qui in tam hilari potatione Hero & conservis aliis lethargum miscuit, ita plerique tam vino, quàm medicamento in veternum dati sunt: Nocte mediâ, cùm vivi penè ut mortui dormirent, nequam ille Domini sui proditor, laverniones & prædones, spumam ac sedimen hominum, referatis foribus domo recepit, hi ubi ædes expilârunt, in domûs Dominum vim omnem converterunt, parum illis fuerat ingenti damno affecisse, nisi & horribile spectaculum adjungerent: igitur Herum veternosum è cubiculo, ex ædibus velut internecinum exportant, & campo aperto depositum relinquunt; interea cœlum fœdis tempestatibus misceri, micare fulgura, mugire tonitrua, nimbi præcipitare, ita tandem distertere Herus veternosus, circumspicere, pavere, in alium orbem se delatum putare, horrere ac obstupescere, nudâ se humo, extra cubiculum, extrâque ædes, sine famulis, citra omnem opem & solatium, inter pluvias, inter turbinosas aëris injurias atque procellas, rigentem gelu, irato cœlo destitutum, & omniquaque occidissimum.

Vultis jam hunc virum semel nominem? dare veniam, quisque nostrum est vir ille perditissimus, quando voluptati vacamus, quibus nequissimus proditor servus, videlicet mundi luxus, catalepsin propinat, ita boni nos Heri in exitium

proprium sopiti, non dormire tantum, sed insigniter lethargo laborare incipimus, moveamur, vellamur, moveamur, impellamur, at è veterino nostro non excitamur, oculos intellectus non aperiunt, quos cataleptica prolubia vincunt, nec sentimus, dum in lecto cupediarum carnis inebriati obsoptimus; Volitat sanè aliquando in sublimè accipiter, oculos tamen suos in terram continuo detorquet, ut prædam, quam indè discupit, eripiat: naruram hanc milvi ac mores nos, quando in spatulis, luxibusque nobis videmur sapientes, imitamur; sublimia enim nonnunquam quidem petimus, alta sapiendo, cœlique iplas transcendendo nubes, ast humanarum cupiditati rerum inhiantes, perpetuò tellurem intuemur.

§. 13.

Verborum suorum subtilitate & amplitudine, quod ruditas mea, tenuitasque non potest, det rem hanc magè delicatam summus ille Ecclesiæ Doctor Aurelius. *Retinent hic & irretiunt nos nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, voluptæ, divitiæ, amicitia, quæ dilacerant vestes nostras carnes, Divitiæ dividunt, dântque animos, factus, flatus: Interrogatus ego semel à discipulo quopiam meo modestiori, cæterisque meliori, qualis fortassis fierem, si semel dives citò forem, mox adjeci simul cum quæsito, dic mi qualis esses, fili, si semel secretò leo fieres?*

Sæpe rogas *fili*, qualis sim fortè futurus,
 Cum fiam locuples, ilicò simque potens;
 Méne putas mores narrare potesse futuros,
 Dic, ubi tu fies, mi, leo, qualis eris?

Tantundem respondissem, idem sunt, leo & dives, nec vacanter: dum quippe omnium radice malorum ope pecuniarum valemus, divitiarumque torrente scatemus, tunc ad modum leonis superbimus, & supra nos imus, tunc vermiculus opum superbia animam nostram fauciat, inebriat, luménque rationis amolitur, tunc inquam

quam pestilens ille tumor, demens ille fumus, infernalis illa effa-
scinatrix nos inflat, pias cogitationes corrumpit, proprias passio-
nes fortificat, vitiisq; materiam ac facem subministrat, nec non
illa tunc, ut clarus fons Narcissi, qui ipsum inamoratum miserè
perire fecit, illaëtat, tramitèmq; avernalem nobis patefacit, Ex-
clamem ergo meritò ;

O infelices cunctarum nequitiarum
Divitias & opes irritamenta malorum !
Dextris rebus homo nunquamnon penè protervit ;
Fortes namque pedes, qui tolerare dapes :
Hastubit illa comes fortunæ dira libido,
Non solitæ vestes, aut prior aula placet.

Ferunt bombycum custodes, quia sericineæ illæ tineæ, quamdiu
Mori viridibus victitant foliis, adeò teneræ & delicatæ sint, ut
ad minimum cœli fragorculum, tonitrúque perterreantur, ac
cœptum filandi opus interrumpentes, sæpenumero emoriantur ;
ita omnino & nos viroribus assvefacti, id est, voluptatibus ve-
scentes, usque teneri & molliculi fimus, ut, si quando bonum,
piúmve subinde opus cœperimus, primulâ peccandi occasione ob-
latâ, primóque tentationis tonitru ingruente, ab inchoato desi-
stamus, sicq; fomentis plerumque nostris immoriamur, idcir-
eo flos, fâxque Insubriæ, re quàm nomine dulcior, qui & mel an-
tè habuisse in ore, quàm voces videtur, taliter in hoc propositum
mellicâ suâ egreditur eloquentiâ ; Res plurimos

Supplantaverunt, & lactavère secundæ,
Quos non crudeles potuerunt frangere poenæ.

• Tenuitas quidem venâ, at virtute divinorum pulchritudo me-
trorum ; Vah ergo nostram dementiam, sed ô immensum divi-
næ clementiæ pelagus, irremunerabilèmq; Dei bonitatem ! cum
id, quod acerbâ frequenter atque iniquâ nobis accidere opina-
mur fortunâ, non nisi ex paternâ, clementique Dei providentiâ
nobis

nobis contingat, qui nutricijs instar, ut infantem ablactet, felle, sinapi, aut absynthio papillas oblinat, quatenus ille amaritudinem præsentiscens à lacte fugendo sese amoveat; Eundem in modum ut nutrix perbenignissima Deus ab uberibus hujus sæculi, dulcique carnalium voluptatum lacte alumnos nos abducatur, propriam imbecillitatem assiduò nobis in memoriam reducat, adque jugem mortis, in quo foelicitas vitæ nostræ tota consistit, meditationem nos adducat, consultò præmeditatòque divitias, voluptates, ac honores absynthio, aloë, & amaritudine obungit.

At funiculum hunc latius obiter resoluturus, & per quasi triadem extensurus; primus Actorum trium in hoc se theatro præsentat Lacedæmoniorum Imperator Pausanias, qui, cum olim inani quodam superbix typhone inflatus, in magna hominum corona à Simonide Mago poposcisset, ut sibi præclarum aliquod dogma, è philosophicis scriniis depromptum, aut præceptum quoddam memorabile effaretur, ad quod & vitam & mores, omnemque agendi rationem dirigeret; Simonides pro ea, quæ præditus erat, prudenti, perspectâ Regis insolentiâ, quò eum & sanctiorem & sapientiorem redderet, ac insanos illos tumores, ne nimium insolesceret, deturgere faceret, svadet ut mortem usque in animo haberet, semperque cogitaret, vivere se mortalem, ac pròinde variis expositum miseriis, brevique moriturum; Quid verò jam aliud effato hoc Philosophus dicere voluit, quàm nullam legem probatiorem, nullum præceptum salubrius; nullum ad arrogantiam, contumaciâque alicujus retundendam, efficacius medium & remedium haberi posse, quàm vilitatem originis, conditionisque suæ nihilitem ei ob oculos ponere, & exitum, Libitinam, ipsâque exequias ad mentem revocare? Elogium ædepol peregregium, dogmâque excellentissimum! Sed sequuntur rariora. Testamenti tabulis statuit quondam Regina Semiramis sepulchri sui monumento ut hi characteres insculperentur, T. Q. Q. F. R. N. I. A: D. L. S. Q. Q. O.

Tu

Tu, Quis Quis Fueris Regum Nunc Indigus Auri,
 Devolvens Lapidem, Sumito Quot Quot Opus:
 Rex autem Persarum Darius hos characteres cum legisset, eorum-
 que interpretationem percepisset, auri cupiditate exstimulante; se-
 pulturam, thesauri ingentis spe reperiundi sibi propositâ; reclu-
 di mandavit; sed spe suâ dignè ludificatus est, & voto excidit, ni-
 hil enim præter ossa, foetorem, ac putiscens cadaver illic reper-
 tum, cum his versiculis,

Ni malus, & auri famis insatiabilis esses,
 Functorum nunquam voluisses mungere peras,
 Talis eris, qui calce teris mea busta pedester,
 Qualiter hîc jaceo putrida, talis eris.
 Sis Cæsar, Macedo, moderator totius Orbis,
 Aut Cato, vel Cicero, denique talis eris.
 Disce mori, quisquis referas hæc scripta viator,
 Æqua manent omnes funera, disce mori.
 Disce mori dives, discat cum paupere Rex, Grex,
 Doctus & indoctus, junior atque senex.

Et quamvis hoc ridiculum, Reginâque hæc pudoris tantum in-
 cutiendi gratiâ, id fieri jusserit, hinc tamen mysticè edocemur,
 nullum haberi thesaurum in mundo meliorem, nullum luculen-
 tiorem, quàm mortuorum interdum excussisse ossa; Et sanè, si
 quis morti consulenti auscultare voluerit, ditissimus brevî, sapi-
 entissimûsque futurus esset, omnes enim virtutes diligeret, ac
 vitiis omnibus valediceret, nuntiûmque mitteret, & cunctam
 mundi negligeret vanitatem; Trias autem ut completa fiat, sub-
 nectendum apophtegma æquis auribus excipite. Editur de Zeno-
 ne philosopho, cum, cum aliquando ab Apollinis cortina, quâ ra-
 tione vitam honestè institueret, mores dirigeret, vitia vitaret,
 virtutes consecraretur; & ecquonam modo vitæ spatium cum
 honore traduceret, sciscitatus esset, hoc ex adytis accepisse re-
 sponsi; *Ut solutos corpore consuleret.*

• R •

Dum

Dum jam hoc Delphici Dei oraculum maturius mecum appendo, & excutio, videtur veridicus ille Deus eum, ac post eum omnes omnino mortales edocere voluisse, unicam ad vitam sanctè, laudabiliterque transigendam, & diem supremum summa in foelicitate claudendum, esse viam, rapacem illam, falcigeramque Parcam Mortem constinuo ante oculos habere, ac nosse se ipsum, nosse inquam momen, nosse hominem se esse, qui, ubi oritur, ibi moritur; *debilitatis exemplum*, quoniam nihil est homine debilius, *rapinam temporis*, quia unico anno, mense, die, rapit eum tempus, exiitque nunc pulchritudine, nunc visu, nunc crinibus, dentibus, viribusque corporis:

Fungus homo levis est, minimâ qui corrui aurâ,
 Qui manet in nullo stansque tenaxque loco.
 Nam modò frigoribus premitur, modò solvitur æstu,
 Et, modò quam portat, eras cruce funus erit.

Fortuna lusum, quia projectis taxillis, de divite facit pauperem, & e converso, ex honorato contemptibilem, & e contra, est pro qualitate casus taxillorum:

Si fortuna volet, fies de paupere dives,
 Si volet hæc eadem, fies de divite pauper.
 Si fortuna volet, fies de præstite miles,
 Si volet hæc eadem, fies de milite præstes;

Calamitatis bilancem, quia in æquali pondere trutinæ, appositam appensamque esse miseriam & prosperitatem, experitur;

Luctibus admixtam vitam mortalibus olim
 Dicitur instruxisse Deumque hominumque Monarcha.

Quam itaque diu hæc luce utimur, vivere quidem videmur, sed verius assidue morimur; aut saltem vitam verbo retinemus, re ipsâ autem amisimus; O ut vitam hanc nostram caducam politico-elegantuloque sermone quidam, sanctitate non minus, quam eruditione

ditione notissimus, prodelineavit! quando ait, *Ejusmodi vita nostra est, fratres, qui fluxam vitam trahimus, cujusmodi in terrâ ludus, ut, cum non sumus, nascamur; cum nati sumus, rursus dissolvamur: insomnium sumus minimè consistens, spectrum, quod teneri non potest, avis prætereuntis volatûs, navis in mari vestigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos suo tempore pullulascens, & suo tempore emarcescens; Sæculorum itaque temporumque ludibrium est vita nostra, propudiosam ex re obscœnissima ducimus originem, vixque eâ foeditate emerimus, quando in eandem magno velut impetu redimus: Somnium sumus hominis miselluli, quem sua noctu imaginatio ludificat, ut sublimem se magnifico in throno Regem secundum quietem videat, qui, ubi sub dio atque in trivio noctem transegit, ex duro fractus solo, ex frigore rigidus, ex egestate nudus, ex longa esuritione famelicus evigilat; Umbella sumus, quam si prænsare manu velitis, non potestis: Nónne aves, an non naves sumus? quarum illæ pennarum remigio ventos, hæ carbasorum alis pelagus sulcant, sed sola vestigia quædam earum, quæ in transitu relinquunt, ast talia, quò nullius sint usque radiantes, perspicacésque luminum obrutus, ut ea perlustrare possint. Pulvisculus sumus, qui eò graviolem sibi ruinam parit, quò sublimius se à ventorum aspiritu ferri permittit: Rosculus sumus, qui vix solem conspicatur, quando vel pro reverentia cedit de loco, vel præ timore atque admiratione tam splendidæ majestatis consumitur & distabelcit: Flosculus sumus, quem sol unus videt apertum, fragrantem, mortuum: Cùm ergo tam multa simus, & nos, vitæque nostra, equidem dicendum, quòd eapropter nil simus, justèque exclamandum:*

Stamina quàm pendent fragili mortalia filo,
Ut miserum nostrum vivere volvit onus!

Si enim spectemus corpus nostrum, angusta domus est, officina miseriarum, per anagramma porcus, sterquilinium nive cooperitum, quod levis febricula uno die discooperit:

R 2

Quan-

Quantula *mors* hominum corpuscula *sola* fatetur.
 Nil eis abjectius, nil calamitosius; Merito ergo homo bulla vocatur, parva bullula, quæ cum

Sustollit se atque effert, mox vanescit in auras;

Cujus infame fuit exordium, vita ærumnabilis, finis verò afflictionem involvens, è corruptione nascitur, inter lotium & ster-
 cus, parvo vivit tempore, & Iliadem procellarum, infortunio-
 rumque secum trahit;

Ilicò mortales inter mala multa senescunt. .

Qui lutulenti adhuc, & madore materno diffuentes, futuræ vitæ præfagire videntur mala, cum à vagitu prima ducant initia.

Vociferant A vel E quotquot nascuntur ab Eva;
 Justæ pròinde hæ vituperationes, nil homine tellus alit infœli-
 cius;

Vita hominis Mors est, finisque ab origine pendet,

Cui præstat non nasci, aut quàm ocysimè aboleri, ut habet ex
 Tullio de Sileno fabula, qui, cum à Mida captus foret, hoc ei mu-
 neris pro sua missione dedisse scribitur, docuisse Regem, non na-
 sci homini longè optimum esse, proximum autem quamprimùm
 mori.

Qualibus ah vitæ tenebris, quantisque periclis,
 Degitur hoc vefci, quod nobis dicitur, auræ!

•anè vellem, ut lingvam Ciceronis de consolatione hîc paulu-
 lum mihi possem accipere mutuò, qui nimirum humanæ naturæ
 incommoda ita diligenter & accuratè expressit, ut quasi luendo-
 rum scelerum ergò nasci homines, & in hanc lucem ingredi pos-
 sis agnoscere; *Fac enim, inquit, nasci hominem, & in lucem edi, con-
 tinuò senties, non rerum humanarum dominum & gubernatorem exortum,
 sed verius miseriarum servum atque incommodorum: Optarem inquam,
 ut lingua Hegesiæ cujusdam philosophi Cyrenaici mihi hîc adef-
 fet, qui aliquando*

Tra-

Traditur eloquii tantâ virtute fuisse,
Et tam dicere potuisse mala hujus vitæ, ut homines sibimet la-
queos injicere vellent. Non dubito, quin nôstis, jam olim duos
celebres apud Veteres extitisse philosophos, genio moribúsque
valdè dissimiles, at doctrinâ dogmatibúsque parum, quorum unus

Perpetuo risu laxabat falsa labella,

Abderitanus Democritus nimirum: alter verò
Planctibus assiduis suspiria clara novabat,
Quem dixere Heraclitum,

Iste nihil nisi risit, & ille nihil nisi flevit,

Istène ridendus, flendus an ille magis?

Iste sæculi hujus vanitates, insaniâsque falsas exsibilabat, hic hu-
manas deflebat miseras; Et dignè profectò, magna cum ratio-
ne, neminem enim fore credo, qui corde suo non abyssos quas-
dam suspiriorum, lamentorúmque erumpere sentiat, si animo per-
ambulaverit abjectissima illa naturæ nostræ epiphonemata, qui-
bus poëtarum principes sortem nostram deplorant, Bullulam bul-
læ, Umbellam umbræ, Somnium omniû &c. Si mente percurrerit
illas querimonias, novercam naturam belluis plùs, quàm hominibus
favisse, cùm accommodatis eas naturæ suæ instrumentis exarmâ-
rit, hominem verò inermem produxerit, quódque ipsas vivacio-
res fecerit & vegetiores, hominem autem temperamenti cutís-
que mollioris, ad assiduas tam animi, quàm corporis passiones ab-
jecerit: Si denique penes se tacitus deliberaverit tot sacræ pa-
ginæ loca, quibus usque adeò deprimitur natura nostra, ut ver-
mibus postponi aliquousque videatur; Utinam verò hæc inter-
dum ad æquiores rationis stateram nos intestina terræ pendere-
mus, nobiscúmque frequenter & ardentèr perpenderemus, quia
terra, putredo, pulvis, cinis simus, merúmque nihil, non dubito
fore, quin alas nostras brevè effemus constricturi,

Quid cinis & pulvis, quid sordida terra superbis?

Cùm ruis in cineres, sicut cinis antè fuisti.

R 3

Ec-

Ecquis ergo in mediis, quibus patemur continuè, angustis, miseris, & calamitatibus de se vel tantillum audeat polliceri? ecquis prudens sorte suâ inturgescat, suisque gestis liberius inolefcat, dum humanæ vitæ varia reputabit mala? ecquis ingenio suo, seu fortunæ bonis confidat, cum audiet tyrannum Samiorum Polykratem, ab opibus & splendoribus instructissimum, cruci affixum, Lydorum Regem Croesum, cunctorum, quos hominum memoria prædicat, ditissimum, Cyri Persarum Medorumque Regis imperio subditum, quinimò Cyrum ipsum, qui potentia suæ cornua in immensum tollebat, in aliorum carceribus constitutum? ubi nam verò nunc aula, regiúsque illorum omnis comitatus, ubi omnes priores honores, ubi omnes, quas prius habuerunt, divitiæ & opes?

Ortus cuncta suos repetunt, Matrémque requirunt,
Sic redit in nihil, quod fuit antè nihil.

S. 14.

DEgit igitur homo in hac infortuniorum curia, & ærumnarum, procellarumque omnium vastissimum pelagus navigat, Cor humanum quid esse existimatis? omnium miseriarum est *reconditorium*; sed adhuc ad vivum melius illud depingam, suisque coloribus delineabo, *vallecula* est, quò naturaliter omnes aquæ tribulationum decurrunt. Porro autem hæc ipsa certissima, cheu, cum animis nostris, dum lætis nos flabris fortuna afflat, non pertractamus, quin potius omnibus isthæc à nobis conatibus, dum pabulis voluptatum, deliciarumque carnis vescimur, amolimur, naturam piscis Nautili (dicti sic, quia navis effigiem habet.) imitantes, de quo scribitur, quòd mari silenti & pacato eatenus se auræ suavi exponat, ut, quasi conditionis suæ oblitus, de pelle navis figuram formans, ventos excipiat, ac ventre sursum natet, nec se casibus avium rapacium, piscatorumve objicere formidet; enimverò procellosa apparente tempestate, in se rediens, profundum maris repetit, inibique securè moratur & conquiescit.

Idem omnino nobis evenire solet, qui prosperitatis tempore se-
reno

reno follescentes & ingrandescentes, toto corpore vitiorum nostrorum paludibus, velut ranæ, immersi, vento vanitatis nos infarcimus, aliisque præminere gestimus, &, salutis propriæ periculo, homines nos esse obliviscimur; adversitate autem premente, humiliati & afflicti, homines nos esse recordantes, fugam ad securum pœnitentiæ, ac timoris Domini asylum arripimus. Id quod experientia domûs funerariæ palam vobis, & ad oculum demonstrabit; hanc enim cum admiratione subeuntes, & luctum defuncti expendentes, cuncta bene sapienterque ordinata & composita esse videbitis, summo item silentio ac quiete omnes ibidem adesse, &, si quem fortè loqui contingat, verba ejus prudentiâ plena esse, perinde ac si alter Plato aut Cato foret, quodque magis adhuc admirandum, non viri & mulieres tantum, cæterique ætate provectiores, verum etiam ancillæ, aliâs anserum more blaterantes, juvenes, servique viliores repente prudentes, morigeri, & modestâ gestione conspicui, mirabiles proferunt sententias: *Quosdam enim inibi audies dicentes, hominem non aliud, quàm miseriarum esse compendium, verèque tetigisse philosophum quendam interrogatum, quid esset homo? respondendo inter cætera, Quod esset viator transiens, & hospes loci, quodque ex hac vitâ distedat, tanquam ex hospitio, non ex domo, commorandi enim naturam nobis diversorium fecisse, non habitandi locum; hocque idem velle Apostolum, non habere scilicet nos hic manentem civitatem, sed futuram inquirere.*

Vita viatoris caupona, coronida cuncta,

Quæcunque immundus Mundus honorat, habent.

Transit honos, transit fortuna, voluptaque transit,

Mente Deo suppar corpore transit homo.

Transivère patres, simul & transibimus omnes,

Patria ei cœlum, qui bene transit, erit.

Alios, peroptimè naturæ nostræ conditionem intellexisse Solonem, qui, dum, quid esset homo? interrogaretur, respondisset, Putredo.

tredo est in exortu, bulla in omni vita, esca vermium in morte, terra & pulvis.

Quare, cùm limus, cùm res vilissima simus,

Ergo superbimus, sub terram terra redimus?

Alios, præsentem vitam potius esse mortem, quàm vitam, indèque acutè protulisse moralium philosophorum primicerium Senecam, quando dixit, *Quotidie morimur, altius autem veritatem in-tuentibus omnis vita supplicium*, Quid est enim diu vivere, quàm diu torqueri?

Ecquid longa dies nobis, nisi longa dolorum

Congeries, longi patientia carceris ætas?

Qui bene consideraverit tot vitæ nostræ frustraneos conatus, fœliciores longè judicabit eos, qui in sepulchris suat, quàm in vivis.

Alios, Ephemerum (quod animal est vivens uno tantum die, secundum herbarum animalculorùmque illum naturæ gnarum Dioscoridem, unde & appellatur febris ephemera, quam latini diarriam dicunt) jure optimo intelligi posse de homine, ex Citharædo Regio, *Manè floret, & transit; vespere decedit, induret & arescit*. Ah vitam triduanam, vitam umbrâ magis umbraticam, verèque vitream! vento velociorem, fumo inconstantiorem! Vitam inquam perditioni objectam, vitam, cui mors usque suas tendit infidias! *Alios*, nos omnes omnino eòdem cogi, non infulas, non fascès, sceptrà, secures, mortem vereri, aut revereri; ast albâ, ut dicitur, amussi, sine cura discriminis tondere.

Cæca pari pulsat, miserum! Mors fuste tabernas,

Regalèsq; domos, & sceptrà ligonibus æquat.

Non respiciens Comitum galeas, nec Præsulum tiaras, non Pontificum mitras, nec Regum coronas; quia non est acceprix personarum, sed sicut eadem ulnâ pannus villosus, linum crudum, & pannus tmolius metitur, sic Morta mors jus idem Regibus, mendicis, Principibûsque reddit, eadem nimirum forfice telam crassam, & subtilem sive pepulum, rusticam & Coam perscindens, *Alios*
deni

denique à puncto mortis, vitæ & honoris stipendium pendere : Insummâ omnes philosophi esse videntur, cum in illis afflictio cathedram suam fixit, scholamque instituens, discipulos suos refrixit ; Ac sic angustia, quæ philosophiæ, sapientiæque mater est, informante, sapientes citò evadunt, Deumque jugiter exquirunt.

Venatrix illa muscarum, cassiumque, quibus eas implicet, ingeniosa textrix & distentrix aranea, mirabili hâc dicitur dotata proprietate, ut coelo terfo non labore, sed aëre nubiloso, & nigricante, valdè impigrè & sollicitè operatur, fortè quò æthræ serenitate, lucisque candiditate fruatur ; optimè pròinde homo, quoad hoc, illi assimilatur ; qui nimirum, tempore prosperitatis sereno & tranquillo, otiosè degens laborare renuit, die autem subnigro, nubibusque tecto, anxietate premente, ad Dominum clamat, & nomen ejus invocat, tunc labori, bonisque operibus, gnaviter insudare gaudet, tempus nullum perperam frangi permittens. Et sic in afflictionis, crucisque cathedrâ constitutus, conclusiones amoris sui erga Deum animosè suffert, demonstrationesque scientiarum egregiè exhibet,

Atque venit sic tunc miseris solertia rebus.

Ex hac jam verò longa exemplorum serie manifestum redditur, quòd universitas artium ac scientiarum est penuria & adversitas, omnes siquidem adeò perfectè, exactèque edocet, ut nulla imperfecta remaneat, omnes item artes in phrontisterio paupertatis addiscuntur : nam præcipuos, plurimosque philosophos, Oratores, ac Poëtas fecit egestas :

Et Laris & fundi paupertas impulit audax,

Ut facerem versus, ut nocte dièque studerem

Atque imò, virtutis schola, non inscitè, aliquibus dicta est ; est enim efficax virtutis gymnasium, etiam volentes ad discendum coegens, quemadmodum coëgit Zenonem Scythen, quem paulò antè, cum quasi senatum philosophorum recitarem, in scenam produxi ; hic namque de philosopho mercator effectus, omnes simul

S

merces

merces suas in unâ constituens navi, dum illa per mare foeliciter ferretur, ad scopulos allisâ, cunctas naufragio merces simul perdidit; repentina sanè rerum vertigo! unde ex divite subito pauper factus,

(Lusus enim fortis variatur, ut ordo cohortis,
Crescit, decrescitque, in eodem sistere nescit)

Projectâ suâ Soli tunicâ ad exsiccandum, gratias referens fortunæ, exhilarabundus complicatis manibus prodidit illa verba, *Bene facis fortuna, quæ me ad philosophiam revocas*; Hem adversitates! profectò super aurum & Topazium diligendæ, vah benedicta tribulatio, non *flagellum*, sed *flabellum*! Et similiter illum, qui, post naufragium, amissis omnibus, quæ ad victum amictumque spectabant, dixisset, *Periissem, ni perissetis*, Bonum mihi, quia humiliasti & depauperasti me Domine, ut discam justificationes tuas, melius ut flagelles me Deus, & recipias me, quàm parcas mihi, & deseras me. O ergo auro redimendæ afflictiones, quæ coelestem gloriam in præmium recipietis! Sententiæ verò aureo pol dignæ cothurno, suscipiendæ, custodiendæ, & in cordis penetralibus recondendæ! Indisputabile idcirco illud dictum Phalerei Demetrii, nullam esse personam infeliciorem illâ, cui necdum aliquod infortunium accidit; Sicut ergo paupertas, vel angustia, vel adversitas est magnum donum Dei,

Et ad beatum sanctifica bonum via, Ignota vulgi sensibus,

Cœleste ac salutare pharmacum, quod Deus ut medicus usurpat, & quo nos ut ægri curamur, ita & pauper non incongruè imago Dei dici potest; quemadmodum enim Deus sibi met est sufficiens, sic & aliquatenus pauper, juxta sapientissimum terrioplarum paroemiographum Salomonem,

Dignior est pauper, sufficiensque sibi.

Præterea, sicut Deus est immensurabilis, eodem modo pauper,
nam

nam totum universum ei pro domo est, cum nullum habeat locum proprium. Vaha qualis excellentia, qualis gratiæ prærogativa! ubi misellus Christus, cœlorum toparcha, Angelorum Monarcha, speciosus ille formâ inter filios hominum, mellitulus ille virginum sponsus est, ibi similiter futurus est pauper! in Paradisi delitiis, inter cœlestis gloriæ gaudia, inter choros beatorum spirituum, in brachiis Patris Æterni est Christus, sic pariter erit pauper & afflictus! Hem tribulationes, ô omnibus votis exoptandæ persecutiones, quas tam amplâ mercede compensat Omnipotens! verax itaque profatum,

Te judicamus esse miserum, qui miser
Nunquam fueris, adversitatis inscius:

Atque sic nunc caussa est in liquido, cur dictus Demetrius, Athenis principatu expulsus, Thebas profectus, tûmque Crate philosopho ratiocinari cœpisset, ex eo tantam perceperit consolationem, ut cecinerit,

Sors maledicta, fovens foelici lintea vento,

Quæ me huc usque viri privasti foedere tanti;

Vah beata, sancta, ac ter beata paupertatis conditio!

Non igitur scripsit procul abs ratione poëta:

Quin & divitias comites fugit incluta virtus.

An non stolidus ille, deménsque dicendus esset, qui montem altissimum conscensurus, grave susciperet in humeros onus? annon omnes clamarent, nihil eum minùs, quàm de clivo condescendendo cogitare? idem omnino & censendus facere est philosophus, si enim ad scientiam atque sublimia electus, sollicitudinibus opum, civilibus undis, curiæque curis se implicet, apertè demonstrat, de Deo, de sapientia nihilum se laborare, ac ne somniare quidem: Non proin indigno de divitiis ore concinam;

Divitias fugito cælum grave pondus amanti,
Nam perdunt animum, nec bene velle sinunt.

Cælum inquam grave pondus amanti; propter quod Distichon, initio *Praeludii Nostri* pro paupertatis parte allegatum, divitiis quoque accommodare possumus hoc modo.

Ingenio poteram superas transcendere sedes,
Per nisi versus humum præcipitarer opes.

Hoc ipsummet optimè tenuisse videtur Anaxagoras, philosophus ille Clazomenius celeberrimus, qui ut melius, quietiusque philosophiæ incumberet, opes facultatésque repudiavit: Ab hoc enim latere Mundus, velut Briareus centum quasi brachiis, & quinquaginta ventribus divites infestat; ab altero Argus insomnis, draco pervigil, & leo apertis oculis dormiens, opulentos excæcat, ostendens illis omnia regna mundi & gloriam eorum: Sunt sanè divitiæ atque prolubidines mundi dulcis quædam fagina, sub qua deceptionis lactationisque hamus absconditus, *fagina*, quæ semper prædam capit, ubicunque est enim esca, poniturque viscus in ramis, & distenduntur retia, usitatò sit præda, qui volunt voluptuari, fierique divites, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.

Locupletibus ut plurimum evenit id, quod evenire sæpius observavi muscis, quæ cum vel maxime expetant mel, nesciunt ponere modum in appetenda dulcedine mellis, atque ideo, si mel alicubi inveniant, eatenus se illi immergunt, & intricant, ut pedibus, alisque amplius ex eo, tanquam ex retibus se eripere non possint:

Sic quorum gravida est obryzis arca metallis,

Qui noctes ac dies nil, nisi divitiarum mel, somniant; hinc pergratâ ejus suavedine comperrâ, ita immodicè se replent, inferciunt & ingurgitant, ut corde animoque ulterius ex eo, quasi laqueo, liberare se non possint, sed in tendicula avaritiæ intereant, finemque, ob quem providentia divina divites fecit, non consequantur; Posteaquam verò, velut ultro, jam bis, ni fallor, de providen-

videntia sermo ortus est , oportunè hîc herclè refricatur mihi memoria ; Non semel nimirum audisse me , quosdam fatuos sibi suæque sapientiæ ascribentes, quia divites sunt. Hem calva pol & vesana Postpartorum Adæ hypotyposis ! ô vacillantes in fide, plûs tribuentes oculo, quàm oraculo ! vos utique enormiùs, quàm vaccæ deliratis, hâc quisquis opinione ducitur & seducitur , amicorum illum maximum Job audiat dicentem & docentem ;

Fit nihil in terra sine caussa, quælibet autem
Existunt numero, mensurâ, pondere creta ;
Quotquot mortales, omnes pendemus ab Uno,
Præscriptâsque suas cœli tenet orbita leges ;

Mala, bonâque vita, mors, paupertas & honestas à Deo sunt ,

Non igitur, casu ditès reperirier Orbe
Censendum, Superi quidquid voluère, peractum est ;
Ut quoque nec curax hominum prudentia ditat,

Sed providentia divina ; Dives & pauper obviaverunt sibi, utriusque autem operator est Dominus :

Fecit utrumque Deus, neuter sine numine Divûm.

Hoc tamen addere lubet, quod si res ipsas, progressus, processûsque vitæ humanæ ad nostram duntaxat sive providentiam sive scientiam expendamus, plurima certè casu quodam, ac fortè fortunâ fieri existimabimus ; sin verò ad Divinam, cui ab æternò singula, & minutissima quæque etiam prospecta sunt, sit nihil Numine fortunæ, sed omnia ad Divinæ providentiæ regimen, quæ multi impii quasi casu, temerèque, seu nullâ Divinâ administratione fieri autumant, referuntur.

Paululùm, si modò placet, habete patientiam, exemplo inquam si vultis, id vobis explanatum dabo. Paterfamilias è domesticis duos, intentionis suæ ignaros, diversis emittit viis, sed eundè ad locum, hîc alterum alteri occurrere fortunæ casus est, non Hero,

at servis. Eodem prorsus modo, thesaurum reperiri à fossore inope, sortis est quidem benignitas illi pauperculo, at non Deo, qui nimirum istas ibi ideo opes recondi voluit, ut easdem hic ipse mercenarius, eo defossurus loci, inveniret, & collocupletaretur, non sanè casu, ast merà paternà Dei providentià; Dicere idcirco, res orbe geri casualiter & fortuito, adeò est impium, adeoque imprudens & impudens, Deum ipsum ut è medio tollere habeat.

Quis fluere indictis rerum neget omnia caussis?
Fata patent homini, nemo temeraria credat,
Fortuitoque geri mundana negotia casu,
Omnia lege meant, quam rerum Conditor illis
Sanxit in æternale, suæ de mentis abyssò.

Quapropter ingenuè decernamus, & concludamus, *Nihil in orbe fit fortunà,*

Nil quia fit casu, sed legibus omnia Mundo,
Non etiam cadit in terram passerculus unus,
Ni patris Æterni vestri sit fixa voluntas.

Hæc utinam intimis cordium suorum paginis bene inscriberent delicati ac comptuli Croesi! dum immoti, saxis ipsis duriores, à Christis in viis & vicis mendicantibus, oculos suos deflectunt, sponteque avertunt, recordantes illis vel pusillum de mammonæ sui adjicere iniquitate, ne prolixà Dei, tam munificentia, quàm providentià, (quæ abundantiam bonorum temporalium in hunc solummodo finem, & necessarium vitalitium concessit) abusi,

Post scenam vitæ, dicente Deo, *ite venite,*

Secundum Evangelici verbum Vatis, malè habeant, & cum fatuis audiant irrevocabilem illam vocem, *Non est oleum in lecytho;*

Ianua clausa est, vah, quæ lamentabilis hæc vox!

Orcinà sed frustra pulsabitis ostia pugnīs,

Vestræ namque manus nequeunt diffingere ferra.

Dixi

§. 15.

DIxi autem, *de mammona sui iniquitatis*, neque & hoc citra animadversionem, quia divitiæ omnes ordinariè ex iniquitate descendunt, & nisi alter reliquerit, alter possidere non potest, ea propter videtur pervagata illa sententia esse verisimillima;

Injusti est locuples hæres, aut ipse iniquus;
Æquus vir nunquam multum citò possidet auri.

Quid istud, quomodo hoc, qualis hæc Terpsichore? videor mihi hic plumatos, inflatosque conspiciere & audire divites, dicentes & obrogantes, de gentium, fideliumque illo omnium Patre Abrahamo, qui toties in sacra scriptura amicus Dei nominatur, cuique nullus fuit unquam virtute obedientiæ, propriæque voluntatis resignatione similis: De Jacob, Patriarcharum Veterum decore & ornamento; de longævâ venerandâque canitie Tobia; deque virtutum omnium, & præsertim patientiæ, speculo Job, ac mille aliis, qui & divites fuere & innocentes, & viri secundum cor Dei. At ne quid nimis, bona verba unigeniti, *Lupus nondum fecisset fabulâ*; tales fuerunt, sic est, sed illi habentes divitias, quasi non habentes erant, & non sibi illas, aut peregrinis & egenis coacervabant, veluti abundè satis libri Geneleos, & copiosè libri Job testantur; insuper possessus eorum, non in præclaris ædibus, mercibus, vestibus, in vasis aureis vel argenteis, aut pretiosa suppellectile, sed in pecoribus erant, quæ sanè possessiones, & innocuæ, & divinitus permixtæ sunt, at hem tu, cedo semel obsecro,

Unde tibi tam ingens argenti pondus & auri,

Unde illi? sed ab avita, inquires, hæreditate, rectè quidem, Quæro verò jam nunc semel iterum, poten' bene, longam propaginis speciem repetens, probare, opes istas crimine carere iniquitatis? nunquam profectò id poteris, verum necessum est, deducere initium & scaturiginem, ex aliqua iniquitatis massa: Deus enim ab ini-

initio creationis generis humani, non fecit alium divitem, alium pauperem, sed eandem omnibus humum aperuit,

(Omne genus hominum simili confurgit ab ortu)

Quo igitur pacto, quando illa communis est, tu illius tam multa jugera possides,

Et mihi telluris non suppetit unica gleba?

Neceffe est ergò, per retrocessionis lineam ascendendo, invenire injustitiæ Authorem, qui conquistavit mammonam iniquitatis. Dicitis, divitias facultatésque nostras nequaquam pauperibus imperitiemur, hæredium & patrimonium nostrum, quibus pro libitu utemur, ô filii ficulnei, concava sanè Mortalium imaginatio, vah stolidi Adamidarum conditio! *Dicis, quia dives es, & plenus, & nullius egeo, & nescis, quia pauper es, & miser, & cæcus, & nudus, Vestræ sunt dicitis? ast eodum vos boni viri, ecquis vobis gratiam animæ fecit, quis intellectus, quis vitæ, facultatum, dignitatum, & omnium, quibus gaudetis, bonorum? nihil hîc opus longum divinare, aut diu indagare, res est in aperto, quòd solius Dei munifica manus hæc vobis omnia affuderit, à generoso illius profecta sunt pectore, quæcunque in vobis dona, quæcunque bona, ipsius inquam largitati debetis, quidquid vel estis vel habetis, & vestræ adhuc sunt dicitis? quare verò eas vobiscum, cùm hinc brevî sitis recessuri, non recipitis? an non dicetur vobis,*

Clausula ubi constiterit Magni cortina Theatri,

Ubi mortales omnes partes suas egerint, ubi denique Antichristus fatalem epilogum tragoediæ posuerit, *Reddite rationem villicationis vestræ, quia non potestis nunc amplius villicare? Veniam porrò, veniam mihi date, præmissorum prati mei lectores, qui hærrere hic maneam tam diu, feracitate amœnissimi hujus campi (in quo Aliger Agricola flores suos dispergit) tantà illectus: cùm itaque vera illa & summa lex à philosophis dicatur. Inest in eadem explicatione naturæ insatiabilis quædam è cognoscendis rebus voluptas, in quâ unâ, confectis rebus necessariis, vacui negotiis, honestè ac liberaliter possumus vivere, Tunc verò potiùs etiam con-*
venite,

venire, & vasa, sensusque vestros aptate, in quos ista hinc sic profluentia documentorum moralium nectara transfundatis, ne, ex vestra negligentia accommodandi, stare & sterilefcere cogatur vena tam dives.

Animus quippe mihi major veræ sapientiæ Dei, quàm mundi pertractandæ magnificentiæ, quòd omnis hujus vitæ, si qua est sapientia, fluxa, vanida, & instabilis sit ea, apud hominem post factum minimè perseverans, *Philosophia, quæ versatur circa elementa, magis est falsa & fucilis, quàm vera sapientia, ruspatur enim orbicularis plagas mundi, spatia scrutatur, stadia rimatur, quæ sibi nihil prodesse possunt: Deum autem, quem unicum deberet inquirere, transilit.* Philosophus Thymelicus mille argutationes sophisticas, subtilitates Scottificas animo volvit ac revolvit,

Dum verò placidâ dilaxat membra quiete,
Ideæ, species, mox argumentaque cessant;

Et nihilò tunc plùs, quàm stolidus, quadratúsve rusticus sapit.
Caussidicus, controversiarius, aut consiliarius,

Disponunt animo caussas, & jurgia, lites.

Caput Bartholo & Baldo oppletum, auróque guttur saginatum habent; non anginâ hi Vultures Togati, ut quondam Demosthenes, sed argentanginâ laborant: huc enim omne conamen, huc omnis eorum defudat prudentia.

Jurisprudentes vocitantur jurè periti,

Cùm sibi duntaxat prudentes atque periti:

Hi lætè nullam excipiunt partem, nisi nòrint,

Quòd gravis ære domum possit sibi dextra redire.

Quærit avarus opes, subrepat vanus honores,

Adque jocos scenæ recitat proluxa theatra,

Gubernator, præfectúsque militum machinationum stratagemata, & incursus hostium vigili mente peragrat.

Ast ubi sopito perflavit pectore somnos,

T

Nec

Nec rei bellicæ gerundæ solertia, nec vires aut virtus militaris magis, quàm solutum in somnos Sampsonem obumbrabit: Veris pròinde philosophis discenda in terris sapientia est, quæ post per-
durer, qui enim extra hanc unicam sapientiam, sapientes se existimant, non sapientes, at amentes sunt, discite hîc,

Quâ ratione venire probè possitis ad illum,

Quem si semel videritis, statim sciatis omnia, Hæc est æterna illa veritas, Hæc est nullâ animi importunâ curiositate violata philosophia, Hæc vera illa, sincerâque sapientia, cujus vel unica solommodo gutta pluris est, quàm vastissimum quodvis pelagus sapientiæ hujus vitæ, *Scire non multa, sed unum magnum, se, salutemque tutari, magnum & multum est*, quia sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Veruntamen ne videamur multicavas per vias nostras ferre passus, & perperam eccentrici evadere, pergamus ex scopis, amussimque prosequemur,

Nos iter inceptum nostrum modò thema sequamur,

Et Orthomagicam nostram officinam, unde merces utrâque extunduntur pretiosiores Indiâ, succedamus, quia hoc præclarissimum Sapientum pancratium visum Adeptis Immortalibus prudentum animos esse convocando omnes in sui perventionem, tanquam sapientiæ humanæ fastigium, horreolûmque honestæ voluptatis, in quo inextupputabilia sine numero dona, quemadmodum olim omnia genera florum frugûmque cornucopiâ Acheloo ab Hercule detractâ, constipabantur,

Divite mecastor plenissima copia cornu!

Sed sistamus nonnihil de hoc, pergamusque ad reliqua, quæ nec multa restant, & scitu ac cognitione dignissima, diplomate autem ipso, quod præcipuè spectandum, gratiora fortassis & uberiora; At quid incipiscam? quâ ego atypus arrogantia frontem attollo, ut de celsitudine tua, O *sacra physicomagia* omnium meritò laudum,

dum, præconiorumque commentariis illustrissima, sermonem institutam?

Ore tuos titulos, & vitæ laudis honores
Tenare? cum iis impares sint vel lingvæ ipsorum Ciceronum
atque Plautorum, tamen si facile veterimus, & sine ulla dubitatione Romanorum eruditissimus Varro de illis ait, *Si Musa latine loquerentur, Ciceroniano & Plautino sermone uterentur.*

Define consimili texto perstringere textum,
Define, præfatis potius vel membra resolvas:

Te siquidem jam pridem ab ipso lætentis Orbis exordio antiqua
oracula Gentium tot obscuris ænigmatibus, hieroglyphicisque picturis designarunt, te tot omnifariis apocryphis oscillis, atque signaculis decantarunt, te inquam tot mysteriatis iconculis & imagunculis emphaticarunt, De te Ægyptiani, de te tribus Phœbi, de te Sibyllæ folia ominarunt, te Colchidis custodes avito sibi patrimonio vindicarunt, te ora doctissimorum poetarum, divinissimorumque prophetarum, Johanninæ apocalypses, Ovidianæ homœoses, metamorphosésque prædefigurarunt: Exclamem igitur jure, O ars dignissima, ars nobilissima, mundi miraculum, naturæ prodigium, portentum & stupor! equidem toto vitæ meæ tempore nil unquam tantopere prædicabo & demirabor,

Orbicus Unversi motus dum desinet esse,
Cærulâ circumagent clausum dum fluctibus Orbem,
Cynthia devexam dum plena revinciet æthram,
Roscidus addicet creperos dum Phosphorus ortus,
Altâque spumantem dum Nerea nesciet Arctos,
Famოსam celebri resonabimus ore Magiam.

Tu inscitæ nubeculas detergis, mentemque clarificas, tu tanquam
cælum nebulosum obscurumque conspectu, sed abundantia & fertilitatis terræ occasio, tu es illa, quæ reliquas mundi scientias,

Ac artes, radians ut stellas Luna minores,

T. 2

Plu-

Plurimis parafangis præcurris, Vaha ars sublimis, quæ es inter artes, quod sol inter planetas ! tu in te causam complecteris, aliæ non nisi effectum continent, tu oceanus es, cæteræ non nisi amniculi, tu esse habes in facto esse, ut loquuntur philosophi, reliquæ duntaxat in fieri ;

Tu Sophiæ illa Domus Septem suffulta columnis ;

Tu illa, quam ab Orbis incunabulis Arabes, Græci usquemodò mille emblematis, statuis, figurisque hinc inde exprefferunt, tu es illa virgula & virguncula Aurei Sæculi, monilibus undiquaque velut sponsa, condecorata, tu verà illa Joviana Diana, tu coniux illa casta Ulyssis, quæ multos annos inviolata permansit, quamvis nullo custode habito, & mille invasa adhinnitibus,

Penelope vixit viginti salva per annos,

Fœmina tam multis sollicitata procis.

Penelope mansit, quamvis custode careret,

Inter tot cupidos inviolata viros.

Tu itaque illa Dea incontaminata, & immarcescibilis ab ingeniosa antiquitate ampliter suis typis adumbrata, imaginibusque depicta, tu Aureum illud Theffalicum Vellus, quod Danai, incredibili tui disciplinarum addiscendarum cupiditate inardescentes, ductore Pelasgo pariter cum ipsius asservatrice Medea ademerunt : Sed nihil sunt hæc adhuc, si cum iis, quæ mox dicturus sum, conferantur. flaccescam timeo & deficiam, *Aurifera Artis Spudassa*, ni coeptis adjuvetis, & micantia vestra laudum fulgura, veræque encomiorum voces perperim insonent, & vel utinam, in tantæ artis pondere, uti Pericles, qui ab Aristophane fulgurare, & fulminare dictus est,

(Ejus erant fulgetra meraca tonitrua voces).

Radiantia & nos mittamus præconiorum fulgura, quod si verò hæc ex modulo sive virili evibrare non possumus, saltem avicularum in-

instar in fermunculos prorumpamus, quoniam nulla tam ampla de Artis hujus præstantia potest esse prædicatio, nullus tam humanus hymnus, nullum tam sublime carmen, quod ejus non superetur immensitate, & altitudine præcellatur. Sanè celsitudo in-navigabilis hujus Amphitrites humanæ intelligentiæ arctitudi-nem, toriúsque propè vincit eloquii facultatem, adeò ut excellen-tissimis ingeniis, facundissimisque lingvis longè sublimior sit, Ex-pendi aliquo modo potest, comprehendere vix potest; In contem-plateatione mysteriorum tuorum, eorumque, quæ sub essentiæ tuæ involucris delitescunt, ad nihilum scientiæ ac cognitionis reda-ctus sum. Annon Hæc verè est insignis ille liber incomprehen-sus literis aureis scriptus, altissimis magisteriis plenus, & profun-dissimâ scientiâ absque minimo errore refertus? annon Hæc est ille torrens, qui tranari nequit? ànne Hæc est aquarum illud om-nium reconditorium, & catholico-thesaurus Oceanus, cujus alti-tudo nullâ bolide investigari potest? ànne Hæc est ille Labyrin-thus mille millies se gyris & spiris intorquens, qui semel ingres-sos circumducit & circumagit? quid tandem Spagiria sit? quæri potest, nescio hercle, & dum omnia dixi, nondum frixi, id unum teneo, quia Magico-chymia est illa Jovi consecrata pyxidula, quæ intra coopercula sua, tanquam maritimum conchylium, conser-vet unionem fulgentissimum, margaritumque pretiosissimum.

§. 16.

Fabularum filii poëtæ de cerebro neverunt, Deos Pandoram omnigenis donis muneribusque concumulasse, quod cœlestem divinamque sobolem edidisset, ut ex nomine illius satis colligi potest, quod tantundem sonat Argolicè, ac omnia dona: Fabulo-sum hoc quidem est & commentitium, at certum, Ortho-chymiam tam peregregii partûs prolis metaphysicæ, solis lunæque fi-lioli, existere genitricem, quid autem ad hæc dicitis, *Cientes pa-trocinii tam exortis, tamque aviti?* annon in admirationem rapimi-ni, cum adeò inexpectata hîc nuntia vobis præferri, tantisque Artem vestram auditis expoliri encomiis?

T 3

Spal-

Spallere sistatis septem miracula mundi,
 Nobilis hîc major textitur Artis honor;
 Dædala Pyramidum taceas miracula Memphi,
 Tollimus hîc decuplò grandius Artis opus.

Opus sub virginis philosophicæ vestimento reconditum, quod nec frater fratrem docere voluit, hoc est, omnipollens illud, suppressumque in mentis, memoriæque scriniis secretissimis Secretum, super quo sacramentificaverunt sepositiores sagaci ingenii subtilitate Philosophi, quod non indicarent in aliquo libro, neque etiam quisquam illorum, in codice cordis cognitionem hanc servantium, patefecit illam unquam, nisi sensum parientibus parabolicum.

Hîc ergo invidiose os tibi refrænandum, ut ne quid obganias, huc Cicero, huc attende Homero-mastix, qui sine pudore vexaris, qui ædis nostræ idolum injuriæ dente corrodis, quamobrem felle calumniæ experimenta planæ veritatis infamas? cur integritatem juramentis mille stabilitam Theoninis probis incessis? nolo hujus majestatis vestes discerpas, ne chartam hanc candidissimam fuligine præstigiarum commacules, Hem hysteron proteron! obmutescat os talia proloquens, hebetescat mens talia cogitans, contremiscat cor talia meditans,

Faucibus hærescat denarrans talia lingua,
 Ut non respiret proclamans talia guttur.

Neque impedit, si aliqui Philomagorum reperiantur tenebriones, & homines noxii, quibus frequens, unicæque cura est, sub Alchymix eludere titulo, hæc enim non sunt artis, sed artificum vitia,

Quoquo sis populo, videas quocunque sub axe,

Laborat ars, & quævis vitæ conditio suis abusibus, habet urbs, & quælibet orbis regio, suos probos & improbos; nec, ut Comuni dicitur proverbio, *Omnes molitores Mercurii sunt nepotes, aut omnes*

omnes in Boëtia fues; invenire est in classe Causidicorum fures non minùs, quàm curiones, quid? in Angelis ipsis Deus reperit pravitatem; an oves deponent pellem suam, quòd eà lupi abundantur? an mellificatione cessabunt apes, quòd è melle fella fugat aranea? an sampsychem suaviter spirare desinet, quòd porcis & setigeris suber acre venenum sit, quod nos tanquam merceda recreare videtur? Ars monetaria non caret falsariis, parapsallistis, numismatùmque accisoribus, horum nihilofecius vitio & fraude, non definit esse res nummaria: sic, si quid est in Alchymia doli & fuci, hoc est zizanium inter frumentum, lolium in horto penitùs averruncandum, sudésque nullius frugis ferro detruncanda: Terra profectò tam beata, tam pingvis, tam foenebris nulla, quæ non stypticos, tribulos, aut urticas ullas alat,

Multi solent auro sæpè subesse mala,

Sua quoque non infitetur Spagiria propugnacula & convallia, è quibus insidias moliuntur cacochemici & fraudulentè erronei, hi sunt gurguliones & millepedæ artis, qui cocca Chymica depascunt, custodienda est ars ab his gulonibus, nævosisque animalculis, non verò gravissimis maledictorum aculeis laceßenda, aut obelisco notanda: nam sanè minùs bene faciunt, quotquot artem ignotam arrodunt & explodunt, hoc vir prudens nemo faxit, ut convitietur & consceleret imperspectum, sed potiùs venerabitur, omnique studio ac honore prosequetur. Omnia inter volatilia, maximè obsonio quoad gustum & nutrimentum, commendatur

Regius ille ales, nomen de Phaside nactus:

Attamen, nisi probè condiatur, & crudus vel ambustus comedatur, parum nidoris & saporis habet; ita quoque Alchymia, omnia inter scibilia, cunctasque sublunares partes & artes, facile citima est; equidem, ni bene usurpetur, nil valoris, at foedoris, laborisque plurimum continet, quanquam in se aliàs honestissima satis & probissima sit. Est ergo Alchymia sicuti ager, in quo bonum, malum-

malumve semen seminari potest, sicuti papyrus, in quâ, & aureis literis virtutes, & carbone vitia, describi possunt, inquam, sicut tabula rasa,

In qua nempe potest pictor depingere cœlum,
Astrâque cum stellis rutilante micantia luce,

Potest etiam depingere stygias tenebras, furias, ignemque infernalem,

Quid *Chymia* est aliud, schola quàm secreta Sophorum,
Unversæ physios quæ tibi monstret opes?

Quid *Chymia* est aliud, præter Stoa porticus, unde
Exstructus quis abit, mysteriisque potens?

Quid *Chymia* est aliud, quàm totius Orbis Athenæ,
Unde superraræ prodeat Artis homo?

Mundo quidquid opum, medicinæ quidve medelæ,
Id *Chymia* est totum suppeditando satis;

Sed *Chymia* esse solet cunctorum pus nebulonum,
Exeat hoc cœtu, qui volet esse probus.

Sed *Chymia* esse solet verges, vallésque *dolorum*,
Longiùs hinc absis spe procul esse volens;

Sed *Chymia* esse solet decepatrix plena dolorum,
Labra favo mellis, viscera felle natant.

Quemadmodum ergo Deificum illud speculum, postremumque creationis divinæ simulacrum homo, animalium omnium princeps & caput, non hercle repudiandus, aut conculcandus est, propter capillorum lepores pediculos suos, aliâve impuras corporis sordes, quas natali sorte contrahit: nam pectine, aquæve malluvio faciliè integer purusque conservari potest: haudsecus nominosa & inclyta ars illa Magochymia, omnium indubiè prostitium verâque Heroïna, non, quia quid squamosi, glareosi que retrimenti, aut fumi denigrantis olet, pro turpi mox æthiopissa est, vel exoletâ habendâ meretrice, nec ad oletrinam, aut despectissima

Ætissima orbis exercitia detrudenda, ac satyricè insectanda, id enim lucis, vitæque indicium est, & profundæ doctrinæ scrutinium, pretiosique tegminum;

Quæque latent meliora ferè plerumque putantur.

Nunquid sub nube sol, subque vili & exili conchyli pretiosissima delitescit margarita?

An non florigenæ de putri viscere passim
Enascuntur apes, generascunt crine colubri?

Sanè sic esse, ratio ipsa evincit, & rerum probat exitus, quia naturæ vis, ejusque sinus spinis nunc undique septus est; offensione divinâ post lapsum in calamitosam sortem mutilata, & perpetuis terræ, coelique injuriis obnoxia, non profert nobis essentias puras, nec opsonat mel absque aculeo, rosas sine spinis, nucleos sine sipariis, sed qui è nuce nucleum vult esse, nucifrangibulum usurpet, & nucem decusseret, oportet; sicque majestatem suam mystico premit silentio, & nobis castanæ, amygdalorumve medullam, non nisi aspero ac sento tegumento, offert obfigillatam.

Hæc castissima virgo haud facîle conspiciendam se præbet, nec indumenta deponit, si non agendi stratagemate singulari furtim detrahantur, id quod obstetriciâ manu faciendum; pròinde non nisi acutissimi artificis visui se repræsentat; Nucleavit videlicet Magnus ille totius universi Dominus, ut ad philosophandum & operandum nos excitaret, in occulto maxima, maximæque admirabilia, in aperto minima, vultque occultum fieri manifestum, eapropter pyronymicâ hoc disseccandum anatomicæ, ut ita Nympha, quæ compositionis, compactionisque vi & energiâ opacatur, per ingeniosam subjecti resolutionem, in lucem prodeat.

Quam viam, verè philosophicam & interni reclusivam, si superciliosi multi moderni, sæpenumero de lana caprarum indirempto litigio rixantes, depositâ ambitiosæ contentionis ferrâ, ingrede-

grederentur, *Deus bone*, quot quantâque mysteria de naturæ velariis eruerentur, quæ nunc invidiosâ oblivionis umbrâ negliguntur & exolescunt! nullam aliam propter causam, quàm quòd vitiligatores isti quæstiunculis, nominibûsque suis contentiosis, tanquam Platonis inter subsellia, Thersite Homérico, & Thrasone Comico, Goliathque Philistæo gloriosiores, sputalica hodierno tempore acroamata extundant,

Candida de nigris, & de candentibus atra,
De cygnis corvos, & de cornicibu' cygnos.

Unde quemadmodum semel Spartanus quidam, cujus mihi nomen modò non occurrit, quamvis de rei veritate nullus ambigam, cum lusciniâ curiosè deplumâset, exploraturus ecquanam tam canori corporis, tamque vocalis & arguti gutturis foret fabrica, tamque insignis modulationis conditio; sub plumis tandem minimum carnis admiratus, solam vocem ipsam lusciniâ definivit: prorsus eodem modo, excussis diligenter animadversisque omnibus Cathedrariorum incedendi viis, nil nisi vocês & nomina tantum, nil nisi macrologiam, & logomachiam, pugnâmi-que verborum tantum, seu sputa Aristotelica ejicere eos reperies, *Cum tamen non in verbis, sed in rebus philosophia consistat*; quasi scilicet universus cæterus orbis, cum primis verò Christianus, plus omni alio tempore videre & experiri potis non fuisset, quàm unicus ille Paganus, quem in multis enormiter constat impegisse,

Non ego jurabo Paracelsi, aut Scripta Galeni,
Non in Aristotelis scita, nec Hippocratis:
Horum vera probabo dogmata, falsa negabo,
Horum vera placet regula, falsa jacet.
Quolibet Hippocrates rapiet me, deferar hospes,
Nullius Authoris deditus ora sequi.

Nulli, inquam, facultati me mancipare, sed similis Achilli illi Perseo, qui de omnibus materiis æquè foeliciter dissertabat, esse per volo;

volò, nihil est enim tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile, nihil tam horridum, tamque incultum, quod non splendescat oratione, & tanquam excolatur, quod cum ita putarem, feci etiam audacius, quàm illi ipsi, de quibus loquor. Amicus mihi Paracelsus, sodalis Galenus, etiam Aristoteles, Hippocrates, sed magis dilecta veritas, tam diu ab illorum partibus stabo, quàm diu illi à veritatis, tam diu mihi cum illis conveniet, quàm diu illis cum veritate, & seipsis, à *quocunque enim dicatur veritas, à spiritu sancto est*; tam denique diu vobis erit mecum negotium, quam diu (adsit augurio fides, nam non vivo cassus eventurorum vates) nova aliqua stella aliunde non advolárit, novitate cujus tenti, ad novum velut astrum occurratis, nec est, cur præteream hoc, ista siquidem novitas vel Demosthenem Græcorum principem olim duxit & seduxit.

Quia hic, dum se conferret ad scholam Platonis, conspexit semel in foro Atheniensi ingentem hominum turmam novum philosophum Callisthenem avidè auscultantem, ad quem populus novitatis prurigne confertim accurrerat, accedit auditque illum & Demosthenes, ejusque garrulitate captus, deæterò Platonem fastidivit, qui tamen suâ doctrinæ soliditate hunc millies facillè præcellebat: ita adhuc aliqui, etiam de suo sæpè sensu sapientes novitate ducuntur & seducuntur, sermonumque illecebras, ceu Domicellæ, simiæve Erasmiæ affectant, neque attendunt, quid veram sapientiam sapiat.

In his meis Pragmaticis Sortibus bracteata eloquentiam, phaleratumque ne insectemini stylum, non præscitè instructos, politosque discursus, *Quæ veritati operam dat oratio, incomposita debet esse & simplex*, sine plicis; non delectent verba mea, sed prosint: nec est enim solas demulcere aures, illecebrisque earum inservire mihi animus, Theoricis, ascititiisque quibusdam pigmentis, Tulliana scrinia redolentibus, excurrere, & grandiloquentiis meris abundare; *Re intellectâ, in verborum usu faciles esse debemus.*

Quod sapio satis est mihi, non ego quæro Pericles
 Esse, nec Æolides, nec Nelei nomina vêtans,
 Facundæ venæ generantes ore melissas,
 Abs se quando mēlos, mellitâque carmina fundunt,
 Atque exporrectis fulgêtrant verba labellis,
 Tersa receptatæ tonitrantes sibila Svadæ,
 Hyblæis miscenda favis exulta *decora*:

Aurèè profectò & hîc *institor eloquentiæ*, verborum flosculos non quæramus, qui maturitatis fructum petit, despicit amœna camporum, quid prodest clavis aurea, si, quod volumus, non aperiat? in hac ergo luce meridiana toti caligant, qui cothurnosum me hîc expectant Oratorem, aut sacrum de sublimiori loco rhetoricantem Ecclesiastem, ego planipes planè & Laconicus magis esse studebo, quàm Asiaticus & redundans, ego synecdochicæ amplius agere conabor, quàm paraphrasticæ, allaborabo inquam, non brevibus tantum versiculis (quales plerumque sunt Elysiicolarum) sed & signis, syllabisque, imò merè monosyllabis, si ita fieri posset, quantacunque hæc strictim, quasi in speculo repræsentare, veritatem videlicet *vobis*, & quod res est, intimare, adeò ero mentibus vestris gratificandi studiosus: De vero differam, de plano agam; non sum enim eloquens ab heri & nudius tertius.

Haud equidem hoc nitar, bullatis ut mihi nugis

Pagellæ excrescant, cerussâ comere chartas:

Veritatem penitus prosequi, meus erit scopus, in hoc totius rei cardo versabitur; mavultis, *credo*, sub sordido cucullo planipædiam, quàm sub cyclade auro tecta philologiam.

§. 17.

Quemadmodum enim blitei imprudentiâ suâ multum eruditiss sapientibusq; profunt, prudentes verò & ab artibus instructi nil stolidis conferunt, sic in solida philosophia ritè instituenta Orhestrarii isti (quibus ad veritatem, velut abreptæ nyctico-raci ad solem, caligant oculi) ad sophicam potius haram, quàm aram accedentes, semper discantes & nunquam ad scientiam pervenientes, digladiationibus suis perpetuis, pertinacissimisque dis-

disceptationum plagis, sapientibus non parum gratiæ præstant; nam quotidie in ipsis, quæ cavere *nos* oportet, cernuntur exempla: Nihilominus habent insulsissimarum suarum nugarum universum propemodum modernum sæculum defensorem, quod non mirum, cum Mundus non quærat veritatem, sed suas tantummodo larvas. Prorsus agunt, ac si quis absurdissimâ eunuchîâ Hylæ aut Hyacinthi personam fingeret, neque tamen, uti arbitror, propterea Nymphis præda auferretur, nec ipsius extincti umbellam Apollo ad florem renovaret.

Sagacissimus ille arcanorum Explorator exiguum opis ab eruditione ea nervosa erat consecutus, dum in natura culicum perscrutanda, pulicúmquæ saltibus metiendis, sexaginta & amplius annos insumpsit; næ isti haud absimiles videntur mihi omnes, quotquot in orchestris acroases nectentes, sub Corona Magica absolutissimi censei haberique gestiunt, si altercationibus suis, velut ferricrenulis, in theatricis illis congressibus, invicti Disputatores, parietes atque subsellia fragoribus repleant, ac instar Pantomimi (qui cuilibet acutè disceptanti subblandienti buccâ accommodabilem fucum facit) mirificè verba dent, palpitatione tantâ conciti, perinde si omnigenè encyclopædiam absolvissent, & Apollineis scoliis, vel ipsis Sibullæ foliis potiora è tripode protulissent oracula, interim

Maxima de nihili *vissita* fulgura fiunt.

O miseras araneolas! quæ totam in subtilium verborum leviculis telis texendis vitam consumitis, Vah insensati! hem authentica, & fastuosa fucati mundi dementia! Huc accersendus Apuleus Megarensis, qui negabat, quemquam ad Sacra suæ Isidis posse ingredi mysteria, ni ex superbo philosopho in humilem prius, asinum converteretur: Huc inquam adducendus Italicæ disciplinæ caput, nobilisque ille philosophus Pythagoras, qui inanes illas verborum tricas acrius horruit, quàm Lunaticus genium malignum, aut Clitæmnestra Agamemnonem; unde in conventu suo, sic observavit taciturnitatem, ut nullum

discipulum, aut auditorem admitteret, qui ad certum sibi filere tempus, vel ad quinquennium, ut plurimum, vel ad biennium, ut minimum, ad arbitrium, & pene placitum ipsius, pro æstimato captu solertix utriusque, non sponderet; filere inquam, & usque adeò strictè quidem, ut omni illo conjurati silentii spatio, neque percunctari, quæ parum intellexerant, neque sermocinari, aut commentari, quæ audierant, fas esset, & qui deputati erant intra spatium illud, audiendi conticendique auditores vocabantur:

O vir præcipuâ calliditate vafer!

Qui, ut sic dicam, ferreo hamo delphinos ac cætos, & quidem certo piscabatur, aliis interea tritologis illis ad ravim usque vociferantibus, aureo vix lumbricos captantibus, quòd gallinarum more Africanarum sensibus mancipati, cæcos mentis oculos in tricofo verborum strepitu adeò contumaciter defigant, ut naturæ succum suavissimum, reique veritatem ipsissimam indipiscere nunquam annitantur. Anacharsis philosophus de genere Scytharum Achæorum insipientiam, ineptiamque exhibendo canere solebat,

Sunt Danaï magni verborum philosophantes,
Sed vitâ & vitiis & moribus affaniantes.

Idem & in Timæo Plato in iis ipsis Græcis reprehendit, *Vos semper*, inquit, *pueri estis, senex autem Græcorum nemo*; garrulitatem eorum & verbositatem uterque coarguit, quòd multa quidem docerent, varia magnificis solum ampullosisque verbis præcepta traderent, opere verò nihil, aut saltem perparum exequerentur. At quantò hoc rectius, veriùsque de Laureatis Cathedrariis, quibus alterutrum horum deest, dici potest!

Ast cho, quorsum lingua ruis? de his *mihi* faciendum,
Non hoc conveniet chordis, quò lingua labascis?
Desine regnantium mores taxare Deorum,
Magnaque metiri parvis aquifundia pensis,
Adfore speratum tandem præfagio tempus,

Quo

Quo Palladem nostram, raptamque Helenam ab istis prædonibus recuperabimus: Vah magistelli! ab erroribus demum pedem retrahite, veritatemque mendaciis opprimere desinite, hæc fatalis filia temporis quanquam pressa,

Non penitus semper tenebris oppressa manebit,

At tandem aliquando ex orco Orphei, deciduoque Democriti elucescens, inque compellucidum subiecta speculum, prementis opprimet, opinionum commenta subsannabit, & naturæ ratiocinia confirmabit, est enim veritas,

Vilibus exemplis, si fas est, Vatribus uti,

Veluti pertica, quæ in aquam projecta, statim ad fundum descendit, sed ex natura sibi indita, e vestigio rursum emergit: sic sæpè veritas mergitur, at tandem cum Adraistiâ, Nemesi triumphat, omnia exuperans, ac veluti oleum omnibus liquoribus supernatans, Solem quidem nubes ad tempus tegunt, & mendacia pariter veritatem, Catonis enim censurâ, jus atque æquitas ægrire potest, premi ad tempus, nunquam opprimi: Quemadmodum ergo ea est falsitatis, vel erroris innata conditio, ut, nullo etiam impugnante, plerumque consenescat, & defluat, ita ex adversum hæc est veritatis à natura insita proprietas, ut, quantumcunque sepultra, multis etiam obluctantibus, suscitetur & crescat:

Maxima enim vis est veritatis, utpote quæ contra omnium ingeniorum calliditatem, solertiam, & adversus fictas hominum insidias, facile se per seipsam defendit: Cum itaque excellentia Artis Magochymicæ ejus conditionis esse perhibeatur, ut, plurimis insanè oblatrantibus, aliis impudentissimè in eam debacchantibus, suppressi soporique non potuerit, quinimò infestissimi illius hostes, rei veritate compulsi, à præconius tam Mysterialis Artis, abstinere se non habuerint, Tunc non possum non vehementer satisque mirari, quosdam hujus nostræ tempestatis Scribentes, alioquin doctrinâ famosos, ausos fuisse mussare, non contra totam
solum

solum Primorum philosophorum venerabilem antiquitatem , & evidentissima veterum voluminum monumenta , sed adversum disertissima etiam rei experimenta , irrefragabilemque veritatem.

Quamvis tamen , si propius paullo res in se pensetur , quod fortassis multum hoc obstupescamus, non est; quoniam secus vix sentire quis potest, quam instructus sit, eritque miraculo simile, si fiat, quare cum nunquam tales aliter audierint, nec disquisierint, quid mirum? si in ea pertinaciter opinione persistant, &

Quâ arte dati circum, reliquos frustrentur eadem;

Nam omnes lubentius semper credere volumus, quam inquirere, otiosi, quam operari, & sanè veritatis hujus hostis ipse aliquando fui infestissimus, non alio ex motivo, seu causa, quam quod à Lectoribus in Academiis eatenus imbutus, profundius autem & altius postea rem appendens, & ab ipsis naturæ operibus expendens, implanatum me miserè comperi,

Error enim fallit splendore scientiæ & umbrâ,

Ut pulchrum digito monstrari, & dicier, *hic est!*

Sic inflat studium, hinc me plurima scire putabam;

Et reverà densissimis ignorantiae inerrabam tenebris, palpsans sicuti cæci parietes exstimulant, ad similitudinem spittaci, è re loquor, nil præter assertiones aliquot

Illarum Cathedrales, verbæque nuda tenebam:

Quancumque modò *adhuc* nil certi cognitum, & compertum habeam: nam quantum ad *Theologiam* spectat, omnium prorsus ignarus sum, quoad *Philosophiam*, paucorum valdè callidus; quâ de *Mathefi*, sum alter ignorans; in summâ, quoad reliquas omnes *Scientias* & *Artes*, nihil novi, Deo sit laus, & gloria & gratia: quantum siquidem ad *juris interpretamentum*, aliter rectum, quoad

adejus foeminæ vestræ procul dubio melius, quàm ego, ediffere-
re sciunt, & vos satis informabunt; quantum porrò ad *Alchymiam*,
aliàs Lapidem Philosophorum, illum pistrices, fossiores vel latrin-
arum purgatores scitiùs, atque ego, effingere possunt; quod si
me igitur contulero ad Abbatem Clericorum Anticyræ, fecero
perfollâ meâ haud indignum, ubi enim incipiam, nescio; in om-
nibus audio valdè ingeniosus, sed penè decies aliquid transpice-
re debeo, antequam legere possim.

Ego ipse paullò antè, cùm tanquam stemmata philosophorum
recenserem, summos viros desipere, delirare, dementes esse ajè-
bam, quorum si nemo verum vidit de Re philosophorum, verend-
um est, ne sit omnino nulla, nam ista, quæ ego scribo, sunt to-
ta commentitia, vix digna lucubratione anicularum; propter
quod nihil ambigo, quin paradoxon plurimis videbitur, me (qui
semper fui, inque præsens sum, asinorum sus) huc temeritatis &
audaciæ processisse, ut oberrantibus porrigere filum, inque vastis-
simo hoc pelago fluctuantibus, Helicem & Cynosuram figere,
præsumperim: At desinent illi tandem mirari, si me philosophum
compererint, quem, Artis, quam profitetur, legibus, naturam se-
qui, illiùsque Boschadem æmulâ operatione excudere, non fu-
giat; neque enim credendum omni rumusculo, atque incertæ
de me famæ, filiis Sapientum absque ullâ demonstratione cre-
dendum est:

Hoc enim Atlantiades testatum voce reliquit,
Utpote in his *placitis* nil prius esse fide.

Hic planè discipulizandum Pythagoricis, qui, rebus etiam mini-
mè apparentibus, tacebant, credebantque, audito solemni illo,
scholæque suæ famoso verbo, *ipse dixit*, tantum Pythagoræ præ-
ceptoris suo tribuebant, ut ei crederent de incredibilibus: sunt
multi quippè meri sycophantæ, Mercuriique fabularum,

Plurima ventisequum profert mendacia vulgus,
Nósque malo statim credula turba sumus.

Dicunt unum multum, multum unum, verum falsum, falsum verum, bonum malum, malum bonum : Homunciones humiles, familiaræ, fortunæque tenuis etiam aliquando ardua callent, non Athenis tantum, sed & in Scythia quoque nascuntur Anacharsides, & Lacedæmone Helenæ ; nōne & Ægyptus etiam Antonios alit, & Democritos Thracia ?

De quibus insignis nobis prudentia dicat,
Summos posse viros, documentaque magna daturus,
Verecū in patria, crassoque sub aëre nasci ?

Poëtarum illud archetypum Homerum quot urbes jam certatim sibi non adrogant ?

Quem vivum, æternâ laceratum lumina nocte,

Indigum, stipemque petentem vix quisquam bene nôrat,

Septem contendunt urbes, ubi natus Homerus,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ.

Ut ergo multi vocantur Medici, qui curare non possunt, multi-que insomnes, qui nocte totâ dormiunt, sic multi vocantur sapientes, & in rebus minùs inveniuntur, quia hoc, quod vocantur, non sunt ; & iterum, Quemadmodum plurimi habent nomen sapientis sine sapientia, sic multi habent sapientiam sine nomine.

Ferunt Hippomachum Alistam, generosum illum alacremque Ducem, cum in corona celebrari aliquem audiret, qui corpore erat procero, staturâ altiore, longimanum quoque, & duellis idcirco, manuumque consertionibus aptior censeretur, respondisse, *Recte quidem, si coralla & brabium in alto penderet, adeo ut non nisi manu foret decerpendum ;* insinuans corporis proceritatem parum, aut nihil in palæstra ac gymnasio prodesse, ni pariter robur, & gladiatoria quædam firmitas, ni membrorum nervi, dexteritas, mo-
tus;

tus, agilitas, & imprimis animi vivacitas, cordisque magnitudo adessent.

Idem omnino & in proposito dicendum, esse profectò non mediocre stoliditatis argumentum, aliquem celebrare philosophum Hermete licèt philosophiorem, personare Commentorem, Cæsare quanquam clariorem, si anima illius sapientiâ verâ non sit imbuta, Christianisque virtutibus undequaque circumvestita; quid? quòd experienciâ compertum sit, sæpius sub interpolata veste ingenium latere excellens, judicium acre, ac indolem præclaram; ediversò autem Narcissos, comptos, balteatos, delitias parentum; stupidos, obtusos, fungos, atque & perversos, intractabiles, indocilesque esse; *audite mira.*

Officinam nundinatoriam Dominellus, unâque Pauperculus obeunt, ille divite, bullato, limbatoque vestitu; hic vulgari, lacero, sordidoque amictu: incipit institui de his calculus, uter plus ferat? de Dominello haud dubium, quin æstimetur, tam venire auro argentoque onustus, quàm amictu habitûque corporis est venustus; Inopulum verò præter centones suos, obsoletamque lacernulam nihil conferre: ubi ad rem venit, & quisque seorsim exploratur, plurimum lapsus esse arbitrio deprehenditur, qui enim existimabatur opulentus, ille pauper, & citra nummos comperitur, solâque exteriore specie tenus, quam ostentabat, splendicans; qui verò inter mendicula recenscebatur, penes hunc nullum reperitur in paupere vestitu assumentum, quod non sit scutatatum, aut purissimi auri ducatis infartum, Hem! quis hoc cogitasset?

Rectè itaque magnâ cum venere dixit moralis illud philosophiæ fidus illustriissimum Seneca: *gladius bonus utique non est, cui deauratum est balteum, aut vagina gemmis distincta, sed cui ad secundum acies subtilis; quid verò? annon in putri pluries vaginâ chalybæus ensis reconditur, & exadverso ferrugineus, plumbeusque in gemmea? nōne sub sordido palliolo sæpe sapientia est? nōne videmus,*

Multos sæpe viros, nullis Majoribus ortos,
 Indole præstantes, aliósque fuisse Catones?
 Nunquid sæpe olitor, molitorque juvantia cantat?
 Nónne necat morsu levicellula vipera taurum?
 A cane nunquid aper non magno sæpe tenetur?

Ut crébrò præterea non videmus, quosdam plagosos, fatuos, sapientum doctorúmque loco haberi, vel ex constitutione, vel ex dicacitate: ediversò verò sapientes & eruditos, deliros, afinos, aut vulgares homines, credi, ob solum, vel cultum, vel gestum, vel taciturnitatem? cùm tamen hortus conclusus florulentior, fons signatus semper illimior, nec hoc adeò alienum:

§. 18.

E St aliud siquidem Mundus nihil, atque theatrum,
 In quo quisque suas præsentat imagine partes,

H Ic Cræsi, ille Codri, hic Catonis, ille Morionis, non utique est theatralibus scenis vita nostra dissimilis: nam ut isthic ille Imperatoris, hic gubernatoris, & alter militis implet officium, ita hic, ubi autem consecuta nox fuerit, nec Imperator agnoscitur, nec gubernator, nec miles; cortina clauditur, & persona exuitur. Scitè in hoc propositum lufurus est Angelicus Vates:

Plebs agit in scenis mimos, pater, illéque dives,
 Filius hic, alter nomine prodit inops:
 Mox verò exhibitas ubi clausit pagina partes,
 Vera redit facies, dissimulata perit.

Eodem planè modo comperietis in illa novissima catastrophe Domini, sed & eum, qui hic secutus hortantem, consulentem, famuli personam sustinuit bene, æternabili non rarò Regiâ, inter Cœlites, inter Empyrîi incolas, impertiehdum coronâ, cùm interim non modici Optimatum servient servitutem omnium miserrimam, æternas inter flammâs, in æternum non remittendam;

Quan-

Quando semel Stygias subjerunt funera fauces,
 Flexibiles nullo sunt adamante Dii.
 Cernat ut infernæ Rex te plorare paludis,
 Surda tuas equidem linget arena genas:
 Fata preces torquent, ubi verò retrograda cymba
 Navigat, obturat Portitor ense fores.

Mutat nimirum tribunal illud Domini theatrum, scenas, partes,
 & è primariis ultimarios, ex ultimariis primarios statuit, præmiat
 servos, vindicat dominos. Eugepæ fortunati tunc Servi, quo-
 rum præmia foelici & perenni commensurantur libertate! infœ-
 lices econtrariò Heri, quorum vindictæ, miserandæ, ærumnali, æ-
 ternæque respondent servituti! nulla tunc erunt ampliùs, in illa
 die, discrimina purpuræ & fagi, non diadematis & cudonis, non
 sceptri & ligonis, non doctæ & indoctæ mentis, non divitis &
 pauperis, non domini, servi, Regis, Gregis: solâ enim virtute
 inibi discriminabimur, solis meritis, demeritisque discernemur;
 Dura nimis, heu, nimisquàm dura fors, Regum, Principum, sæcu-
 li Magnorum, divitum, nobilium, doctorum, ineruditæ, abjectæ,
 egenæ, misellæ, vah & toties pedibus conculcatæ adæquari plebi!
 Hoc videlicet Summatibus continger, ubi forsan cras, forsan ho-
 die, forsan hâc horulâ fabulæ (quam agimus, reductâ cortinâ)
 fuerint expurpurati, exsericati, exholosericati, nullâ dignita-
 tis cujuscunque prærogativâ, nullo discrimine Tertii & coro-
 næ, tremuli stabunt, quibus illud catastrophes Actor Deus acci-
 net,

Lusistis fatis, edistis fatis, atque bibistis,
 Ultimus hic pulsus, vobis discedere tempus.

Satis diu cum corona, cum cudone, fatis diu in sago, in toga, in
 purpura,

Ultimus hic *pulsus*, vobis discedere tempus,
 Funebri ô diræ funesta tragoedia scenæ,

Tot Regum, tot gesta Ducum, Procerumque Coronas,
Ventosâ dum sorte tument, reperirè Popello!

Inquam igitur, nihil aliud, quàm omnium mortalium comœdia, quàm ludus, qui in theatro exhibetur, ubi multæ quidem inducuntur personæ, sed omnes habitu transformatæ incedentes, nullo suam veram formam, eunuchiâque habente, prout ab actore quæque induitur & exornatur, isque scit, quam ad rem uti unoquoque debeat, suam unicuique congruentem personam tribuens & larvam, secundum quod ludi exigit ratio; Alium facit senem, licet juvenem, alium fingit juvenem, licet alioquin senem; hunc auro, gemmis, tæniolis, pretiosisque vestibus adornatum ceu divitem, qui quandoque pauperrimus est: Illi contrarium facit mendico eum assimilans, alioqui divitem; Alium inducit tanquam mirè potentem, Principem seu Regem, personam cæteroqui per se contemptam: Sæpius in hoc ludo amplo quis honore condecoratur,

Qui tamen est tituli nullius nomine dignus.

Alius habetur contemptui, qui tamèn omne laudis encomium mereretur. Deus Dramatistes ille solus est, qui nos in hoc suum amphitheatrum producit, is scit, quid ad ludum pertineat, nostrum omnium operâ ad suum utitur opus, novit quò singula destinare habeat ad suam gloriam: is unus est, qui nos omnes solus noscit, quemque in sua vera formâ, alioqui scire nos possumus, quis quilibet sit, donec vitæ nostræ fabula peracta est: quia quotquot in hoc ludo sunt, nullus genuinam, propriâque suam formam habet; quamdiu ludus durat, nemo dignosci potest, dominus an servus, dives an pauper, juvenis an senex sit:

Ast ubi in æternam noctem clauduntur Ocelli,
Et sua vox ubi quemque sonat, ludusque peractus,

Et Archiactor Deus funestam illam vocem intonando reboat,

Nudo, finas ludo, prò lamentabilis echo!

Ac

Ac suam cuique larvam detrahit, tunc apparet, quis unusquisque sit, tunc quandoque Mendicus, & Fæx invenitur, qui in ludo Henricus, & Rex erat; alius, qui in ludo pauper erat, longè nunc alius deprehenditur, tunc multi filii Dei vocabuntur, qui in hoc amphitheatro, in hac vita, in hoc ludo despectissimi fuerunt.

Nostra próinde suâ censurâ visio fallit,

A diverticulo quò semita tendat in unum.

Dux Albanus Ferdinandus Toletanus traditur ita dicere solitus de Gallis, Portugallis, Britannis, Hispanis & Italis, ex ipsis *alios* videri, cùm procul absunt, sapientes; cùm autem propè adstant, fatuos: *alios* eminùs videri dementes, sed cominùs inspectos, sapientes inveniri, *alios* videri stultos, *alios* sapientes, tam eminus, quàm cominus: Labi ideóque visum in censura de quorundam animi dotibus, certissimum est, etiã si sensus visus vel omnium sit acutissimus, nónne capitur aspectu arcùs coelestis, qui iris dicitur, quem statuit esse coloratum, cùm nihilominus sana philosophia doceat, nullum ibidem colorem adesse? Absque dubio sol est multò major terrâ, & tamen homo agrestis barbarùsque, qui solo visu regitur, diceret oppositum; quod non mirum, cùm idiotas & rusticos philosophia circumscribat, sed & peritissimos quosque in suâ sibiinde arte fallit potentia visiva.

Quemadmodum decepit Zeuxim præclarissimum illum quondam Heracleotem pictorem, cùm pictos à se racemos in scenam detulerat, tantâ similitudine tantâque identitate, ut ad eos edendos aves advolarent: Parrhasius autem, alter celeberrimus pictor, Ephesius, pictum attulerat linteum, super quod levissimo, solertissimóque penicillo tenuiculam duxerat carbasum, adeo persimilem, ut vera omnibus esse videretur, tum Zeuxis, iudicio avium sagacior, Parrhasium rogavit, ut, remoto velo, picturam ostenderet, risit hic, comitèrque in illum cavillatus est, indèque errorem suum perspexit Zeuxis, ingenuóque pudore suffusus, majorem illi in arte suâ peritiem adscripsit, facetè ac jocosè respondens; ego heri

heri aves deceperam , tu verò hodie me artificem fefellisti.

Errat igitur, ut vidimus, visus noster, scilicet in iudicio de aliquorum animi talentis, at si auditum quoque consulamus, & utrosque loqui jubeamus, mox stultos & bardos esse cognoscemus, qui videbantur nobis sapientes ac docti, & è conversò. Inde cum olim semel homo opulentus filium suum adolescentulum ad Socratem misisset, indolem illius ut inspiceret, ac pædagogus diceret, *Pater ad te, ô Socrates, misit filium, ut videres* : tunc senex Aëtæus ad puerum, *loquere ergo, inquit, adolescens, ut te videam*, quasi occultò insinuans, ingenium hominis, non tam in vultu relucere, quàm in sermone, id est, non tam visu, quàm auditu dignosci.

Cùm tamen invidiæ mordaci faucia semper

Incorrupta fides conspiciatur acu;

Sitque comes livor solitus virtutis & hostis,

Quo celebris foedo virus humatur honos;

Veluti disertè & decorè Nuntius meus, *Sicuti non est ignis*, inquiens, *sine fumo, sic nec virtus sine invidiâ*; &, *quemadmodum per solem euntibus umbra est, ita quoque per iter gloriæ virtutisque gradientibus livoris rabies*; & similiter, cum exurgentium, mortaliumque successuum pedisequa sit invidia, atque nec Jupiter quidem ipse, seu pluat, seu differenet, omnibus placeat, ac tandem, ingrato Mundo operam gratam præstare posse, gravissimum sit, miseratione fraternâ hi potius, quàm iracundiâ digni sunt, donèc aliquando de cruciante livoris sui carcere sese liberent, quo ad talionem torquentor, qui illorum esto equuleus: Rabiosum verò vitium, inferorùmque malum! vah sangvinulenta bestia, ut miserendum, quod invadis, cordis, &, quam occupas, quàmque torques, animæ! Quis ergo homo, cui alioquin pectus sapiat, de invidiâ, si quam fortè patitur, queratur? éstne enim aliquis, vel fortunatior invidioso, vel infelicior invidio? ecquid laudabilius, quid encomiis dignius magis sempiternis, quàm talia operari prodigia, è quibus livor oriri aliis possit?

O ni-

O nimium foelix, ô tērque, quaterque beatus,

In quem homines odiis, in quem livore feruntur!

Quis *unquam* malo, bono quis *nunquam* invidit? Hem virtutis comes invidia, quæ Bonos insequeris plerumque, atque adeò insectaris! Quanquam equidem faciliè credam, haud paucos homines, viros alioquin doctrinâ conspicuos, ea solum de causa, vigilias suas in lucem prodire renuisse, quòd garrientium contumelias, ac oblatrantium ora (præut hodie infinitum maledicendi ca-coëthes) quæ nemini, quantumvis sapienti Scriptori, parcere con-sueverunt, valdè pertimescerent & reformidarent; Nec sanè abs ratione; verè enim nullus est, qui pluribus se illigat arbitriis, quàm qui animum ad elucubrandum applicat, hâc maximè ævi ætate, quæ archaïsmicis delitiis eatenus inassuevit, ut, nisi subtiles, tersti, limari, & curiosissimè culti sint aphorismi, vix fiant vendibiles, ita ut meritò triumphare possit, cui licet latere, testò-que concedere: idcirco ergo ego nunquam mecum constitue-ram, aliquid typis evulgare; præsertim cùm non ignorem, in i-fstiusmodi commentationis genere, multos se ante me in vanum attenuasse, quorum libri irridiculè circumferuntur; deinde nes-ciebam minimè nasutum hoc sæculum, in quo

Et pueri nasum Rhinocerotis habent:

Quapropter tutius censebam multò, domi tranquillè *moliri*, quàm cum dedecore in publicum *venire*; quoniam, ut nunc sunt mores hominum, nulla res, nullum negotium, nullum opus tam justis de causis suscipitur, quin, qui illud carpant, maledictisve suis figant, adsint;

Nemo pol Antimacho, nec tutior ibit Homero;

Vellicat & magnos livida Parca Deos.

Tot sibi censores contra se assumit, qui in publicum cogitat, quot lectores; nam *quidam* in illum querimonias excitant, quia prolixus est; *alii*, quia brevis, *hic* quòd nihil novi adferat, sed antiquū actum agat; *ille* quòd à communi tractandi modo decedat; *iste* notat

Y

notat

notat stylum, *ille* loquendi filum, *alter* taxat textum; *multi* indignantur, quia carminicè proceditur, *quàm plurimi* barbara, exoleta, & sesquipedalia verba, quæ sibi forsan non fuerint comperta, clamant; in summâ, *tot* penè contra se calculis materiam quivis Commentor subministrat, *quot* verba glossat.

Res hinc cunctis sapientibus perpetuò fuit plena timoris, aliquid in vulgus dare : id namque est manum in ferventissimam flammam mittere, confodientiùmque se lingvis prodere, & omnium maledictorum tela adversum se torquere, præsertim si res, de quibus rhombus, ponderosæ sint ac momentosæ, cum itaque reconditus thesaurus, qui hîc oraculis cantatur, humanum propè captum transcendat, perfidiam incurrere formido, dum abdita ejus mysteria, tam clarè & summatim revelare pergo, *maximè* quod sciam, oportere

Sumere materiam, nostris, qui scribimus, æquam
Viribus, & pensare diu, quid ferre recusent :

Imprudens est enim hominis nescire mensuram suam; & præterea, quod memini, unumquemque fallere sua scripta, & Auspicem præterire, quia ut filii etiam deformes delectant parentes, iisdemque videntur formosissimi, sic quoque, ferrei & indecori versus, Inventores titillant, ipsisque videntur optimi; ex quo fit, quod, cum iisdem arrideant, facile eos, in publicam lucem prodire, sinant; at id inde commodi nanciscuntur, ut, unde laudem, nominisque gloriam comparaturos falso blandiebantur, inde contumeliam, dedecusque non modicum sibi pariant; dum eorum, quæ latebat, inscitia & stupiditas, jam toti mundo fit manifesta.

Ut scabies & glabrities plus digna cachinno
Quæ nudata prius stabat amicta comâ.
Callidus humanam formam gestumque faceret
Simius assequitur, dum sedet aptus humi.

Sed

Sed quantò se plus effert, tantò magis ipse

Conspicitur culo Simius esse glabro.

Sic & glorioli, quos ingens nomen adegit,

Quò magè conspicui, sunt magè ridiculi:

Quandoquidem temerè qui se majora capeffit,

Si fit conspicuus, fit quoque ridiculus:

Hæc verò, rogo, quem, etsi fortissimum Achillem, non perterrefacerent? & reverà isthæc ego mihi tantò firmitus appendenda censebam, quantò minor est, tum ingenii mei facultas, tum vitæ commoditas, majórque nunc Tractatum, non Scriptorum solùm veterum, sed & modernorum copia atque ubertas, sævior pròinde proniórque lascivia, & rejiciendi omnia libido, ita ut nihil nunc, in præsentī exulcerati hujus sæculi facie, magis agere videatur, qui in lucem opera sua edit, quàm detractoribus, obaccratoribúsque mensam sternere, qui omnia, quæ apponuntur, ne dico moribus, sed violentis ruptibus, obliquisque dentibus, discerpunt corrodúntque, non quæ displicent modò, sed & quæ magnopere subinde placent, similes felibus, quæ tantò vehementius in aliquem solent obgrunnire, quantò lautiorē sibi offam sentiunt exhibitam.

Quanquam equidem ego, de hujusmodi occentatoribus nihil, vel admodum parum, viro prudenti curandum, sed floccipendendum semper censuerim;

Nam mihi quod vivo detraxerit æmula turba,

Millecuplo reddent fœnore morte tubæ.

Nominis in vitâ nunquam præconia clangunt,

Surgere post mortem sed prius ista solent.

Imprudentiæ igitur & pusillanimitati quis non ascribat, ob incilantium detrahentiúmque timorem, quempiam absterri ab opere aliàs curioso, & pluribus mirum in modum desiderabili? quia, ut inquit Ecclesiastes, qui observat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet:

Rustice cunctèris, dum defluat annis: at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis ævum.

Neque est etiam, cur Aristarchorum & Criticorum obductas frontes, censurâsque multum timeam, ut enim mihi ipsi non blandior, sic his non ita periochis ducor, quin, me in aliquem de Lapide lapidem offendisse, lubens agnoscam; adeoque non raro mihi ita inter scribendum displicui (quod in alios interdum casualiter libros, non veneris minus decorisquæ *limâ*, quàm doctrinæ *zymâ* depolitos, incidissem) ut, modò liceret per genium meum, tam Vulcano libenter, quàm typographo darem; justius haud dubiè, rationabiliusque agens, quàm Epicorum ille Latiorum faciliè princeps poëtarum Virgilius, qui post editum percelebre illud, & vix unquam satis commendatum *Æneïdos* decus, sibimet in suo opere adeò displicuit, ut, cùm, morbo oppressus, adventare mortem videret, petierit oraveritque à suis amicissimis impensè ac obnixè, ut opus abolerent, ignique committerent absorbendum, indignum illud interpretans, quod Sapientum præsentaretur oculis, liceat ergo mihi millies potiore jure succinere:

Perdus & pernox decompfi pumice chartas,
Quas per inane simul parva favilla vehet.
Scribere flagravi, jam scriptos lampade versus
Mulciber absument, comminuétque rogo:
Pingere sic volumus, sic fingere quærimus omnes,
Ipseque depictus displicet arte labor;
Hinc, cùm quisquiliâs relego, scripsisse rubesco,
Plurima nam spurco podice digna cano.
Ablatum mediis opus hoc incudibus esse,
Testatur fatuans & sine musa chely.

§. 19.

VEruntamen, sit, ut ut sit, qui non vult legere, intermittat, podicemque codice detergeat; ego opusculum hoc ab Her-
moge-

mogene acceptavi, ne sine merce in forum prodirem, aſymbo-
lúſque tabernâ exirem, & ut commonſtrem exemplo meo, in mag-
nis vel ſolum animum plerumque ſatis eſſe, ſive itaque inten-
tum aſſecutus fuero, ſive non, uniufcujusque propriæ conſcientiæ,
tempori & experienciæ relinquo, meis nihilominus ego ſum fun-
ctus partibus,

Quod ſi defuerint vires, audacia nobis

Laus fuit, in magnis nam voluiſſe ſat eſt.

Quia ſi ſingulas diſciplinâs percipere magnum eſt, quantò majus
omnes? quod facere neceſſe eſt iis, quibus propoſitum veri re-
periendi cauſâ, & contra omnes philoſophos, & pro omnibus
dicere, cujus rei tantæ tamque difficilis facultatem, conſecutum
eſſe me non profiteor, ſecutum eſſe præmeſero, Quanquam
próinde multis paraſangis me huic negotio imparem ſcirem, ma-
lui nihilominus omnium oſtentui, ludibrióque obnoxius eſſe,
nec non mundano theatro, temerariórúmque calculorum pericu-
lo me ipſum committere, quàm in tam utili & religioſo propo-
ſito operam Paraphraſtæ Mercurio meo denegáſſe, volentémque
illum non ſequi, omnem potiùs aleam experiri reſolutus, quàm
diutiùs anceps ſpémque metúmque interhærere.

Et quamvis iterum, præſens degeneris hujus ævi conditio, ab
iſtiusmodi adorſu detertere fácilè aliquem poſſit, in quo nimi-
rum animi hominum uſque adèò malè feriati & exacerbati ſunt,
ut, ſi fieri poſſet, omnem conatum & uſum è medio ſemoverent,
& ideo (ni ſiniſtrè addivinem) ſexcenti erunt, qui mihi *hoc meum
fatale penſum* pro ſtultis animis, alii verò pro impudente ſuperbiâ
intelligant & interpretentur, quòd ego, qui neque ſtudiis, neque
práxibus, ſortisſque meæ talentis præſentare me nequeo, rem uſ-
que arduam aggredi ſim auſus, cum primis in eo Artis genere,
in quâ tum alii tam illuſtres, tantâque experienciâ & eruditione
præditi viri, ſumma ſemper cum diligentia vacârunt, tum in qua
complures, navifragâ ingeniî deſperatione abrepti, miſerè in aqua
hæſere.

Atqui hoc unum est, quo istam meam animositatem, sive ut ut, illud mihi invidi interstingvant, cū coram Deo (cujus ineffabili in me gratiā, & benignitate hæc consignavi, adque foelicem colophonem deducta sunt, & deducuntur) tum coram me ipso defendere posse sperem, me scilicet, non tam favoris, multò minùs humani honoris auræ aucupio, quandoquidem caput corpūque celem, quàm genii duntaxat fatalitatis, utilitatīsq; publicæ studio, ac ipsius solummodo evallendæ veritatis motivo, esse adductum, ad labyrinthum hunc mille mæandris erroribūsq; implexum, & inausum hoc, syrticūque pelagus, extentissimā etiam rationis bblide quasi investigabile, quinimò mysterium omnium sublunarium arcanorum Dei maximè abstrusum & obtextum, ingredendum.

Hinc profectò, cui rem paullò æquiùs trutinatio fuerit, non vellicandum, verùm potius impensè admirandum, quomodo nimirum ego adhuc opus hoc qualequale, ausu pari, atque formidine, etiam peregrinus, sine *re* & *are* in itinere, & *nullo*, nec *libro* nec *socio* habito, aggressus, in pessimis nimirum temporis, quod totum planè extremæ necessitatis onera, & curæ comparandi victum ac amictum diversissimæ extorquent, perduxerim ad portum optatum veriùs, quàm speratum, Duce scilicet Scientissimo, qui sicuti præsentis hujus telæ author fuit, idem ita, ad exitum usque, mentem propriæ imbecillitatis facilè consciam, dextram denique ipsam foeliciter reget, spero :

Multis modis fui circumductus, morbo, carcere, atque inopiā,
 Tum pavor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat;
Mures, pediculi, & glires, quotidie mihi per somnia
Ærumnabilia minitantur vitæ supplicia & mala;
 Quæ nemo est, tam firmo ingenio, & tantā confidentiā,
 Quin refugiat timido sanguine, atque extabescat metu.

Ex quibus jam liquidò patet, non hercle satis prosperos fortunæ status his Symbolis, Symbolographoque aspirasse; proin & non raro

rarò mecum ipse in eâ opinione versatus sum, fortassis nimirum nolle Deum, ut in publicum prodirent, eâque de causâ sapiùs constitueram penes me ipsum, ab eorundem evulgatione prorsus animum avocare: enimverò ignoro, quo tamen minùs proposito *fati* responderit eventus; quodsi quâ fortè, mearum ergo lucubrarum

Lectores critis, dextras nihilùmque gravati
Admovisse mihi, vestràsque dedisse monetas,
Irrumabo ego *vos*, laudabo, vósque beabo.

Milesius ille Thales (qui, ob præstantem ingenii sui aciem, quondam in Græciâ primus sapientis titulo est salutatus) ubi cognovisset, Pherecydem Scyrium, minimè vulgari doctrinâ virum, de sacris mysteriis, convocatâ concione, disserere in animum induxisse, scripto ei significavit, satiùs sibi videri, si quæ super rebus usque arduis retinuisset domi, ista, sevocatis tantummodo consodilibus, iudicio æquiore, magèque adulto delibutis, proponeret dicenda; subtilia enim & sublimia illa captu, crassæ ac imperitæ multitudini, nullum aut certè præquam exiguum operæ pretium fore allatura. Egregium hoc, *viri accincti*, Thaletis documentum meditati mihi, nescio quid de profundissimâ illâ Hermeticæ Artis parte, quæ de *Lapide Philosophico* tractat, scribere, sæpenumerò in mentem venit, aurèmq; vulsit, in humeros susceptum onus illiusmodi esse, quod temerè disseminari in vulgus non deberet, consultiùs verò præstare, ut in familiari eruditorum hominum congressu recenseretur.

Alluberet mediusfidiùs rem sic geri posse: at ubinam obscuro locorum, quos mystica illa, de *gravi prægnantique philosophorum Galenâ*, non lateant, invenias? quia, licèt nulla propemodum orbis plaga, nullâve urbs, haud scateat aliquibus saltem Philomagiæ deditis, qui animi sui animis freti, ausint etiam mirè jactanter, cùmque litigio, cyclopædicam sibi hujus magisterii cognitionem polliceri, usque adeò hodie suum cuique commentum placet;
ve-

veruntamen, si isti quid proficiant, qualiterque agant, liquet, ubi rem rotundè perspexeritis, comperietis haut dubiè, eos nedum, quæ orthophysica hujus Secreti materia, quæ item ejusdem dirigendæ, perficiendæque notities necessaria, & quæ sit denique proba illius informandæ ratio, ignorare; porroautem videbitis, eos etiam talia sibi, quæ abs re Lapidis construendi, aliena peregrinæque sunt, & nimiumquàm illi contraria, assumere, unde fit, ut tandem, quantò diutius, impensiusque operi fuerunt intenti, tantò veriùs illis contingat illud, quod eventurum ipsis quidam nostrorum falsior Scriptor divinàrat, nempe ut pro Magiolitho *moriolithum* reperiant; cum ejusmodi ergo cerebris, essètne obscuro, qui eà de re liberè libenterque ratiocinetur?

Quapropter, Fratres in artem propensi, candidam laconismicam meam poësim phantasticà illorum vacatione, mihi quidem negotiosiore, vobis autem gratiosiore, & longè utiliore fore existimavi: quoniam nisi planè obstitent, hìc ad minimum de revocando suo malè instituto opere commonescent; *vulgò*, satius est, *dicitur*, recurrere, quàm currere malè: repetitò itaque ita mecum reputo, non esse, quòd scias, satis scire, sed & ad utilitatem pertinere publicam, publico, publicitùs, quod, scripto, intersit, patefacere. Procul igitur hinc, procul facessite subdoli, superbique, non aquilas, quæ sublimè, quæ in pinibus penes solem, ast volucres, *volucres* volumus, quæ depressim, quæ in tecto, ac sæpè *humè* nidulentur, talibus non *metro*, sed voce velut, & secretiore *cretà* ista insufurro, utque in his retinendis elingves sint, eorum sanctissimi religione jurisjurandi ora obsigno, hi, *Fratres inaugurati*, ubi hæc nobiscum tenuerint, tenebunt & juxta nobiscum, de tanto privilegio, Deo æviterno & inascento, grates concinere immortales. Sed jam, ut omni me invidià purgem, ponam in medium sententias Præteritorum de Invento Deorum, quo quidem loco convocandi omnes videntur, ut, quæ sit earum vera, judicent:

·In-

Incipe nunc alto versus excudere torno,

Subque tuas partes Parve Poëta veni.

Tum demum mihi procax Lyceum videbitur; si aut consenserint omnes, aut erit inventus aliquis, qui, quid verum sit, repererit; itaque mihi libeat exclamare, uti Statius in synephebis, Prô Deum popularium omnium adolescentium! clamo, postulo, obsecro, oro, ploro atque imploro: non levissimâ de re, ut queritur ille, fieri in civitate facinora capitalia;

Ab amico amante accipere argentum meretrix non vult.

Sed ut adsint, cognoscant, animadvertant, quid de Immortalium Invento Philosophorum, quid de sublimi magolithi magisterio, cui ii præsumunt, existimandum sit: hæc enim omnia, ad hanc de *Chymica vanno* inscriptionem, referenda sunt; profectò eos ipsos, qui se aliquid certi habere arbitrantur, addubitare cogit doctissimorum hominum de re maximâ tanta dissensio. Agitedum igitur, *Viri in artem æquissimi*, quæ philomagiam nostram Adeptorum maneant aphorismata,

Hæc ego non humili referam cantanda cothurno,

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,

Ut me supplicio via longior exuat omni,

Accingamur avos antiqui visere Jani,

Ipsa sacra aulæa lustremus, arcanorum maximum, quod secreta superat omnia, & quo nihil est in ipsa naturalitate secretius, ad quod tenditis, quodque intenditis, gustemus: umbras, quibus obnubitur mortalium acies, quibus & natura se tuetur à prophanorum conspectu, abstringam, atque & Deam ipsam demonstrabo, ipsammet videlicet *Nympham* ornatissimam, ejusque thalamum, ac nudam sine veste *Dianam*, quæ ubi intacta vobis videbitur, quin incredibiles sui extemplo proritet amores, minimè in dubium verito. Sit ergo nunc tempus ad id, quod instituimus, accedere supremum.

Congruum tamen condecensque erit, antequam tam magnificen-

Z

centissima dona impertiam, ut omnes, si non condigno carmine possumus, saltem eo, quo fas est, eulogio, supplices deveneremur incomprehensam Dei potestatem, insuperabilemque Divinitatis sublimitatem (ni namque humanæ mentis langvor divinæ lucis jubare illucidetur, facillimè in perniciosissimos ambagum anfractus, errorumque diverticula abduceretur) quam ego quidem pronus ac cernuus adoro & adgeniculo, meum non diffitens timorem, tantum arcanorum Oceanum, humili & futili ingenioli mei lembo, tranare tremiscens; cùm in tam vasta, voraginosaque navigatione, perspicacissimus quisque nauclerus & habeat reformidare naufragium: sapientissimi quippe hi ineptiunt, nec centralitatem usque inexploratam, oculis irretortis, possunt obtuèri; est enim abyssus, in qua ratio absorbetur, barathrum, in quo industria quælibet circumagitur, pelagus, in quo omne humanum ingenium eluscatur, & naufragio periclitatur.

Ne itaque aliquo erratico sidere devii, syrriumque vadis & angustis intercipiamur, respicienda nobis crebrò lucis divinæ Cynosura, Angelorum ille doctor, verbumque æternum & infinitum; ut, ubi facula humanæ rationis deficit, aut tenebris obvolvitur, illa, ceu magistra gubernatrixque, cursum dirigat navigationis, occulta sua thesaurorum scrinia nobis detegat, ac tandem opus potentis suæ dextræ pertegat, ne tam scintillans tanti mysterii torris, imbecilles mentis nostræ oculos derepentè invadens, nimio splendore perstringat. In minimis implorandum est auxilium divinum, quid ergo in arduis, & maximis facere debemus? Arabum ille magus sagacissimus Alfonsus, in principio libri sui philosophiæ occultioris, cui titulus, *Clavis sapientiæ*, sic inquit; *Laudemus primum Deum, qui est inspector omnium, nec est, quod ipsum lateat; ipse est enim alligatus suis creaturis per verbum suum, & separatus ab eisdem, in quantum ipsas transcendit; similiter & cæteri de physico-chymico Phœnice tractare auspicantes, Ad Deum, fili mi, ad Deum, & cor, & mentem convertito, quàm ad artem potius: ipsa namque donum Dei summum est, cuique beneplacitum fuerit, eam largitur.*

Tanto-

§. 20.

T Antorum igitur documento Sophorum, ei, qui est portus & ortus, primus & novissimus, holocaustomata, & pretiosissima offeramus buthysia; Promago quoque nostro vitulum labiorum mactemus, sacrificiūque, seu thymiamatis oblationem, perlitemus.

Nunc ó *Summe*, tuis humiles provolvimur aris,
Da mihi solenni vela secunda *Pater*!

Tibi videlicet Omnipotentissimo, bonitati inexhaustæ, & exuberantissimo bonorum fonti, phosphoróque gratiæ, gratias agimus immortales, rogantes quatenus, super velificandum, dirigas confirmésque nos in veritate tua, atque à viis lubricis immundi mundi, ne collabascant pedes nostri, abducas: semper intus reminiscamur, & extus commemoremus beneficia, quibus tu nos innumeris affecisti; O incomprehensibile, trigloriosumque in maiestate, cujus radiorum claritas offuscat nostra lumina, Lumen! hem in substantiâ Monas, & in Deitate Trias! proh scrinium irremunerabile, omnique redundans thesauro!

Tu es, à quo omnis largissimè ad homines, adque quamlibet creaturam dimanat bonitas, tu es inquam *ille*, ad cujus nutum fluit refluitque mare, coeli moventur & quiescunt, arbuſta germinant & sterileſcunt; ad cujus pectus lacte gratiæ quotidie nutrimur; natus frater major, sponſus prætenerrimus, amicus fidelissimus, qui ab omnibus nos malis eripis, munificentissimúsque benefactor, qui infinita nobis singulis momentis charismata imperitis; neque enim vigilans, neque dormiens, sed nec labori, aut otio quisquam deditus, tuis frustratur muneribus, vigilantem quippe præceptorem, dormienti protectorem, operanti adiutorem, otio torpenti pium te præbes monitorem; Quæ cura? qualis liberalitas, ecqua œconomi hujus largitas! quæ si adhuc exigua arbitremur, suspiciamus cœlum tantâ magnificentiâ exstructum; sole, lunâ, & stellis, veluti lectissimis quibusdam pyropis, tanto ar-

tificio adornatum, respiciamus terram tot herbis, floribus, fructibus, plantis, nemoribus, graminibusque curiosissimè consitam, intueamur aërem, & numeremus, si possumus, omnia volatilia, hæc harmoniâ mirabili, hæc canoro tinnulæ tremulæque lingvæ suæ plectro,

Innumeris nitidum concentibus aëra mulcent,

Illa sapore carniū oblectabilia, *ista* decore & varietate pennarum laudabilia: uno verbo, quaquaversum oculos contorqueamus, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, nihil aliud inveniemus, atque summam in nos Plasmatoris nostri munificentiam, quam Ambrosiatus ille œconomus in nostri educatione & conservatione vel maximè patefacit, quos jam ampliùs, ab hinc annorum millibus quinque, tam splendide tamque benignè nutricavit, nunquam ut nos deseruerit, ex quò in se suscepit debito nos tempore enutrire; Vah ut magnificus hic paterfamilias est! nihil unquam in domo desideratur, semper de provisione indeficienti nobis prospectum est; maria nostri penuaria sunt, agri horrea, causæ naturales annonæ præfecti, atque adeò totus mundus nostrum culina; quænam enim reconditoria sunt *Tellus* cum cunctis animalibus? *aër* cum volucrum coetu, *oceanus* cum squamigeris civibus, ac orbis universus cum creaturis cæteris? & quantò plùs de hoc universo comeditur, tantò pluria etiam adhuc restant, è quibus voluptas hauriatur, comedenda; At æquænam obsecrò illa culina, quæ tot alumnos & convivas unâ excipit mensa?

Vah unâ vesci mensa tot millia mille,

Dis & inops, patres, pueri, *Rex*, *Grex*, vir & uxor!

Et eodem simul tempore; convivium sanè stupendum, epulûmque admirabile, ô mensam magnam, cuique nulla unquam par extitit! Heu mortales, si ista frequenter versâremus, utique adamantina nostra corda tali consideratione colliquefcerent; Hem palpitans, hem fracescens anima mea, ô *filia* Altissimi, & *fusa* ad similitudinem Creatoris! surge quæ dormis, expergiscere, ut quid
tota

tota in cœno cubas, & recurva in terra delitescis? exulta aliquid
filia Sion, jubila filia Hierusalem,

Ad libiti contende Dei stellantia tempe,

Dia putans, reputânsque pio plangentéque corde;

Nónne vides, ut nunquam *ille* tibi subsidium atque justam ope-
 ram denegat? *ille* te prostratam, humique jacentem erigit, téque
 conservat, *ille* stat ad ostium cordis tui, & pulsât, & clamat, Aperi
 mihi soror mea, sponsa mea, dilecta mea, habeo phialas plenas
 odoramentorum; Hem eusebium, entheúmque Dei intuitum, ô
 mi Emmanuël, mel & lac sub lingvâ tuâ! quando amabò pauper-
 culam meam animam intuebere? quando fœlices, faustos, & au-
 rorantes oculorum tuorum radios, qui avolare me faciant, in me
 contorquebis? nunquando tactus dolore cordis intrinsecus, per
 horum influxum, tui, mei, omnium peccatorum meorum, quo-
 rum non est numerus, habebò, quòd ita igne amoris tui inarde-
 scam, ut præter te nihil, aut saltem non æquè, ac te amem! Cùm
 enim experienciâ jam certâ condidici, quodvis humanum sola-
 tium vanitati obnoxium esse, ideo ex hoc nunc propono, mecúm-
 que statuo, dulcissimum Jesum solum habere in mente mea, & de
 illius dulcedine in omnibus cogitare; Vale igitur,

Lucifer ô auriga poli, cœlique decorum,

Qui scintillivomis mundum transgressus caballis,

Tempora terricolis, optatâque gaudia vèctas;

Fulgida illa mundi fax, mirabile naturæ opus, oculus totius uni-
 versi, dici delitium, totius universi statumen, columnen & lumen,
 reliquorum planetarum Princeps, cunctorúmque mobilium su-
 premum, influentiarum thesaure, summi Dei imago, horologio-
 rum omnium gnomo & director, vitæque meæ textor, qui toties
 ab Antipodibus,

(Vix ubi tota cohors pede terris eminet uno)

Auroram reducendo, ut jucundum oculis meis radiorum tuorum
 lumen afflares, reditâsti;

Z 3

Tu

Tu quoque, sume *vale supremum* argentea Luna,
 Humorum omnium dispensatrix, tenebrarum Regina, tristium
 solamen, fida solis mariti tui uxor & compars, quæ sensim tetra
 noctis vela explicas & expandis, vitæque meæ momenta tempe-
 ras ac disponis: Vos etiam coruscantia & ignescentia alstra, quæ,
 licet quidem nixu quàm celeberrimo ferimini, attamen in re-
 gione cœlesti, cerrâ quâdam ratione ac mensurâ, in debilia no-
 stra corpuscula, vividam vestram potentiam demonstratis: Emar-
 cescite prata & viridantia hortorum sylvarumque nemora, ubi
 exalbuerit, florum, si vultis, decorem, & divinos illos colores ac
 delicias exuite. Arescite & cùm volueritis vos, ô crystallinæ sca-
 turigines, ac vos, ô limpidi rivuli, per confragosa insusurrantes,
 vadere desinite: nam jam

Singultire juvat, juvat indulgere dolori,
 Turgescant tremulis superæ plangoribus oræ,
 Omniparénsque solum, & vaga ponti mobilis unda:

Sum etenim sum, Summe, Omnipotens, & metuende Deus, in-
 formis, sceleratus, perditus ac nepotinus ille prodigus, qui tur-
 bulento adolescentiæ Vulturno abreptus, jugique impatiens, præ
 libertatis amore, insolentiùs me erga te gessi, & violentum pas-
 sionum impetum secutus, domum tuam deserens, in longinquas
 & peregrinas regiones secessi, in quibus molliter vivendo & dis-
 solutè agendo, facultates omnes substantiâque dissipavi & dila-
 pidavi, non tot caput meum habet pilos, aut nemus Eryman-
 rheum tot frondes,

Sed nec tot cœlum *stellas*, aut pontus *asellos*,
 Subterranea tot *venas*, vel littus *arenas*,

Quot ipse totâ vitæ periodo delicta commisi, fuit videlicet ani-
 ma mea scelerum receptaculum, & omnigenæ nequitiae domici-
 lium: Quoties, heu quotiens immanis illa luxuria, *chironium illud*
vulnus, violento & intolerabili suo adorsu, extra rationis limites me
 abri-

abripuit! Hic igitur nunc anima mea dolores ingemina, &, in unum velut fascem collectos, planctus effunde, hic crucio mœrore intermorere, hic vos,

O *oculi, scopuli* potiùs, postésque vocandi,
Heu quibus incantatæ tot perière puellæ!
Hem *oculos, loculos*; fallacia, lurida lustra,
Lustra, quibus venatæ *tres* obière *Susanna*!

Lacrymarum abyssò mergi oportet; hic tu Mundo incantratum, vanum ac prophanum cor meum rumpare, loquere ad cor *amoris* fontem, *ardoris* fornacem, & dicito,

Cordis mei cor *dilectum*, In te meum fer *effectum*,
Mille mortes opta *mori*, Flammâ castissimi *tori*.

Ecce verò syntaxis, & perpia praxis contexendæ corollæ amoris divini! quâ dilectum tuum Jesum, super omne, quod in cœlo, & terris est, efferes, illum igitur, ô *miserrimum cœnum*! ad triverbium hoc dulcissimum interrogantem, lubens semper ausculta: *Fili amas me?* ad quod peramabile quæsitum, intimo cordis affectu, respondebis, tu scis, ô Domine, pater pulchræ dilectionis, speciose ante filios hominum, quia amo te præ oculis meis, & ultra omne, quod est aspectu delectabile, Amo te, mellitule Jesu, ante omnem dulcedinem, & gustûs suavitatem, amore tui ab omni excessu & sensualitate ciborum temperabo, ut delibem, quàm suavis sis Domine, quoniam habes favos æternæ vitæ: Amo te, ô sponsæ, qui pasceris inter lilia, præ omnibus odoramentis florûmque fragrantia, quia odor tuus ut thuris: • Amo te plûs vitâ & animâ meâ, Amo te de toto corde, flagrantissimo voluntatis actu, erga te jugiter obtenerascendo; imò vel amo te teneriùs, quàm pater filium unigenitum, O si redamem te, ut amore tui moriar pro te, qui mori voluisti pro me!

O quàm dulcis es Jesu dilecte mi, qui tot & talia sustinuisti propter me tam vilem vermem! Hem dilectionem penitus admira-

mirabilem, *amorem*, omnem qui transcendit *amorem*! scio equidem, & scire me scis, quia *modus* diligendi te, ô ignis, qui semper ardes, & non extingveris! est sine *modo*; quod si itaque Terentiano illi pamphilo usqueeò insanire licuit, ut suæ Thædi diceret,

Dies, noctesque ames me, me desideres,
Me somnies, me expectes, de me cogites,
Me speres, me te oblectes, mecum tota sis,
Meus fac semper sis postremus animus,
Quando ego sum tuus amascus intimus.

Quod si inquam, hoc ille, per insani Cupidinis improbas leges, deposcere ab amica posse existimârit, ut diceret, noctu atque interdiu adames me, cur ne ego in amore Dei fluam die ac nocte, eatenus ut illum, quantum fert vulneris mei profunditas, incessanter cogitem, & ipsius amplexus Creatoris *creaturcula* faucio semper animo percurram? Orbe, à partu Virgineo, millesimo, sexcentesimo, sexagesimo secundo, sub medium Martium, composui semel procacem poësim, quam die Dominico manè, ab ecclesia redeunti, cuidam Margaretæ in platea porrexi, formâ fasciculi, cui schedam amatoriam inserueram, adscripto ad calcem isto lemma-
te, *Cogita tu de me, & ego de te*; hoc prope tono.

C O N G R A T U L A T O R I U M

Redeptæ incolumitatis, cum encomio natalitii lectissimæ
atque prædodatissimæ Virgunculæ ac iconculæ &c.

SUscipe *Phinti* mei pudibundi pignus amoris,
Quod tibi sic dio minimus canit omine servus,
Pulchricomo pulchella futura es sponsa marito,
Mella, mitella, matella, umbella, rotella, labella,
Sella, favella, glabella focella, piella Rachella:
Bella, nivella, novella, tenella, terella puella.

Pa-

Paragraphus.

Proteorum horum rhythmicorum trium indoles, genium & ingenium prolixiori periodo prosequendum erat; atquiverò, quia aliquando defore nihil diffido, qui titillanti id animo satis præstando sunt, oceano undas, vel quod dici affolet, cœlo addere sidera supersedeo.

Extemporarium Poëmatium,

sub

Casti amoris faculâ,

ad

dilectam.

OMne pharetrati tenerorum vatis amorum
 Quod celebri musâ pulcha Corinna fuit:
 Blando de charâ quidcunque Propertius ore
 Lufit, cui fictum Cynthia nomen erat;
 Lesbia nobiliter lascivo plausa Catullo,
 Cytheris Gallo, Lydia lecta suo:
 Delia festivo præquam cantata Tibullo,
 Atque tam amorosâ quæ cecinere lyrâ,
 Aptius illa quadrant potiori sorte Rachellæ,
 Prospera quam nobis lux hodierna parit;
 Inquam de vegetâ fatiùs modulanda Rosellâ,
 Langvidulam fecit quam revigere Deus,
 Quæ mihi Thisbæi cordis retinenda medullis,
 Rumpet *Laninea* dum mea fata *Dea*:
 Clarus luciferas seu flabis Apollo quadrigas,
 Seu stabis rutilo ningida Luna polo.
 Una Polyxenio dotata puella decore,
 Nempe sonanda meis Margaribus Anna thoris.

A a

In-

Intactam petilâ convolvens sindone pellem,
 Quæ superat canâ lilia sparsa nive.
 Ah quoties factum, lueret quum morbida lecto,
 Clâm nostras lacrymis immauisse genas!
 Nam similem Rodicis vidit vix Phœbus habenis,
 Nec mergens vapido fervida plaustra mari.
 Omnia persimilis, vulgumque, comamque Dianæ,
 Labra rubella, manus, lumina nigra, pedes.
 Hæc utinam nostros nunquam cepisset ocellis,
 Quæ lævore satis serica Coa præit,
 Catholicus *clamor* sic mihi fecit *amor*:
 Acer enim Deus est, tigres domat, atque lænas. &c.

§. 21.

Aliud verò carmen, aliud dico charisma, sed myrrhæ, sed thuris coelicus ille amasius suis mittere consuevit, dum *amor* corculum ejus occupavit, tum jure dicere licebit,

Quem nullus potuit vincere, vicit *amor*.

Vah multissime Jesu, ah dulcissime pastor animarum! vulnera tua desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, sibilet vox tua in auribus meis, fortis enim tuus dulcis, & facies tua decora;

Ah expeto te toties! Vis dic tu rhythme quoties?
 Desidero te millies, Sraterâ mille millies,
 Mi Jesu quando venies, Mi jecur quando lenies,
 Me lætum quando facies, Ut me de te fic'aries!

Verba sanè ante mel & super favum dulciora, agite ergo unâ omnes, incensa date, magnificate toto mecum pectore Dominum, & ingeminate; *Domine Domine*, non eram & tu me creâsti, signâsti quasi in sacculo delicta mea, & gressus meos dinumerâsti; mortuus eram, tu me vivificâsti, deviaveram, tu me reduxisti, peccatis eram coopertus, criminibusque differtus, & tu ignovisti, cecideram & rexisti, desperaveram & consolatus es, damnatus eram

& li-

& liberaſti, ſubhaſtatus venieram & redemiſti, vinctus eram & diſſolvifti, infirmus & reſpexifti; *Benedic benedic* igitur anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus, Eheu Domine, dulcis *hospes*, *ô ſpes*! an non tu magnus ille Figulus, qui me, in omnipotentia & æternitatis tuæ torno, ex nihilo formâſti? vah admirabilis creator, mihi cùm non eſſem, eſſe dediſti, imagine me tuâ exornans & conſignans, ut te in hac vita per gratiam æmularer, in altera per gloriam hæreditarem!

Tu es, ſcilicet *Summe totius univerſi Domine*, eſſentia meæ Auſpex, qui ex nihilo, quod eram, quod eſt profectò minus, quàm terra, quàm punctum, & denique nihil; quique nihil omnino promereri poteram, tam mobilem, tamque nobilem me creaturam effeciſti, & cùm in illis nihili cavernis verſarer, bonitate infinitaque miſericordiâ impuſus, citra omne meum meritum, ante omne meum jus, & ex mera tua gratia, omnipotentiam erga me tuam oſtendere voluiſti, quando de tenebris, compedibùſque, à non eſſe ad eſſe, pantodynamiâ me tuâ protraxiſti, & aliquid eſſe voluiſti; Bonitas certè ineffabilis, hem miſericordia, quam non merui, *amor major*, quàm quis cogitare poſſit! O charitas incomprehenſibilis! quid quæſo *dic Domine* in me vidiſti, ecquod tibi ipſe obſequium impendi, quibus te operibus devinxi, pro tantâ in me amorum congerie? Ah cordis mei ſuavis homilia, *ô charitas* Deus meus accende me! *Æſtuans* ſiticuloſùſve cervus avidiùs non anhelat ad limpidos fontes, quàm ego ad te frequenter ſuſpiro,

Vulture vaſtatur, qui ſemper amat, nec amatur,

Hæu dolor ut longæ ſunt in amore moræ!

Errat, qui requiem *divini* credat *amoris*,

Divus amor nullum novit habere modum.

Deſiſtent vigiles priùs indagare Chymiſtæ,

Et citiùs dignos dilapidare dies;

Obryzum rapido priùs aurum corrueſcit igni,

Verteréque Artilapis ſpurca metalla ſinet,

A a 2

Quàm

Quàm potero nostros aliò transferre calores,
Hujus ego vivus; mortuus hujus ero.

Nuntiate dilecto meo, quia *amore langueo, dolore sanguino,*

Jesu decus paranympthicum, In aure dulce canticum,
In corde nectar coelicum, In ore mel magneticum!

Affatim autem ambrosia, verbâque verè aurea, sed & quibus col-
larum aurum, non ita carum! hei mihi, quando solutus à molesta
servitute, villisque operosis diaboli, villis superbiæ vitæ, concu-
piscentiæ & lubricitatis carnis, in quas me misit dæmon, dudum-
quæ detinuit, vineam tuam reperiam?

Quando renidentis florescens instar olivæ,
Candida clementis Domini quam cura tuetur,

Veniam & apparebo ante faciem tuam? ecquando verò lavabis
me aquâ, & emundabis sanguinem meum ex te & unges me oleo?
Ah cordis mei dulcis amor, prò amores dulces, ô delitiæ Dei
patris! in te est *fons* vitæ, *flumina* de ventre tuo *fluunt* aquæ vi-
væ; patete aures cordis mei ad suavissimum ejus internæ inspi-
rationis sibilum, quis enim, obsecrò, suavior Favonius, quis inquam
lenior susurrus auræ tenuis, ecquis tandem respirationis *status fra-*
grantior?

Si modò tu Jesu *faris*, mea *fatetur* amica,
Nam labra mi Jesu sunt tua pasqua mihi.

Si modò tu Jesu *rides*, mea *ridet* amica,
Nam labra mi Jesu sunt tua mella mihi.

Si modò tu Jesu *luget*, mea *luget* amica,
Nam labra mi Jesu sunt medicina mei,

Si modò tu Jesu *missas*, mihi juba *missas*,
Nam labra mi Jesu sunt Hymenæa mei.

Si modò tu Jesu *stillas*, mihi balsama *stillas*,
Nam mihi mi Jesu sunt tua labra dapes.

Quando

Quando igitur *ridet, luget, flet, fatur* Iesus,

Ridet, flet, luget, fatur amica mea:

Ac ego si *stillo, fleo, sor* quoque, *lugeo, musso*;

Sic ago, sic Iesu *mi bone*. namque facis:

Eja saluberrimo integerrimoque cupidinis tuæ jaculo cor meum transfigas,

Te solo liqueat, tibi semper inhæreat uni,

Ut at te vitæ fontem, velut cerva saucia, recurram; quis enim cervus pressus à canibus, aut quis Monoceros ad sinum confugiet puellæ, si mortem inibi putet, quam cavet, invenire?

Monoceros langvens, canibus pavefactaque cerva,

Audent ad gremium fessi trepidare puellæ.

O si quis mihi daret potum aquæ de cisternâ, quæ est in Beth-lehem! hem *Domine Deus*, ah amor, ecquando hæc erunt? aut si in tempore hoc restitues regnum Israël? rerum verò vices, valida & subitanea metamorphosis! ex Clytæmnestrâ, turpique æthiopissâ formosam Penelopem fieri, ex Thaidè castam Lucretiam, hem miraculum dextræ excelsi, heu quis victurus est, quando ista mihi faciet Deus! indica mihi semel, ubi pascas *Zelotype sponsæ*, ubi surgas in matutino, ubi cubes in meridie, ubi sis jucundissime Jesu, quem esurit anima mea! quando sedebo tanquam mœsta columba super fontes aquarum, cogitans & recogitans, quàm brevis, quàm *labilis & fragilis* vita sit ista? ut vana hîc solatia & consolatio, ut crebra verò tribulatio, & multiplex inquietudo inter homines, ut longa & amara procrastinatio à nido æternæ meæ mansionis!

Vah Deus meus, quando tandem elangvescentem agglutinabis me glutine magneticæ tuæ gratiæ, ut nunquam dimovear! quando me tibi vinculis patheticis, & adamantæis junges? quia ligaturæ *tuæ*, vincula *tua*, fila hyacinthina sunt, vincula mollia, suavia, decora; nunquando inebriatus ab ubertate domûs, & torrente voluptatis tuæ potatus, in curia tua

coelesti, in beatissimo illo Sanctorum tuorum domicilio, in perpetuas æternitates, luctuosè & probrosè, non dicetur amplius de me, adhæsit uni civium regionis illius, sed potius adhæsit Deo, unus spiritus est? Hem adhæSIONEM anaticam, conjUNCTIONEM-que perSUBLIMEM, & præter naturæ homœOSIM! ferri rubiginosi cum orthochymico, cum obryzo, cum septies cæmentato auro, hominis cineritii & pulverulenti cum Deo! O enthusiasmicam metamorphosin metamorphosibus omnibus Ovidianis, & vel ipso- rum mille *Philosophicorum Lapidum* ineffabiliter mirabiliorem & meliorem! vah quantam cacophoniam ac diapsalma edunt raucescentes chordæ meæ! ah Domine, *te te* proclamat tympanum meum,

Tu rosulente Deus mihi *gratia, basia* fias,
Tu vice Philinnæ pectore sole cuba.

Osculare me osculo oris tui, consaucies cor meum, duc me post te, ut curram in odorem unguentorum tuorum! duc quodammodo invitum, ut facias voluntarium, trahe torpentem, ut reddas currentem, erit quando non indigebo tractore, quia voluntariè & cum animositate curram: congere, aggere,ingere, ô Jesu, in hoc *bivio*, in hoc tam disparis æternitatis *punctistitio*, tam inæqualis rotæ, mala quotlibet, quâ potero, feram; quia ego in flagella paratus sum, ad sacram tuam cautem, ad sacrosanctum saxetum tuum clamo, per decaphonam responde echonem amanti:

O quantò meliùs, clamanti pectore Jesu,

Hæc referent Jesum scrupea saxa meum!

O amor, ô Jesu, quoties *clamaris, amaris*,

Qui mea, morte tuâ, crimina *demis emis*!

Quò fugiam? prædo stygius *disquamat & hâmat*,

Non *misereris* amor? non *miser escis*, ait:

Ergo quid hîc flebo? cautes sonat *oxea, noxas*;

Siccine tunc tutum me fore *reris? eris*.

Um-

Umbrifer ô Jesu, vah dulcis *halæse perese*,
 Mente meâ nunquam, cordéque *tède pede*!
 Te Petram, quoties milvo præcludar, adibo,
 Omnibus echantem jube *juvamen*, *Amen*.

Jâm igitur, quando divinæ facis jubar cimmerias ignorantiz,
 mentiûmque tenebras, ac caliginosas oculorum umbreculas satis
 dispulit, passis portis ingredimur, ut cum *Nymphâ* Orbis basi, to-
 tiûsque naturæ fulcimento, remotis pepulis, abruptoque hymene,
 tanquam sine indutu Dianâ libidinari valeatis, ipsiûsque blandis-
 simæ frontis aspectu lentescunt omnium animi, & ejus amoris
 isthmo inflammantur, siquæ ex hac aqua bibant, illiûsve riguis
 venis potent, iterum sitiant, ac continuò siti tenentur hydropi-
 sis,

Ut quibus à diris undis obturguit alvus,

Semper plûs sitiunt, quò pepulère magis:

Has vobis *lymphas* haurite hydropici, his inundate, sitimque ve-
 stram sedate, sunt enim optimæ ac saluberrimæ; Hæ sunt illæ
 aquæ Patris Pelopis, ad quas anhelantes invito, ut veniant, &
 emant gratuitò, absque argento, & absque ulla commutatione;
 Sonora verò vox, gratæque philosophantium auribus; O fons di-
 vitiarum inexhaustus veritatem justitiâque sitientibus, hem
 naufragorum scrupulositatibus præsentaneum asylum! Anteces-
 fores suis duntaxat coamicis, & nihil promiscuæ multitudini vo-
 luerunt interpretari, ego autem sublimis Aurigraphiæ Theore-
 mata omnibus hîc offeram, idque gratis: ex penitissimo quippe
 pectoris recessu, liberalissimè porricio hanc concisam *metrica* se-
 getis *messè*m, frugûmque mearum primitias Cleanthis ante cande-
 labrum ablatas, & ab *Immortalibus Adeptis* prælo deputatas, quo non
 puto potuisse me præstantius aliquid aggredi, si pròinde quid dig-
 nius porrò scirem, totum omne in lucem darem, typisque evul-
 gandum communicarem;

Sed mea musa rudis, canimus, quas possumus, odas,

Quæ non docta strepit sæpè refecit avis.

Non

Non ego spumofum pelagus fulcabo carinâ,
 Omnis in angusto flumine nostra quies.
 Nam tener & parvus sum, mente retusus, & ortu,
 Non, nisi quæ nactus, dona *misellus* habet.

Utimini interim pro auctario me suscepto Commentore, qui acta vobis consistorii *Silentium*, factaque tota recenseo, eorundem enim placita sancta hoc *Sibyllinum* propalat delubrum. Atqui jam fatis semel superque, in magna hac *anteludii* sylva, propecti sumus, receptui canendum, resque ad umbilicum ducenda, vulgò dicitur, *jucundi aëti labores*, nec malè Euripides, concludam si potero latine, Argolicam enim hanc sententiam nōstis omnes; *Suavis est laborum præteritorum memoria*:

Hanc eapropter *amenam* nunc intremus arenam,
 Nemus grande salum, dabit *aurea laurea* vires,
 Ex nauci nihili *mæandro* fit *salamandra*.

Ad ipsum eburneum Dearum solium penetremus, Penelopæaque *Nymphæ* procacitate, & nectareis suaviis voluptuemur; ipsiusque permissu ac annutu, sopito dracone pervigili, *Aurea Mala* in floridis Hesperidum hortis decerpta congregiemus; Tutissimum erit vobis in hoc meo trifolio, herbâ, in qua non sunt serpentes, abnoctare, quæ enim avis adeò stolidâ, ut in cannis arundinibusque vento agitatis, nullam umbram facientibus, nidulari malit, quàm in Cedrorum Libani culminibus?

Cùm bene præcavit mater de tegmine pullis,
 Nititur algificum nullus adire nemus.

Sic ergo nunc appetit glossatus venustulusque campus, qui securitate suâ pelliciet ignavissimum quemque, ut pedem inferat, & nonnullas inibi trahat moras, *hic lilia libabo*, ferta vobis contexam, & amaranthos legam, *hic est* etiam viridarium, ubi ad solem apri-cemini, *est* & umbraculum, ubi tutò obumbremini,

Cernite

Cernite quærant viridissima prata juvenci,
 Accipiat nullas torridus agger oves:
 Strata petant nunquam strepitantes aspera feles,
 Nullus ad austeram currat amator anum.

Eja igitur, *nausfragi filii artis deauratæ*, agite, adeste animis, clavem, quâ transformem fontinam referare valeatis, porrigam; temerè accedite, fores Opis, & intima Galenæ demacula dispeffulata connivent: jam scoparum lignis renuntiatur, & sub contrariarum aquilarum signis militatur; jam magno in stadio studio, Olympico inter agonistas certamine curritur, ad brabium Aurei Velleris; jam ad corollam, ad chrysocollam athleticè intra septa dimicatur, pro adoreâ aureæ laureæ:

Atverò, ecquid opus fessis enerve tenendo
 Usque diu digitis graphium lassare? valete,
 Affectumque meum grato sub corde viete.

ELYSII.

[illegible]

Strata & Prata

ELYSII.

1. i. e. Campi, ut enim *campus* à *capiendo* nomen obtinuit, quòd insignem animalium, seu rerum aliarum messem facile *capiat*; ita & *pratium* à *parando*, quòd nimirum *paratum* sit ad capiendum fructum, in quo scilicet seculà duntaxat est opus, ad percipiendum illum.

2. i. e. Plenum & distentum auro &c. vide fusiùs infra Monumenta Deiphobes, Glossèmate septimo.

3. i. e. Media, multa, adulta &c. aliter & vulgariter *concupia*, propterea quòd omnes ferè tunc *cubent*; vel *concinium*, quòd *cuncta* tunc taceant: dicta autem mihi atque contracta videtur *Nox intempesta* ab intempesta, fortè quòd ea pars noctis *intempesta*, id est, inopportuna sit parvis rebus agendis.

4. i. e. Bona vox, seu rectiùs *proba vox*, quasi à delinquendo *prohibens*.

5. i. e. Perpetuæ, sempiternæ &c. Quemadmodum enim *sempiternus* compositum est ex *semper* & *eternus*, tanquam *eviternus*; sic quoque *perennis* ex *per* & *annus*, a verso in e, quasi *per annos* omnes durans.

6. Hic est, Consolationem & subsidium afferentia, quia *salus* sumitur pro remedio, medela &c.

7. In quo scilicet à dracone pervigili asservatur Aureum Arietis Phryxæi Vellus; à *luceo*, non certè per antiphrasim, quòd minimè *luceat*, ut vulgò creditum est, sed veriùs propter frequentia *lumina* sacrificiorum, quæ fiunt noctu in *luco* hoc *Martii*, sic dicti, quia *maribus* inibi præest litantibus; poetice *Mavors*, quòd *magna verat* &c.

8. i. e. Immortales, nardificantes, semper comitantes, &c. nam *umbra* corpus sequitur velimus nolimus, dicta quasi *imber*, quòd *umbræ* omnes sint *imbricæ*, seu *imbrifere*, id est, humidæ, fumidæ, &c.

9. Pensatione suâ dignissimum est, quid hic & alibi *Orcus* prætendat, dictus (me quidem scoliaſte) non sanè ab *urgendo*, quia ad mortem nos *urget*, sed potiùs tanquam *Hortus opacus*, quòd nimirum rerum omnium sit *orsus* & *ortus*.

10. i. e. Triumphalis, à verbo *ovo*, *as*, quod est lætor, lætitiàmque vociferando, seu canendo demonstro, unde *ovatio*, quæ minor est triumphus, quo videlicet in Capitolio de *ovibus* sacrificabatur, ut in majore de *tauris*; Dicta sic quasi *ohatio*, ab interjectione scilicet gesticientis *obe*: vel fortè rectiùs etymologizare possumus commentando, verbum *ovo* deductum esse à voce eorum, qui latus *ovantis* stipant; illi namque *oo* geminatum exhilarabundi solent acclamare, ex quo (interpositâ v consonante) verbum *ovo*, primâ brevi, resultasse opinor.

11. Poëtice hic pro cælo, quemadmodum & superiùs in Choro Philosophorum, dictus quasi *ὁλος λαμπρός*, id est, totus & undique *splendicans*, quia *clarum* usque habet *solem*, nec ullis unquam nubibus infuscatur.

POSTPRINCIPIA,

Quomodo & quamobrem

HÆ

Magicarum Noſtium Sortes Sibyllinæ ſignatæ ſint
atque ablataæ.

§. I.

Commilitonum quidam meorum in ſtudiis humanioribus, &
jocis juvenilibus,

Plùs minùs ante decem Autumnos, ſi ritè recordor,
Sardoa feſtivo diffingens gaudia vultu,

Gratulabatur de foelici mihi (ad patrium ſcilicet ſolum, curſu
philophico Ubiorum in Academia peracto, Parentis è pedibus
tum temporis paralyſi, uti apparebat, laborantis, inviſendi ergò
noviter reverſo) adventu; & eccum, Naſutus ac loquaculus com-
patriota hic, uno ægrè atque altero (nam erat adhuc in limine
noſtri gurguſtioli) verbo integrè prolato, haud ſecus, ac ſi à ma-
giſtratu, quod ego certò rebar, expreſſè miſſus, barbarie videli-
cet, prout conjicere erat, non mediocri excîtus, uncis in me na-
ribus decachinnari, inque præſentia aliùs mei, ac ipſius utrique
conjunctiſſimi conſodalis, phanaticæ inſtar ſagæ, ſubſannanter &
ironicè concrepare, hoc penè tenore.

Vaha! putabamus certè, te adventurum fuiſſe in rhedà quatuor
equis, allaturúmque urbiculæ noſtræ minùs bene de præſenti
proviſæ (quam profeſtò, ſubtexebat ſannio, reverſionem tuam
vel exoneratione tormentorum bellicorum non excepiſſe ſum-
mopere miror) aureas aliquas maſſas; perceptâ nimirum muſſita-
tione,

(Æmula quandoquidem fama repentè volat)

Quòd Chymico me ſtudio abdidiſſem, hinc in idem propoſitum,
prehen-

prehenſo ferreo quodam è pergula noſtra aſſipondio, quo Paren-tes promercalia & venalitia ſua ſolebant eponderare, quantũ for-taſſis iſtud valeat, quantũque in eo auri eſſe poſſit, ex me mi-ſterismiſ; ſ logodædalus ille piſcari, Talis quo quæſtio vergeret ego probè ſubodorans, reſpondi nihil, non enim, cenſebam, me-reris audire veritatem, qui fraudulentè interroges: porrò ille poſt multa ultrò citròque ſic joculariter cæſa, *Tu habes*, inquit, ad me, internam quandam ſuperbiam;

Ingentes animos anguſto in corpore geſtas,

Et tu, eodem utens venabulo (mox aiebam ego) externam, ut omnes ſatis nòrunt; locutus ſum ego Colonia Principibus, ac Optimatibus multis, quid tu, dicaculũve pater tuus ſciat de his? adèò ut verbum verbo trudente, ferotuli tandem iſto veſpere ab invicem diſceſſerimus: Venit itaque non multis poſt diebus, fortàſſe duodeviginti, aut undeviginti, ut pariter cum conſociis (animi pauliſper defrænandi, cordiſque nonnihil ægritudi-nis decoquendæ cauſa) decuriam ſeu tabernam quandam in-greſſus, in ſphæriſterio (quo genere luſus tunc infaniebam) ge-nialiter me recrearem; & ecce! cùm ludus (quod dici ſolet) fo-ret in optimo, cùmque à bynes vinique proterviâ incalentes, hi-lariter compotaremus, intrare alius quidam Megaræ angvibus prognatus, jam antè ſimiliter è condiscipulis meis unus, ſed non tam hominis, quàm urſi, aut beluæ omnium deliriſſimæ habens veſtigia.

Hic enim Achemon, plurimis ſarcaſmicè effutitis, ubi ludi nã-ia eſſet, ultimũſque pulſus convocaret (nam gladius erat, ſer-vans diariam ad portam ſtationem) horrendum in modum ra-bire, ringi, contumelias & ignominias, Cyclopicis carnifica-libũſque etiam immaniores, in me penitũs conſternatum, ma-gno adſtantium ſtupore, ne verbum quidem tunc, quod non aſſeteri, in morem oviculæ, obrogantem (prudentiſ enim, ruminabar hîc, naucleri eſt, ventis ſævientibus curſum non

prosequi, aut contrà obniti velle, sed velis corrugatis eorum violentiæ cedere, ut ne fortè discrimen quod adeat, Philosophus, reputabam vicissim, mundi hujus oceanum enavigans, hoc, si non velit nomine saltem talis esse, imitari debet, non resistere inquam iniquis, & exurgentibus injuriarum turbinibus, ast vela potius constringere, & furorem contrahere, ne iracundiæ, aut vindictæ tempestatibus compulsus, animæ naufragium incurrat) ejaculari; obscenam denique illuviem cornuærum verborum, nescio num ex corde, utrùm ex cerebro truculentiore ejectare, perinde ac si prodiiisset è sentina putridissimorum tenebrionum, imò, ut sic dicam (magis nihilominus, quàm à dictæis ac impropriis suis, absque ullâ ratione, tam enormiter evomit, & nullo, neque verecundiæ, neque honoris, respectu habito, quàm quàm ab honesta familia sua) verberò & trifurcifer hic vix erat dignus despectu, in impensum utpote dispar priori: hic quippe (præter quòd ingeniosus, & à suis esset instructissimus) Ephebus erat

(Si tamen hanc longè non mittat faucibus auram,

Inque suo tacitè gaudeat assè sinu)

Non indoctus, imò verò tonsuratus & togatus, jamque, factis initia mentis, altari adauguratus, proinde etiam iterum pristinæ amicitiae nostræ coagulo propediem invaluimus,

Et modò qui falsi lenivimus ora sodales.

Palpo inquam tunc bis ita humaniter ab ambobus illis meis patriotis percussus, steteram nihilominus primo imperterritus, parùmque percussus, alterius verò triscurræ scommatis adeò totus iracundiâ & attonitione (quæ tamen successu temporis, quo omnia, ut verè adagiatur, intermoriuntur ac obliterantur,

Quidquid sol oriens novit, quidquidque reclinis,

Quidquid vel veniens, fugiensve per æquora purgat

Oceanus, cursu festino corripit ætas,

Ex parte remittere atque defrigescere cœperat) derigui & intabui, ut continenter trepidè inclamarem,

Heu!

Heu! quæ nunc tellus, heu quæ nunc unca spelunca,
Aut quæ nunc supportabunt me cærule lævum!
Profugere à me istos rabulas, *justissime vindex*,
Perpetuóque jube Stygios habitare caminos.

§. 2.

EXinde cùm inter haud paucos, vel viros alioquin doctrinâ conspicuos, iterum, nescio quo parrhesiæ fremore, consimilia sæpenumerò orifulgetra eructari audisse me non dememinerim, ac quidem exuberantiùs multò, & præterea Amstelodami, Londini, alibique quodam fortuitò semel tempore, libellum quendam in abstrusioris illos philosophiæ Consultos Chymistas indicibiliter invehentem, atque vix ipsâ lucis usurâ dignos adopi-
nantem, offendisse me recordem; sensi subitò soporatum illam primam meam passionem (quæ jam inter proficiscendum huc il-
luc ad tempusculum deferbuerat) contra bovinatores istos, ju-
stâmque maniam adversùs Auræ nostræ veritatis vituperones, tanquam refricatam & resuscitatam, ita recanduissè, cum primo ut iterum dicto depalmare, libratumque confestim pugnum, ad gingivas omnes edentandas, in eorum ora impingere decernerem; Eatenus inquam redintegratam, recruidissè & resæviissè, ut mox mox propemodum optarem, pleros istos diabolos funditus abolitos atque illuminos, siquæ legum aut virium indulgentiâ licuisset, eccere! maniculis hisce meis jam jam extirpâssè, ex-
templo capita elingvâssè, correpto è sacco meo cultro excerebrâssè, extinxem, &, casu quo unicum totum illud insultato-
rum subsannatorumque sedimen collum habuisset, ipse uno scissu sic universum obtutum obtruncâssè, perjugulâssè:

Sed quia vana est unius, & sine viribus ira,
Difficile ac durum est, unum compescere multos:
Quam faciunt parvi levis est vindicta lacerti,

Et verba in ventum, vocêsque incassum serebam taliter foemi-
nando, lingvisque anilibus ista garrulando,

Hæc

(Hæc quid Sisyphiis demens successibus optem ?
Quæ non ulla mihi dátque dabítque dies)

Existimavi. efflagitandos , obsecrandos, inquietandos clangore , ore, re, quoquo modo, qui obliterare, obnuntiare, annihilare carinatorum istorum ac oblividi coetûs tanta talitra, tabellas, si vellent, possent, seu Præsentes adhuc, seu jam Sentes ipsos,

Quilibet urgendi Viventes atque Quientes,
Mente minus sanâ partes prorumpar in omnes ,
Unde animum poenis ultricibus ungere possim.

At utribi primodùm querimonias has meas protéstarer? quos obturbarem ? apud quos prætortam hanc caussam peragerem ? penes populúmne & plebellam ? ast ea sermonibus hæc super re sic lima est, quî plerique *Chymiam* (cujus nihiloscus spe- cialem exortemque prærogativam etiam cum lacte lactentes à matribus quasi imbibere oporteret) planè nolint, vel vix norint ex nomine, aut si sic, alumnos ejus parcè pane Phœbóque condignos putent. Num apud vos, ó Docti & Doctores, Cathedra- rii & tricones ? sed plurimis vestrûm (scolasticis illis sexcentis inutilibus battologiis & paralogismis usque irretitis) ne vacanti- bus quidem semel ad umbram venit, Orthomagiam nedum hu- manæ sapientiæ, & omnis profundæ ac abstrusæ lituraturæ my- rothecium, verùm etiam esse metropolim, id est, quarumcun- que artium mirabiliûmque omnium officinam; ut quæ jam du- dum sapientes illas, & plerarumque disciplinarum ac artium inventrices altricésque Athenas, primam inquit universita- tem Universi, honorificè efflorescere fecerat.

At verò, quoti, qui hæc videant, sunt? descivit, heu! nimium descivit sæculum hocce nostrum ferreum ab aureo illo sæculo, atque ita quidem descivit, ut integræ artes simplicesque scientiæ in centones & stolones degenerârint; elephante excreto, culex colatur; luxatis lumbis, de asini Apulei umbrâ passim disceptatur:
Ali-

Aliquo ævo antè, perspicaciora ingenia disquisitione rerum reconditarum & excellentissimarum doctrinæ secretioris, mysteriorumque naturalium, quibus subditis suis universis, tum fagi, tum rogæ diebus fuerunt præsidio, defetiscebantur sedulissimâ ; præposterè autem ætas modernâ ficulneas litium phantasias, insaniâsque inutiles, quibus quæstuosa illa, pensiorque Veterum Philomagia injuriâ exinanita est, excolit & expolit: Antegenitalium Senatus Sophorum Musas illas nobiliores cretâ notabat, harumque gratiâ impensissimis sese molestiarum nimbis, quatenus illis potiti se patriâque redderent famosiorè, objecère, nostrâ verò tempestate, ne modò Artis hujuscæ irrissio ac tortuositas increbrescit, cæterum & violentia atque abhorrentia in tam frugiferam baccam, culménque mysticorum debacchatur. Amatores ergo tandem ipsos? Reges, Principes, ac Optimates adirem? hodie hunc, crastinò istum, perendie alium, ordinè demùm humilis homuncio unus omnes?

Auderésne fatis tali pudibundule fronte

Usc sub obtutu Regis *Ocella* loqui?

Vah opus immensum performidabile *parvo*,

Herculeâsque ipsas grandius ante manus!

Impunitè oblatratores, stupendorumque thesaurarii oppressores, alveolum omnifariorum mysteriorum melle fluentem, per fillos & jacula adeopere dentata, ludificârint, exhibârint?

Impunè ergo in me jactaverit ille cavillas?

Hic fannas? impunè lacefferit ore Lycæum?

Salibus aut satyris Orchestræ sive tricones?

Scriptus & obliquo famosus felle libellus?

Non ita, non ita, quæ rabiosè lingua locuta est,

Blasphemæ rabie lingvæ lædetur eâdem.

Interpellandos igitur & procandos putâvi ac probavi Philomagos nostros Lethen habitantes, lessibus, lacrymis, lamentis, litamentis, piamentis, quaquâ tandem possem commodissimè, ut operantes etiamdum philomathas ipsi jam Indigites informant, imbuant,

C c

oblig-

obsignatis oraculis, prophetiis, phantasiis (etiam extraordinario & inexpectato sanè more, sed propter inopinas quoque inauditasque injurias) ad eos ex Opaco emandatis, casu quo fortè dubitantes homotechni (philosophis æthere nostro non amplius utentibus episcopantibus, ad rem Magiarchæ Hermetis insummandam, adversus omnium tantorum tamque egregiorum virorum convitiatores, scientiarum illi Basilissæ Spagiriæ, tam parum Basilicè, per tam truculenta minimèque Basilica codicillaria labra, insultantes) vel nunc pariter tum demùm inauguratò enutare & triumphare queant : Atque sic in progeniculationem cernuus, incertum adhuc obtestabar Numen ;

Ordior has *telas*, vos Dii sentite *querelas*,
 Crura mei *fletûs*, jura meique *metûs*,
 Et post mille *jocos*, astra beate *rogos*,
 Millèque post *faces*, Orce capeſſe *preces*.

§. 3.

ITa sic incipiebam ego jam incubare Jovi, admallare, profundere vota, Elysiicolas quiritatibus, ejulatibûsque densis defatigare, plausus & planctus subdiu noctûque ad Majores nostros parturirè, ad Platones, ad Bacones, ad Gebros, Rases, Rosarios, Avicennas, & peræquè ad Morienum, sagacissimum jam olim feriorum horum patronum ; Ad avicularum geminarum exhibitorem Seniore, Zadith filium Hamuëlis, cheu! quondam totum in Arte hac, si qui ex ipsis forsan, aut (quod maluissimè) concorditer unà omnes dignarentur respectare suos, veritati (quam vivi tam sanctè tenebant) jam usque & usque lubricæ Absentes assistere,

At tu, ô *clemens Physiarcha*! animæque beatæ
 Ætheris orarum, quæso miserescite nostri,
 Et justas audite preces, aurésque benignas
 Præbetote mihi, sic vos, sic ambio *vôtis* :

Crimi-

Criminis huc ultrix, huc huc Rhamnusia tangas ;
Nunc, ô Summe tona per totum Stator Olympum,
Intendisce manus, vindictæ spicula parato,
Nimbosisque pluvas super omnem nubibus orbem,
Hæc factura dies, nullus quod supprimer unquam,
Defecrabo Deos, & cuncta furore glabrabo.

Tutelares ego istos ita fatigabam , nihilque propius factum est,
vel ad hanc hæresin supremò delabâssem,

Ergo ego si *Superos* nequeo vos flectere lessu;
Ferales furias ad mea vota traham :
Ni fiam precibus compos, furiabo *Vedios*,
Pristina falcigeri vincla levabo *Senis* ;
Immiscebo diem nocti, fulcimine rupto
Fulgidus infernis flabitur axis aquis.
Vel si nondum magna fatis fulgetra putentur
Sedibus Elysiis, voce ciebo Styga,
Atque chaos cæcum, tetræ caliginis *Umbras*,
Æticolæ Erebi, Tartaræque specûs.

Id est, extremum tentabo vadum, unusquoslibet prorsus deprecabor & sollicitabo, quicumque aliquando nostræ Magiæ, re, opere, aut scriptis, suffragati sunt,

Ægyptios, Græcos, Arabes, Chaldæos, Latinos,
Lombardos, Boëmos, Slavos, Borossos, Polonos,
Germanos, Gallos, Italos, Hispanos, & Anglos:
Omnem omnino gentem, omnemque omnino loquelam,
Quo me cunque feret, spes, iracundia, moeror,
Huc errore vehar, committam fluctibus alvum,
Mens ubi cæcultat, supremum est fidere casu ;
Antè mihi, *antè* oculi langvescent morte myôpes,
Córque prius voto vacuum spirabit amoris,
Quàm fuero justam nactus pro crimine pœnam,
Cunctorumque fidem postremâ comprecser horâ.

Usqueadeò videlicet arbitrabar prodesse & expedire Minoribus hanc Themista semel palam prodere, atque è medio exploforum (modò tamen unquam integrè est, densissimis immersa nubibus, tot votis cooptatam lucem visura) detondere:

Vix ita quæstus eram, feriebat jam atria clangor,
Audierant lamenta *Magi*, secúmque volutant,
Diversis animis stantes, quo talia digna
Supplicio, quæque in tales vindicta maneret;
Candida suspensis tandem sententia fedit.

S. 4.

HAs inquam & sic *inferias faciebam* ego, cùm repentinè indormiscere coepi, nullâ tamen mandragorâ, aut potiunculâ somnificâ prælibatâ, & mansuetior me, quàm solebat, lethargus corripuit, cujusmodi penè dilassos, & maximopere tristabundos insoporare consuevit;

Nam jam vesper erat, penitúsque micamine merso,
Dempserat alatis jam juga Phœbus equis.

Et illuni cuncta caligine opacabantur, tesquísque & vicis threnosa umbræ vicissitudo interminabatur, armenta cum jumentis strabant, equi passim & juvenci, quos perpeffi sudores, blandâ quiete, gratóque sopore permutare anhelabant, atque adempta avibus vox, torrentibus rhonchus, vento tussedo, frondibus floribúsque colorum luxus erat;

Túmque diu curis animum mordacibus ustus,
Labimur in somnos, vix toto corde quiëram,
Cernimus en *miras* alludere protinus Umbras,
Sublustrés oculis, strepitantes tempora circum;
Paulatim molitur cœlum, & redit oceano lux,
Hora venit, vitreâ quâ primùm terra pruinâ
Candicat, ac tectæ cantillant fronde volúcrés.

Differ-

Distertui, & ocelli sanè mei ita lemâ obsepti erant, ut ægerrimè videre possem, nec fatis, quâ ambage actus, scio, salebrosâ & incultâ collium, aspretorûmque barbarie circumventus eram, ac fuerat is somnus equidem diutinus, & (uti apparebat) medium me quasi vivum mortuûmque interæquilibrans, redditûsque sum, beneficio dulcis illius exigui temporis mortis, tantillò hilarior, & spe meliorum longè ditior, mihi enim tunc (quantum per mentem memini)

Visus eram *pullâ* recubans Hermetis in *umbra*,

Quâ fluit *æterni* vena *liquoris* aquæ,

In illum inquam locum, per viam mirabilem, esse deductus & transportatus, quem poëtæ ac prophetæ pingunt finguntque Elysium:

Elysias visus foelix transmissus ad oras,

Quò animæ piorum, & vel maximè Mystrarum, post corporei vinculi solutionem, per viam Jaspideam dictam deveniunt, quâ Aborigines nostri incessère, nam *hæc* illis est iter,

Hæc via scintillans, sublustri nocte relecta,

Innumeris nitido cœlo rutilissima stellis,

Sapphirina cluet, sat cognita frondibus ipsis,

Manibus hæc iter est felicis ad arva palatI,

Secretûmque thronum, noctûque diûque piorum

Succensis Geniûm facibus celebrantur hypæthræ;

Hic siquidem *locus* est, quem, si des jura poësi,

Haud timeam sedes Divûm dixisse Senatûs.

In corporéne, utrûm extra corpus, ambigo, *Deus novit*, sive insomniûm illud fuerit, sive reciprocatio rerum vera, *miserè* cum *larvis* *luctabar*,

Mira vagabantur passim per compita spectra,

Somnia cessârunt, si dicere *somnia* possim;

Oculos neque feciûs eò meos versus *lucidum* illum *mundum* convertentem, memini (ni somniem adhuc) orâsse me,

Ah gratante tibi persolvo pectore iusta,
 Altissime arbiter, & Universipotens Deus! qui non respicisti au-
 ribus vota cordis mei, quod ego indignus, priusquam oppetam,
 videre dignor interangelos pernices, fautoresque fideles, qui ad
 Elysiarcham, & ejusdem patritios perferant fletus, quæstusque
 meos, ac indidem referant adjumenti, solamentique copiam;
 si qua fortè spes, adjutoriûmve supersit, seu ludibria ista plusquam
Momica diluendi, seu (quod malo, & precari ferè soleo) ipsos oso-
 res, obtreptatoresque penitiùs pudefaciendi,

O Pater, ô rerum Princeps, ô maxime noctis
 Arbiter, umbrarûmque *comes*! cui noster anhelat
 Spiritus, unversis quo portus & ordia *dantur*,
 Nascendique vices alternâ sorte *novantur*;
 Qui tenebris, lucique suas præscribis habenas,
 Et vitam cum morte tenes, terrâmq; gubernas:
 Materies quoniam quidquid progignit ubique,
 Quidquid ubique creat, te proritante, vigescit,
 Debemurque tibi, seu concedamus in auram,
 Luridulo vultu seu desolemus eandem.

§. 5.

HÆc ita super exobsecrandum, primo quidem obtutu, neque
 longam adeò viam emenso, cum ecce cominissimè, nubiva-
 gæ instar turris, ante oculos oboritur ipsissimum Indigitum no-
 strorum commoraculum, regificâ fabricâ, atque ornatâ elegantia
 exstructissimum; continuò autem, inter raviendum, pendulus pro-
 micat torris, & patulicant valvarum pondera, conspicorque quos-
 vis secessus, penetralia omnia: atqui, ô bonum Numen!

Summa Deum pietas, cujus carissima cœlo
 Rara prophanatas inspicant lumina terras!

Quantus ibi micatus, nictatus, nutatus, & promiscua Amyclæitate
 Pythagoræitas, ac Harpocrataëitas!

Per-

Percussus modicum nihilominus accelerabam ,
 Ipsa sed ut veni velaria versus averni ,
 Visa mihi morsæ delugubris Artis imago ,
 Ningida , diradians , totoque gravissima vultu ,
 Aurigerâ *nigros* Vertumnans fronte *colores* ,
 Cæsariæ pictâ , pavique adstare figurâ ,
 Et loquier permista metu , spe pistâque fari ;
 Ulterius tentare nefas , instare negatum :
 Huc etenim tantum usque licet , mortale faceßas ,
 Est aliqua prodire tenus , ne gry datur ultrâ.

Porroautem visui illic secundo tale obscoenabat ostentum , cui nullum (ne adumbratiliter quidem) à quopiam ullorum monstrificidarum descriptum portentum exæquare queo : namque caput habebat septangulare , recalvum , broncum , carie scabiëque exesum ac exustum , incurvum , urvum , acuminatum , alumina- tum , Vultus ad umbilicum usque decidebat , munitus mento , potuissimus ungulas vitulinas superdecutere . Nasus erat resimus , aquilinus , uncinatus , proboscidis instar elephanti . Os bucculentum , retrorsum , obliquum , distortum , viperinum . Dentes aprini , prominentes , prælongi , sicut stipites illi dealbatitii , quibus lintea , quando albescunt insolando , solemus sinuare . Oculi Cyclopici , picini . Aures onagrinx , pendulæ , obsurdæ . Collum coactum , coccyginum , picis instar olorinum . Barba , bætica , hircina , pedalis ,

Squalida , linaris , setosis sentibu' senta .

Nares recurvæ , virosæ , accipitrinx , spirantes mephitim , halantes asphaltum , odorantes Amsanctum . Facies varosa , cadaverosa , verrucosa , planè Æsopica , Therisitica , Marcolphica , sphærica in morem venatici canis , Cutis cariosa , scabra , Corpus denique totum horricome , seminece , crenis , compaginëque crassâ , ac capillis Crocodilinis sylvestre :

Monstrum barbutum , hircosum , pexum , paricidum .

Et

Et viden' ? aspectu dum palor, pérque fenestras
Rure sub aperto, secretim torqueo visum ;

Ex voto jam tum juxtà aciem conjicere mihi visus sum, in unam,
inter multas omnium istorum Fugillatorum, vicinam umbram
spectabilem, toto vultu ac cultu nimicquàm notabilem, antèque
reliquas urbaniores ;

Quarum, quæ mihi conspectu vicinior, una
Visa loqui, proh ! carpe pedes, quin ponè secutor
Te lateri defige meo, quid flebile terris
Obtigit ? aut noxæ passus ? quòd plurima volvas
Anxius ? audacter nostris committe querelas
Auribus, hæc rebus, stipulor, votisque medelam
Allatura dies, *almum* tibi largiar *Orcum*,
Omnia condisces in quo mysteria mundi,
Hæc responsa canit, dextro stupefactus inescor
Omne, fortunæque gradu prælagia sensi :

Deitatis enim scrupulum, moxque reverentiam mihi incutiebat,
omne quidem tibiale, laxum, peronatos pedes humaniter humus
suspendebat, mundà ac oblongà corrugatà canusinà corpus con-
velabatur, & colligati crines hinc latam atque lævigatam frontis
planitiem, illinc detectas aurículas & scapulas oculatas cum col-
lo seminudas obumbrabant veriùs, quàm inumbrabant, adeó-
que sic canusinata, baxeata, petasata, sculponeata, corrigiata,
repræsentabat peregrinum, succinctum, accinctum, jam endo-
procinctu, ac velut instructum itare & reditare, libellare meum
postulatum in se suscipere, pérque depictam viam Smaragdinam
ad Elysiocolas illos Adeptos eodem defungi, Rogo te verò, vi-
debar ego interrogare, indica mihi sodes semel, cujatis, déve
quà *domo*, aut *tribu* es tu, supernas, infernásne ? & eccum, e-
tiam inter sciscitandum, continuò

Qui pede, Mercurium, pennato transit abyssos,

Si

Si probè audiui & rememoror) cætera errantium ac oberrantium cæterva Umbrarum vocabat.

§. 6.

Cui Cerdoo nōmini quia Gentilium auguria & vaticinia vim fermocinandi rectèque loquendi vindicant, ut qui primus literas enarrâset: Unde Athenis jam olim in quadam porticu, ubi inter cætera Deorum templa, etiam gymnasium, quod Mercurii nuncupabant, fuit, is enim, artibus à se inventis, summo studio alios imbuisse traditur, ut ad posteros propagarentur, & non ad Inferos tantum mortuorum animas deducere, ac Charonti transferendas offerre, sed & imò maximè inter Superos versari, Divumque interpres esse;

Fertur Atlantiades magni Jovis atque Deorum
Nuncius, augustusque *sacræ gymnasta palæstræ*,
Commune infernis, superisque existere Numen;
Qui fas obtineat solus per limen utrumque,
Cunctaque consummet gemino commercia mundo;
Ipse pias *lætas* animas traducit ad *oras*,
Auratèque levem constringit vimine turbam,
Principibus cœli, cæcique acceptus averni:
Ipse parens, cultusque lyræ sobrinus Atlantis,
Chironomo quidquid perdoctus condere furto,
Rusticulòs gestus hominum sermone revulsit;
Ipso informatore cato, vafròque magistro,
Nobilis Amphion Thebanæ conditor urbis,
Hircanas potuit tigres, comitésque lænas
Ducere cum sylvis, celeres rivòsque morari,
Et mulcere chely custodem Ditis acerræ,
Ejus ut armarent centeni bregma colubri,
Teter & ore putor, tabum, saniésque mearet,
Intègra cum rigidis inflectens montibus arva,
Aoniàque lyrà scopulos lapidésque focillans,
Dimovit resonà vastas testudine cautes.

Cùm itaque *caterò* scirem, eum viandi minimè insuetum:

D d

Nam-

Namque nec Alcides tantum telluris obivit,
 Emensus patuli gressibus Orbis iter:
 Hesperidum quamvis decerpserit Aurea mala,
 Et Diomedis equos, Geryonisque boves.
 Nec juga pampineis qui victor flectit habenis,
 De varo Nisæ vertice tigras agens;

Ac facilem seriis ponderosis adstipulari (ex ejus scilicet jam dudum ad Ægyptios legum literarumque missione) Atque præterea nomen ipsum, inter faustissima gentilitatis omina, & quæ feliciorem exitum promittunt, supputandum esse annotarent Ecclesiæ Doctores (æquè quàm faustum reputatur in omnes, qui se ad nundinas, negotiationes & contractus convertunt, quàm quàm tenebrarchæ diabolo, ejusque satellitibus prorsus ingratum; Nam hujus nominis die, qui quartus extitit à creatione mundi, fecit Deus duo luminaria magna, *luminare* majus, quod præesset diei, & *luminare* minus, quod præesset nocti stellisque, propterea propperimum, & optimi ominis statui posse autumabam ego, quo sol, luna, stellæ, producta dicuntur, quæ totius gaudii lætitiæque, tam metallorum & lapidum, quàm fructuum sunt exordia) credidi illum Tryphonem opportunissimum fore, negotiorum hujus *sacræ apertæque Artis* adeopere collutulatæ, ad *Patronos* illos *Ambrosios* paracletum. Non quidem clam me erat, omnilingvem illum *metricum Merlinum*, toto solis ambitu celeberrimum, potissimè ab illa sua nupera in Undiqueopacum Orbem peregrinatione, felicique ex eodem reditu, alteram in eadem Acherusia Ditis regna profectionem meditari:

Nam pede pernici quas non sit ille cavernas?

Et erat mediusfidius vir ille maximè gloriøs ac curius, dignus plurimis planè parasangis, qui inter Romuli trecentos celeres annumeretur, coràmque Laribus stet; Verùm enimverò quia Merlinum illum, propter monstrificam & semimonychicam corporis sui compagem, non ita satis fortassis Druidæ nostri nōrant, atque insu-

insuper homines graves & industrii parum laudarent, quòd lepidulus, nimiooperéque Plautinus, etiam in rebus feriis ut plurimum sit, miniméque idoneum istum (cui de tantis, támque momentosis fides haberetur) juxta illiscum judicarem ego, renui ejus copiam implorare, alium melioris fiduciæ, notiorisque religionis cogitans, Atheniensium instar, qui res magnas à stulticulo inventas, non ab ipso promulgari, sed ab Aristide meritò voluerunt.

Et oblustrabatur istic ante oculos Apuleius ille Madaurensis, typus *Magica* nostræ *Mimicæque* Artis, vir curacissimus, & cui à disciplina, quam Athenis addidit ac professus, Platonici cognomen inditum est, cui tutò certè tabellæ meæ ad Silentes Umbras illas, & ediversò Umbrarum ad me Mortalem subdelegari possent, homini in jure videlicet versatissimo, suisque semper, & publicæ utilitati fidelissimo, studioso, & in negotiis pertractandis, vel arcanis, cum primis exercitatissimo, ut qui (Carthagini prius pueritiâ imbutâ studiis, ac Athenis juventute) postea Romam se contulit, ubi propter singularem prudentiam, & judicium peracre, honores summos sine repulsa est adeptus, quem item monumenta scriptorum ipsiusmet manûs testantur, reversionis suæ ex Undique umbroso Mundo signa dare posse evidentissima, ideóque similiter hunc, ob vitæ integritatem specialémque sanctimoniam, in provinciâ Africâ, ad sacerdotium evectum fuisse subscribit sanctus Augustinus; Sed quia haud fatis sciebam, an is etiam omnino sodalitiò Eudæmonum istorum à dextris foret insertus, fortassè denuntiatus abs Rhadamantho,

Tendere lævorsum proscriptum versùs acervum;

Præcipuè propter abominabilem illam nefandissimamque, quâ in vita graviter insimulatus, maculam; nigrarum nimirum artium, quibus sibi & Pudentillam uxorem viduam in amorem sui pellexisset, & proprium privignum suum Pontianum è medio sustulisset; pernecessarium verò erat, in ipsas Mardonii nostri manus, aculeatarum lingvarum tabellas tradi, & res meæ moram longam non

Dd 2

patie-

patiebantur, etiam ab hoc internuncio, alioquin dignissimo & huc facile aptissimo, defeci.

S. 7.

Hic ergo cū diu instuperem, imoque corde indolerem, & spiritus longos traherem, crebriusque repeterem illud, *nun- quis hic ibit nobis?*

Ecquid agam? tentabo suppetientur Erynnēs?

Ultricesve manus in mea membra feram?

Visus est mihi Mercurius ille jam dictus dextram suapte sponte præsentare, tam mei, Themidósque sacræ intantum deauthoratæ commiseratione, quàm sugillatorum invisorumque istorum retaliationē; Quandoquidem itaque is adeò liberaliter ac ultroneus operam offerebat, & titulum tam boni ominis præseferbat,

(Utpote portensum quo nil foelicius unquam,

Nec quidquam suppar reputatum, sive secundum)

Ac, in quo totius rei cardo vertitur, jam jam ad eos, qui se destinarent, renandi instare tempus inquebat, pluribus longinquum quæsitis, cum appronatione, & obsequio quanto potui maximo, delegavi illi sycphantias istas & satyristarum fannas, ad Adeptorum Coryphæum curriculò transportandas,

Defer nunc igitur sic hæc, & nuncius ito

Philomago Summo, illi mea probra, cavilla,

Oraque perpeffi virus narrare memento;

Succlamato tantummodo (præut reminiscor) commendatitio verbo, ad Hermetem inquam Trismosynum, propterea principaliter, quòd mysticā quādam pronitate, ac fato (ut sic dicam) corripiar, ad Archisynagogum illum observandum, expectemque ab ipso effectum iri enixius, quæ lito, citò credo, & spero;

Ibis ad *Elysios* properanter epistola *campos*,

Has perlata vias, isticque retradita, cuncti

Cum turbante Chori statim relinere stupore:

Nutabunt quoniam mentes persæpè fricantes,

Unde

Unde, & quid venias ignari, quidque subumbret,
 Qnòd sibi *mortali* proventent *Orbe* tabellæ:
 Mordacis sedenim tu conscia, pandâque caussæ,
 Singula patritiè primò de more serenans,
 Pòst tua denarrans contenta exordinè, fulvo
 Aulâi in medio filo figère tuenda.

Tradidi, inquam, ita ergo Mercurio totum apographium & far-
 cinulam satyricorum fillorum ad Præteritos homotechnos tem-
 porissimè perferendam, *inanem* illam quidem mole, verùm rerum
 pondere *immanem*, non quòd rerer (de quorundam iudicio)

Haud ullos Lemures, & subterranea regna,

Lingentùm Lethen hominum Manésque vagantes,
 Minimè gentium, sunt enim isti, sanè sunt, & esse ipsos certus
 sum supernè instructus, sed ut vel hoc zelo meo tanto, tàmque
 anxio injuriæ obsistendi, justitiæque assistendi, magis magisque
 miserescerent & succurrerent; *Dii conantibus favorabiles*,

Pressatur timidos, *fortes fortuna* veretur.

Ac barbarè quidem videbar omnia tradestinâsse, cùm ut meliùs
 caperet Protosophus dentata illa acidarum lingvarum convitia, to-
 tique éadem Senatui legerentur, isto idiomate, quo Aurea Ma-
 gia maximè militat, tum & ut pari simul manu clamarent omnes,
 quid huc inprimis opus fiat, & conclusa, seu placita sua singula,
 Philomagi illi Majores ad Philomagos Minores, mortui ad mor-
 tales, itidem nunc transcribere Romanè ne gravarentur, quampri-
 mùm Æthalides meus, auxiliarius administratoriùsque ille spiri-
 tus, propter eos, qui quæsierunt verba utilia, & conscripserunt
 sermones rectissimos, ac veritate plenissimos, reditum tentaret,
 ex illo fortunatarum Insularum palladio, in Orbem nostrum, per
 semitam Sapphirinam, quâ consuevère nuncii istiusmodi codicil-
 lorum itare & reditare. Sannæ igitur, oscitationes ac *sales*, obli-
 quorum istorum incilatorum, in filios Sapientiæ erant *tales*.

Prototypon jactorum nasorum, cum libellis Magiomastigum professoribus ejus sycophantium & subsannantium.

§. 8.

AUripetæ, Auriperdæ Alchymistæ, Carboniteri, Caminicolæ, in valle Veneris Artem se suam nactus jactant; unde minimum saltem, quod sciunt, cæterorum, constructio Lapidis chrysopœi est; solo contactu omnia instar Midæ in aurum transiunt, fulvas circumgerunt fodinas fermento indeficienti propagabiles, sed ventrinæ; nam totam suam substantiam tabificant, abs re, hiantes semper ore, cum Tantalo

Tantalicos hortos, & poma fugacia captant;
Fraus est atque jocus depictus pluribus umbris,
Arcta nimis præbent olidæ convivia Capræ;
Cornibus horum *unus* taurum retinere videtur;
Alter mulgere, & cribrum supponere *ternus*,
Quidquid habebat opum, quidquid mercedis, ubi omne
Verterat in fumum & cineres, non herculè miror,
Aiebat, siqui peragunt malè, cùm sit *hiulcâ*,
Nil pejus *Stygiâ*, nil Arte malignius *istâ*,
Expendisce semel, nunquid pulcherrima visu?
O sanctos synetos! quibus hæc arcana patecant:
Hem rem ridiculam, Cato, præcrassèque jocosam,
Auribus & condignam splene, tuoque cachinno!
Quidquid agas, depinge *Cato* carbone *Catullum*,
Deprendi modò Solisequum de nocte popellum;
Murva Midæ, scimus, prodibant quælibet offæ,
Obstreperæ sedenim hæc vespæ plerumque cicadis,
Est quibus in solo mammonâ caussa salutis,
Quælibet in merdam transmutant ventris oletum,

Co-

Colore quidem, uti apparet, semper eodem, at odore valdè diverso,

Præclaros fanè parasitastros medicinæ,

Omni perpetuò pede eundem induentes calceum!

Hanc quis Japetides, quis amabò prodidit Artem,

Unde nova ingressus nequam experientia cepit?

O utinam mihi eveniant ea, quæ sunt inter Sicyonem atque Corinthum! nihilofecius est hæc una quorumvis vox, hoc unà cuncti *crepitant* & *strepitant*, hectas has omnes omnino oscitant,

Mordicus hæc illis natura est omnibus una;

At quotquot sunt, facularii, holophantæ, adulteratores; nemo namque prodit testaturus, nisi vulpes, nemo qui non idem usque relaturus, quòd hæc curia nimirum suis tantum veræ sapientiæ alumnis pateat, reliquis autem singulis clausa sit, Attici profectò Elufina, absque rivali amasci!

Frivola scilicet existunt & inania solùm

Somnia, non quodcunque putamus, id evenit omne,

Quis enim nescit? universis istis thrasonibus ad triarios, *restimque rem redire*, singulos Isthmum perfodere, fluctuare, ac circumferri quovis vento; & experientiâ docente, omnes naufragos, maledici, fastidiri, ejici, proscribi, *candâque publicè trahi*, realitate metamorphoseos metallorum ab ipsis ita distante,

Sicuti flamma mari differt, & sidera terrâ.

§. 9.

B Alatrones, Bardocuculliferi Banausistæ, Nudipodices, Nugigeruli, Marsupioræ, Numionores, miscellaneis suis fucosisque tincturis & holpotrullis duorum impensum inesse, ubique falso cum fastu asseverant, prodigiosis contendentes viribus pellerè metallica et mineralia corpora, ex iis arte se suâ superrarâ (Aquila enim non captat muscas) effingere Magolithum, seu

seu Pulvisculum illum Aurificum, cujus projectu, omnia inferiora metalla ocysimè in aurum perfectissimum purissimúmque commigrent; delenifica sanè ac defricata dicta! sed palæpaphia papyrus, ut faciliè vulpes pyrum comest!

Illius in pelagus tantillula mica soluta,
Integer *argento* si *vivo* Nereus irer,
Amplivagum totum mare vertere posset in aurum;

O cornu Castalium, anilésque liras, nugas & curas pueriles! istud incredibile, etiamsi mihi proconcionetur Cato; vah gulones, fallacones! hem hyperbolem, hyperbolis herclè poëtarum omnium hyperboliorem!

O operas hominum stultas, ô falsa cerèbra!
Quòd cuivis Croesi pollicitentur opes;
Sed quantum fatuis mendaces flantibus umbras
Fallacis *Lapidis dilapidatur opum*!

C Ampivagi Ciniflones Chymistæ, Fumivendi, Fucifici, Fuliginivori, in aqua hærent, & in aëre piscantur, sive cælum jaculantur, æternósque cum Prisciano ac Ælio animi æstus perferunt, perdii enim & pernoctes occupantur ac delassantur, *ab asino lanam, Atlas cælum*, quatenus scilicet sciant, qui sint apud inferos *terniones*, atqui miserè singuli falluntur & fallunt, fabulantur, fatuantur, proh hosannam!

Non mihi mille licèt sint oraque, milléque lingvæ,
Omnes illorum potero distingvere gerras,
O pater Omnipotens! ita me custodiat Argus:

Hinc sunt mystici illi Theomagi, fratresque *Rosacea crucis*? quid cani ac balneo? qualem porrò theomagiam excolant hi, qui montes montibus agglomerant, ut te ex Olympo deturbent? qualia quærò scitentur *mysteria*, qui *ferias* verius vestigant! oleum adde camino,

Qua-

Quales vos estis socii, stat morio testis,
Scit meus intonsus genitor, rudis omnibus horis,
Paucillis frustis & pultis alumnus ofellæ,
Cujus haræ sitis *Mysæ*, qualésque *Theïstæ*.

DEblaterones, Defraudatores, Dædalistæ, scurræ, strativoli, sufflo-
nes, solis suis discursibus bullaris & loquutuleis, Cræso ip-
so sunt ditiores, re ipsâ autem Iro pauperiores, aurifodinas Indi-
cas omnes habent domi, cum tamen vel eorum quilibet animam
propemodum cogatur præ paupertate divendere, atque ita nihil
habentes, quovis Liberide glabriores sunt, extremam enim verò
inopiam & calamitatem deplorandam, sed ô fraudes, præstigiâs-
que potius intolerabiles!

Optat equus stivam, piger optat ephippia taurus,
Quam scit quisque lubens, sodes, exerceat artem.

ERrones, Æruscatores, Epicuristæ, Deambulones, Decoctores,
Delinitores, induunt Charetem, agunt Antigonom Macedo-
num regem, dictum *Dofonem*, hoc est, *daturum*, eo quòd perpetuò
morologi isti, verbis solummodo dogmatibusque ampullosis, equas
Thessalicas, ac *aureos montes* promittant, & in veritate, *mira de len-
te, de fumo*: nam titulo tenus tantummodo sunt speciosi, pyxides
vacuæ, & equi imbelles bene phalerati, hic Rhodus, hic saltus,

Detrito tandem cum votis tempore vitæ,
Vanida consumptisque suis in flamina nummis,
Istud adinveni veri, *scio nil, habeo nil*.

FUmivenduli, Focicolæ, Furnistæ, Lirilogi, Legirupæ, Loculi-
seccæ, Pygmæorum Acrothinia Colossa adaptantes, inutili ac
futili labore defatigantur, de quibus non infaecte insanire pos-
sumus.

Quærunt difficiles habere nugas,
Nam stultus labor est ineptiarum.

Ee

Capra

Capra nondum semel peperit, cum illis hœdus omnino ludat in tectis, vah Azanæa mala! hem ut ignicanes, curvipedes, pediculique Platonis confragum ac asperum iter tenent! quàm est omnis illorum infructuosa vigilandi vita! ut nullum movent sine certo præcipitii periculo pedem!

G Errones, Gloriatore, Gryphosophistæ, stultiloqui, studiifugæ, sulphuripotæ, omnis tersioris locutionis ignari, doctrinâ clarere se venditant tam excellenti & egregiâ, ut in minimo ne quidem (suo suasu) cedere teneantur Veteribus, Mysticos Theomagos, tametsi vel nunquam viderint, adeo exactè callent, ut, quamvis ignominiosi idiotæ, asini, sues, pieæ, & epocæ, cum emeritis tamen Minervis, Lusciniiis, ac cygnis, certare & decernere illos non dispudeat: tot enim methodos, tot indies mirabunda, tot denique dogmatizant nova, inaudita, inusitata, antiquitatem ipsam (cujus custodes se volunt vocari) ut obscurare videantur; Reconditoris, elegantiorisque notæ authores (vix ubi verbum, aut alterum citra hallucinationem Romanè sciant sonare) non lectos examussim statim intelligunt; à solo archinugistâ Paracelfo, præstigiatore, impostore, agyrta, jatrâleptæ, plicaturarum principe, ænigmatum artifice, *pale solique* odio, edocti;

Carmine si *prurit* Bavius, non Mevius *urit*,

Sponsi Penelopes nebulones, Alcinoïque.

§ 10.

H Elleborosi, Heterodidascali Hermistæ, Gannitores, Grassatores, Gesticulatores, diffractâ, quâ Cosmarcha illos confringebat, cathenâ, singuli se ad lautum Orbis latus receperunt, ut homines, mille strophis & artificiis, argento furo attondeant; horum plerâque pars *hermas menses*, lacque gallinaceum, seu *equum Scianum* possident, aut gallos excæcando de arena funiculos necrunt, seu calvum vellunt, Lapidemque Sapientium odorando, desipientium perpetuò offendunt. Insequuntur hos vulgivagi, qui braccas & bursam, ut cribrum, discuneatas habent. Alii uxores

res

res suas, filios, focos, filias ac aras, jucundâque patriæ desertârunt arva sapientiæ ob otium.

Nonnemines etiam quasi voluntariè pauperes sunt, quòd nuli aliquid accipere possint, vel quòd nemo eis quidquam dare velit. *plurimi* item origine Comites, Barones, & Hercës, qui, quò natalibus clariores, cò quoque semper scientiores: nec defunt, qui Saraceni, qui Judæi cluunt baptizati, abaptizatis utcunque versutiores, qui videlicet per Kabalam didicerunt, Mercurium multifariò mortificare, redivificare, irredivificare, similiterq; omnia aconita millemodè præparare, ut ad omnes morbos, & infinitas numero accidentias conducant; linguam Hebræicam artium omnium primordia, & impenfa secretissimâque rerum publicarum reservare mysteria, sèque eventurorum prænotitiæ afflatos coarguunt: frequenter suos recitant Rabbinos, Talmud, nablûmque Nabolohu cum sacello Salomonis, hinc nihil minùs futura, quàm præterita ac præsentia loqui valent, hem scopas dissolutas, mentésque Abderiticas!

Sunt denique, qui religiones solemnizant, cucullos monachales portant, nudipedésque oppidantes, eremitam, hypocrisi celatâ, simulant, quibus Deus velut parvulis secreta sua revelavit, O oves habitu, at actu vulpes, hem panagæas Dianas! vah ulmitribas subrostrariósque! nunquando verò vespera forsan illorum scepticorum, lychnobiorumque Laronum, è flamma cibum petentium, tandem semel adveniet? quorum princeps archialchymista cacodæmon est, antistitor noctis, qui semper per fumos nidet; archibeanus enim tantummodo cum beanis desaltat, calcus cababat calcam;

Pocula fer tecum, si vis accumbere mecum,

Pingve coronati caput opsonabor aselli,

Quod comedent compti Phlegethontis Ditis alumni.

IMplanatores, Iactatores, Icaristæ, Ollisequi, Otiivestigæ, Orbiperduæ, eodem gruantes gypso quosvis inficiunt:

E c 2

Omni-

Omnibus idem habitus, longi impexique capilli,
 Atque hodie solum propter bellaria pexi,
 Est pastoris hic hirti filius, ille bubulci.

Nunquam plures in manu habent, quàm unicam, chirothecas, folliculus utcunque ab uno ægriter latere dependet, quem statim non, uti mos, quando domo egrediuntur, admovent, sed postquam jam aliquot stadia spatii sunt, continuo interim super varicandum, ungues arrodunt, in se ipsis sibilantes, bombilantes, Lapidicinantes, ô blaces ac Phæaces, phanaticosque homines! Visuntur porro hujusmodi sæpiculè *aurisoffores*, inquam *auriprofligatores*, subuculâ retro, insigniter tyrio colore tinctili, ad sesqui largè ulnam, extra braccam pendente;

Ni credas, tibi non juro, quia vidimus istud,
 Sic tamen interdum statuo contingere posse.

K Alones, Kepphi, Kabalistæ, Ludiones, latebricolæ, lirivenduli, pennis pavonis conspicui, corniculæ plumis alienis ridiculæ, jugeratim gregatimque volant, ut grues, suatim vorant, ut fues, ritu simiarum, petulcis & insulsis motibus, saltibusque rusticulis, vitulantur, gesticulantur: canum etiam instar, ipso claro, omnem postem permingunt, & angulum permerdant, belli profecto Diogenis Cynici imitatores, ô mores ovilli, ô Arcadicos, vah mimos, scombros!

Hem Samii *mores*, ô res, ô pectora *mora*!
 Tunc ego vectabor phalerato sæpè caballo,
 Quotidièque traham genialem nectare vitam,
 Res pulchra, anne futura diebus congrua Regum?
 Quolibet aurisonâ proficisci posse crumenâ,
 Fingere nunc Cræsum, nunc dementirier Irum,
 Formosâque subinde sinu tractare corinnam?
 Sed dolor, in lecto vos omnes Artis habere,
 Ejusdemque domi non ullas esse columbas,
 Est asinus testis, quales vos Arcades estis,

Con-

Concludo, quia sum petulanti splene Cachinno,
Sed cum similibus institoribus forio in porta.

§. II.

HEm aculeatarum lingvarum plaustra ! vah titulos famosos,
falsos ac falsos, proh sycphantias, & miſterismis, & sarcas-
mis, totâque rabiendi lasciviâ, bibestias, tribarbaras!

Litoribus conclusa vagis *audite* profunda,
Has, quocunque recessistis Dii, *haurite* cavillas:
Audite inferni, *audite* Umbræ, *audite* charybdes,
Nóxque, gravis phlegethontæis & nubibus atris,
Vocibus auscultato meis, verbisque vacato;

Ecquis enim, syncerus Philomagicæ veritatis Scholastes, istos non
objurgitet obstrigillatores? non hæc sibi sugillamina immanis-
simo probro ducat? ejusmodi pasquillos ac cavillos ad certamen
non provocet? cujus inquam hæc profundum penitissimo animo
vulnus non infligant joca? non possum, equidem non potero,
non clarigare, sive paludamentum & chirothecam (ut dicitur)
non mittere, inque campum cum illis effrontibus conscissoribus
descendere;

Nescit inusta semel generosa quiescere virtus,
Ne gry iusta quidem causa timere potest:
Ibo, ibo, staboque feris ego solus in armis,
Ensis & mediis fossile bregma dabo.

Ne quis itaque, inauguratâ me solum palæstrâ animosum esse, exi-
stimet,

Duntaxatque domi, galli de more, crepacem,

Ego, etiam inermis, istos incitatores, omnium orbiculûm
facile extimus, in suo sporum æquore exoptulo, secumque
in Tullianâ, aut Ovidianâ, inquam in veteri, reconditave
Philosophorum planitie conflictari, nequidquam extimesco

Ee 3

solus,

solus, sed verò super flagitiosis pipulis, & rhonchis illis, quibus me, doctrinæque clientes arroserunt (cùm aliud nil præstare possint) parum erunt habituri responsi, hæc namque nihil, nihil videlicet *veritatis vestem* disrarant, hæc Orchestrarios, virósque graves prorsus dedecent, quos nimirum menti, seu sententiæ suæ oblustantes, demonstrationum itu obequitare oportet, non blattientium pomariarum ritu acclamare, aut furientium rictu canum allatrare; Quapropter, ut ne insultatio tanta transeat irretaliata, calamomachus fiam, fissipedemque prehendam in eos, quos non depuduit, nos nasus conscindere modò, cæterum & eos, eorumque lacerare lacernam, quorum torum consistit molimen, circa reconditam hujus Artis verimoniam eruendam: ipsis Præsentibus obgrunnire nemo visus est, jam incilantur Abièntes: Macti igitur, *palæstræ strenuissimi*, insurgite remis, contrastemus, ne caculæ isti protervi, syllabo adaucti, si non jure, saltem injurià, festivissimas filias, pariter cum earum matribus festis, ac univiris mœstis, devenustare pergant;

Parvas ecce manus armatis offero turmis,
 Ira dabit vires Herois ad Hæctoris oras:
Ad simplex Hermetis *Opus*, summosque labores,
 Planitiem de more ducis primanus inibo,
 Audaces primusque gradus in pulvere ponam:
 Debet enim talis generosus Promachus esse,
 Córque ejus, nudà qui nempe volutus arenà
 Excubat, atque omni fortunam provocat horà;
 Ultimus & primus stragémque aciésque ciere,
Primus inire manus, *imus* deponere Martem.

Equidem hoc insectari gestio, cùmque Orthomagix tutari causam cœperim, utrâque sum digladiaturus manu, lævâ quidem fillographos istos profligaturus. dextrâ verò artifices ejus ad raram clarâque semitam perducturus,

Nunc

Nunc igitur standum ventis, quærendus & hostis,
Continuóque novis arma gerenda viris.

§. 12.

AUdacissima arborum Amygdalus, ut quæ, ob ipsos brumæ vix elapsæ oculos, possessionem veris velut arripiens, protrudit flores suos, nihil verita inclementiam temporis, & quando arbores reliquæque plantæ, aëris asperitates ac injurias pertimescentes, colores suos providè inclusos tenent, illa ceu nihilum sollicita de periculis, sed metum omnem dedignata, gemmas suas laxat & profert flores; Hoc est, hoc, ad quod se gnævum principem componere decet, ut videlicet sit *primus & imus*, qui contemptis sudoribus, proculcatisque omnibus incommodis, necessitatibus clientum occurrat, ardui namque facinoris Auspex, amygdalorum æmulus, non apum imitator esse debet; Cæterum, ad joculatores illos lepidè redexcachinnandos, nihil oportunius unquam allegari posse puto fabulâ istâ, cujus narratio perceptu haud infaceta, hanc sic ergo obiter hîc, & velut sub cursu collectam, quæsò dispicite semel;

Antiquorum autographum est, evocatas in prælium à Sirenibus Hippocrenides, de cantandi suavitate ut contenderent, contenderunt utrimque, & triumphârunt canore Camoenæ, eæque plumas Sirenibus detraxerunt, è quibus sibi corollas fecerunt, in victoriæ signum, inquirunt commenti testes, omnia hæc conteh-nati sunt Veteres, quò innotificarent, quidquid Thamyrides, quidquid falsæ fallacisque Sirenæ, adversus Aonium disertum chorum, vel invidiosâ pennâ scripserunt, vel æmulâ lingvâ effutierunt, inclytorum doctorumque virorum amplissimas virtutes ac præclara facinora ut obscurarent, id in eorum gloriam cedere majorem, coronarique eos ad pompam pennis, quibus obfuscan-dos sugillatores sperabant, qui detegunt plurimum, illustrémque reddunt, quem detrahere & obcæcare volunt, honorem, sciunt enim hominum hæc monstra nihil operis egregii eximiivè, quod
non

non fecerint ipsi, ferre posse. O ut scitè, utque politè adhuc, ponam vobis in iconè, adeò acerbâ & malignâ indole homines, dum Phœbum delineo nive nubèque densâ ac obscurâ circumquaque obductum, quæ novercaliter invidæ & ingrâtæ, conantur contingere illius pulchritudinem, & radorum splendorem tenebris involvere ! hoc adscripto versiculo :

De cæno, lutefque locis quos ipse levavi ?

Illustre pol tam obliquorum convitiatorum hieroglyphicum ! Ardentium radorum suorum calore sol, luminum pater, ab humili loco, in cœli sublimem regionem, adducit densos terræ vapores, qui ubi in obscuras versi sunt nubes, eatenus in verecundè ingrati sunt erga suum benefactorem, quatenus omnem ejus fulgorem tentent obscurare, ita ut eidem ipsimet vapores, quos è terræ infimo loco sursum evexit, graves illi molestias cieant, Quàm festivû & vivum exemplum Axiomaticorû ingratorum, & Magiomastigum ! quos cum doctissima magistra, Dominâq, artium Alchymia, è pulvere terræ, atque inscitiz conditione abjectissimâ, solidæ sapientiz suæ scintillis, sublimes egit, adversus illam eriguntur, luminibus ejus obstruunt, filiosque illius maledictis incessunt, & beneficia, quæ habent ab eadem, ad despectum illius, felle recompensant.

De Minervâ, ex Jovis capite citra matrem profiliente, prædicant, quia penes Tritonem exorta sit amnem, eaque propter Tritogenia appellata (nam trito Bœoti caput vocant) quod scilicet temporibus Ogygii regis, A^o. 2189, ad lacum Tritonis, ex quo Triton erumpit rivus, Vestali primùm habitu apparuerit ; sapientiz non immeritò idcirco dicta Dea, quod de cerebro, ubi sapientiz locus, nata : hujus quoque natalitia Rhodi (quæ insula lata sic à rosetis) aurea pluvia condecoravit, ut in memoriâ hominum perennaret, quando in hanc lucem edita fuit : Quoniam in publico triumpho, seu festo, putâ Regis coronatione, celebratione, aut Regiæ hæredis generatione, aurea aliquando nuptiata jactantur

in

in vulgum, velut tmolia irroratio, sic ergo in Palladis exortu eadem contigit, est enim Minerva sapientia sive Philomagia, quæ sanitatem dextrâ, divitiâsque sinistrâ gestat, mortaliûmque saluti & incommodis consulit, huic perhibetur Perseus saxificum Medusæ caput (serpentinis, vipereisq; capillis horrendum) adduxe, quo ipsa pro umbone usa est in Ægide, contra hostes suos incultos, malignosq; populos; & reverà sapientia, utpote Magochymia, quæ ipsamet sophia, blasphemos illos Minervomastiges rabidos reddit, & sensus intellectusq; expertes, per illud ipsum, ex quo Chrysaor emissus est, (qui Geryonis, aliàs dicti tricorporis, parens fuit) hoc est, cruorem Gorgoneum lapidificantem, qui nil aliud significat, atque Lapidis pharmacum Philosophici.

§. 13.

PUlchrum adhuc idemque delicatum quid, sed nec minus curiosum, in hanc rem, si libet, expatiemur nonnihilum, observavi sapius, idque ingenti admiratione dignum esse reor, quod nimirum tempore nocturno, quantò luna lucidiorem clarioremque se ostentat, tantò econtrà canes, elatiore voce & rumore, in illam oculorum aciem detorquentes, oblatrent, cujus rei deliberandus rationem investigans, reperi tandem, nullam me posse appositiorum excogitare illâ, si dixerò, canes insipientes lunam cernere in eâ, tanquam in resplendicanti speculo, suam propriam imaginem, similitudinem ac figuram, indeque imaginari illos, adesse ibidem alium canem similem sibi, atque ob id baubari, ut crebrò consueverunt canes, quando alios vident.

Inspiciunt de nocte canes, ceu specula, Dianam;
Dumque canem cernunt alium se rentur inesse,
Et baubant, frustra que latrant, vox irrita ventis,
Surdâque Luna suos cursus absolvere pergit.

Eorum oblatratione nihilum præpedita, ulterius omnino
F f pro-

progredditur, pernici suo motu defungens, haud dissimiliter quoque augustioris sapientiæ advocatis accidere solet, sic inquam malitia Thymelariorum clamat latrátque adversus Magiosophos, quos etiam exoculassere vellent; rabies sanè brutalis, choleraeque tartareæ, sed ô odia cœlo exosa & diabolo congenita! Mirabile fortassis quibusdam bene videbitur, quam ob causam noctua olim dedicabatur Minervæ, at præter alias vel illa præcipua (meo quidem arbitrato) potest assignari, quòd noctuam persequantur volatilia, si interdum aliquando comparuerit ideo, quia ipsa habet claros, candidos, lucidósque oculos, quos alia volatilia videntur ei velle exculpere; sic omnino Orbis intervellere vellet sapientiam, honorem, ac reputationem Philomagorum.

Polemopatres in suis præceptionibus, quibus disciplinæ militaris studiosos informant, strategum, victoriæ cupidum, jubent catenus semper ordinare stratiam, ut ne ex adverso solis pugnet;

Namque ajunt, *visum faciem sol eripit ante;*

Et ob id nunquam adversus illius micatus dimicandum, ut perappositè profectò hoc cadit in eos, quorum animos odium & æmulatio Spagirici Solis totos invasit & occupavit! hi invidi gloriæ incredibiliūque mysteriorum ejus, perpetuā Alchymiam oblivione sepelire, & è memoriâ hominum exauthorare voluerunt, at non attenderunt cæci & amentes doctorum præceptum polemographorum: non enim adverso solummodo sole præliari occipere, verum etiam mirabilium omnium naturæ myropolium, Hyperionémque ipsum bello laceßere, utpote Jovem ipsum de sede dejicere, hinc perfacile est divinare, hos in conflictu, qui rem usque inconsultam aggredi sunt ausi, oppetituros,

Nam rutilus *visum faciem sol eripit ante:*

Sic noster Titan, lucidâque illa humanæ mentis fax Physicochymia, illos derisores, pro blasphemix suæ merito, occæcat, rutilantibusque profundæ sapientiæ suæ radiis, visum illorum hebetat;

cla-

clamitaverunt quidem unà omnes adversus hanc, dictæria & exprobra horribilia illi, ejusque filiis obtrudentes,

Nec tamen annorum serie, clamore, nec ore,
Æternum potuere hoc abolere decus.

Illi scilicet, nihili pendentes has falsas falsasque calumnias, continuo progrediuntur ulterius, profundiores indies veritatis suæ radios emittentes, apparentque hoc pacto scandalario similes, in fastigio turris sedenti, qui, licet ad infernos cæteros collatus, puerulum imagnet, nihiloscuius, ob situm sublimiorem, eminius prospicit, quàm illi, accuratiusque decernit objecta. Bublitarunt insuper plurimi, dicendo nimirum, eos virtute Summani adjutos, sua præstare, quemadmodum Rabbini, à diebus Christi, subinde nova machinati sunt mendacia, quibus cæci popelli animos magis magisque adhuc collutulent, interim tamen nunquam deficiet David progenies, frustra *Herculi*, tribus videlicet laborantium & indagantium in Alchymia, nullo unquam tempore cessabit, quamdiu etiam astra mundum illustrabunt:

Nitimur Hermetis frustra jugulare volucres,
Oblangvent, sed eæ non moriuntur aves.

Ut planè intereant, arbos quidem, concedatur, è radice Platonis prognata, cum ramis succidetur, radix nihilominus ipsa pullulans usque regerminabit. Utpotà ergo Dux Dulichius, cum Sirenium scopulos perlegeret, earumque cantus illicia pertimesceret, malo se voluit alligari, ne modulaminis dulcedine tentus & effascinated, illarum ad saxa navis impelleretur, sicque allisa, naufragaretur: ita similiter prudens quisque sapientiæ æmulus atque amator hoc imitari discat, mare nempe introitus Artis hujus postquam conscendit,

Et pelago jam dulce malum, volucresque puellas
Cantillantes audit, exhibitatores puto, Acheloiades astutissimas,

mas, periculofissimas, malignissimas, mox Argûs nostræ arbori se obnectat, ne sugillatoriorum labiorum carmine seductus & cantatus, caligantium catalogum incurrat, inque inscitæ præcipitium delapsus, sortis suæ navim confringat. Contra hanc nunc effrontem effrænemque perditissimi sæculi malitiam, *Mares Magici, & privæ, divinæque Artis. acerrimi Patroni*, quæ re, quæ calamo, nullas non movebo machinas, nullos non torquebo arietes atque jacula, quibus ego pumilio, licet viribus ac ingenio imparem me & sentiam & concedam, zelum tamen, alacremque animum non potui non intermittere, faxint superi, voti compos fiam, sinne verò assecutus necne, alii judicanto, mihi satis erit, operam navasse, ut, in commune bonum, aliquem laboris mei teruncium curessem.

Tinctus ergo lacrymis, tacitoque risu exiliens, mœrens ac gaudibundus; bono, non satis hilari tamen animo, fui illo tempore, quo hæc composui, & tristitia quidem mihi nascebatur, recordatione crassæ illius cæcitatæ, cæcæque popularis allucinationis, quæ utpote, referatricem illam arcanorum naturæ, usque adeo dignis sputis cloacat, nec non inter vilissima & abjectissima Orbis exercitia, Heliconigenam hanc Artem, propudiosissimâ calculatione supputat: Nefandam profectò odibilium hominum pestilentiam! Frontem autem totam undique latè exporrigebam, dum humanitatem facilitatémque Mercurii mei expendebam, quæ tanta est, ut, præ vehementi suo erga me (creaturam subrusticam & plumbeam) amore, pauculo se sinat interplacari, tametsi de nihilo indignissimè, istis bovinatoribus sit catamidiatus, contemptuique publicè habitus: charitatem enim verò, quam nunquam certè satis deprædicasse sufficiam!

At precis interea nostræ redeamus ad aram,

Ut *tacti* properent ad meâ vota *Dii*.

Ego

§. 14.

Ego ergo, ad calcem libelluli literarii, commodum mihi arbitrabar subscripsisse sic: Dignetur quæso tua scientifica majestas, Rex Trismegiste, ista legere, ejusmodi semel sæpius atque compluries, acclinibus delimare oculis, ac ex ungve, religiosèque æstimare, & cum consociis aliis, in sacrationi illo augustali, jam fata fatis, meditatò cogitare, ad inventionem citare, arma ad-maturare, ac demùm decretorum calidorum summam, non scripto, sed hujus fidelissimi Alipedis vivâ voce, Philomagis alex etiam nunc dubiæ, nominis exercitiique tui professoribus, trans-mittere, properè præproperè properrimè:

Has ubi verborum resonas, mentisque rigavi
Bafia, confestim causam Cyllenius Ales
Cepit, & ingressus turbatis atria plumis,

Visusque tradidisse maximâ fiduciâ mordaces illas incilatorum, imò diabolorum, ciconias, in ipsas secundissimi Archimagi manus; porrectas sine mora legisse Augustissimus ille Propontifex, stuporèque prodigè geminasse, secors stetit, nunc huc, nunc illuc lumina vibrasse,

Indomitæ mentis rabido flagrasse furore,
Horrilium nullumque modum servasse minarum,

Ac quidem iterum & iterum, totiesque insolitum circumspic-tasse, crucibusque crebris & ingentibus, faciem consignasse; imò verò consternatus animo, vultu orèque expallescens, horrore videlicet verborum, potius telorum cornutorum, quæ nefaria illa tartarea spuma eructarat, nedum

Obstupuisse, cutique comæ, & faux faucibus hæse;

Verum etiam, uti votis ardebam, cæteris Capitibus causæ co-micis communicasse, Angelum suum Pennipedem quantocyùs cum cerâ amandasse, ad me renare mandasse,

F f 3

Mæna-

Mœnalius statim Volucer parere statutis,
 Flare moras, jam jamque locis omnino meâsse,
 His nisi Præfectus revocâset vocibus illum :
 Heus, quorsum? de more tuo, mi fide minister,
 Pergis inalatus, nec corrigiatus, ineptas,
 Sistito, nam nobis excultus nuntius ibis.
 Dixerat, extemploque pedes talaribus artit ,
 Terrea quæ supra, quæ trans Acheloïa tempe,
 Aëre suspensum celebri cum flamine librant :
 Indè comas ligat, & petaso contemperat astra ,
 Tum prendit digitis virgam, soteria somni
 Cogere, vel rursus quâ nolle, negotia nostræ
 Tollere quâ fortis, vel quâ detrudere disco,
 Quâ fîsus sulcare Notos, tranarêque nubes,
 Lurida quâ torvi Ditis succedere stagna,
 Quaque vadis Erebi Stygios educere Manes,
 Et simul extinctas animare suëverat umbras :
 Taliter accinctus tenues gyrâsse per auras,
 Improperêque celer promptis delabier alis,
 Et raptim per inane suos carpsisse volatus,
 Nubila prolixo priùs articulando rotatu.

Circulûmque abs tunc cominûs diris auspiciis conciiisse , in ar-
 quatâ ac clanculariâ illâ Silentûm caveâ , cocceis velis clavisque
 aureis ampullanti , ubi ille cum manibus suis cereis amplexis la-
 genis (instar Phaëthontis, stellicante vertice, adque pedes ele-
 ganti formâ geniis , tanquam Regibus coelici chori , colloca-
 tis, sedens in delubro, in throno, qui longè superior Salomonico,
 claro & Heroico illo, cui par nihil, aut secundum vidit Orbis, ope-
 re) fuit conspicandus,

Totus & argento contextus, totus & auro:
 Quot fuerant Mystæ, tot rebar adesse Dynastas ;
 Coccineis stabant induti vestibus omnes,
 Omnes unimodis ornati tempora fertis,

Præ-

Præter *Tri* crocino præfatum thure *Magistum*
Auratis olidis squalentem pellibus armos.

S. 15.

Mirabilium sæculi sui secretarii historiographi, Juliani Cæsaris terroris terræ, triumphum descripturi, nesciunt quâ verborum granditate, quâ sententiarum gravitate, venere ac venâ, eundem effabrissimè elocuturi sint: Quotusquisque enim non impendiò miretur, Induperatorem hunc victoriis spoliisque celebrem folio triumphali (quod quadraginta ducebant elephant) in vectum, ingentique sic cum pompa, plausu ac plebis gavisu, Romano Capitolio exceptum? & Aurelianum, cujus currum equorum vice trahebant cervi? tum Antonium, qui substratis, subactisque variis gentibus, carpento infedit, cui bis gemini adhibiti Leones? Domitianum item, qui non traditur bijugâ, quadrijugâ, sejugâve lectica, sed humeris hominum fuisse introductus?

Atqui non minùs hîc conniti videor, in magnificentiâ Magiarchi nostri, ejusdémque fastuosissimis nycteliis exprimendis, qui non istic in sellâ solari magnificabatur, vilibus armentis percelebratus, mortali plebecula stipante, aut populari demùm applausu condecoratus, quinimò Gargaricis Immortalium Geniorum myriadibus, & formicosâ Philomagorum multitudine, omnique thymino aromatum, ac pretiositatum genere affluens, symphonia inenarrabili, in spiritali illâ regione, personabatur, Hem gloria, pro pompa, ô infandè triumphè! ignoro sanè, quoniam hunc optimo perstringam stylo: si totus Mundus papyrus foret, omnes arbores pennæ, omnesque aquæ atramentum, longè non sufficeret, ad præstandam prodendamque loci istius majestatem, mihi siquidem illum adhuc videre videor, orbibus stellarum ritu scintillantibus, cæsarie ut cerâ, lenibus vestimentis, clematidis instar Ægyptiæ, nigricantibus, & zonâ, de citimo Chymicòque auro, renes accinctum, adamantibus velut infulâ fasciatum, characterémque hunc insignibus incisum gestantem. M A-

G U S

GUS MAGORUM & PHILOSOPHUS PHILOSOPHANTUM.

Ponè plurimæ stabant bacchæ, aureis cunctæ lemniscis corymbiæ, Archimandritam specioso suo choro circumdantes, dulcissimam intentionem ex musicâ supellectile, fidiûmque deliciis minurientes, & miræ agilitatis tripudium ac artificium, scenâ mutâ demussatâ, exhibentes: transilio hic odorum suffimenta, quibus infusus ille Elysiarcha nardificabat, totâmque, quâ ibat, circumsecus viam imbuebat, ascendisse me autem isthinc in conclave superius commemini, vidissèque peristromatis Murrhinis contabulatos parietes, & rigescentibus auro instratis nihil non inibi collucere,

Lætitiâ, ludisqve vias, plausûque fragere.

Compendiariò, per omnia mihi foelix apparebat, à gravitate, gnaritate, granditate: quotus enim tantarum facetiarum honorem non hiet? quis verò tam pompali celebritati, tam thymosis tureisqve tempe, non applaudat, non ambabus inquam palmis aggratuletur?

Concessus peramœnus erat, re structilis omni;
Compita cum lustris gilvo fragrare virore,
Claudebat fluvios radiûmqve Dianius ordo,
Et juga Carbunculi, Iparisqve per arva corusci
Penè suo stabant Adamantes lumine Phœbo.

§. 16.

INteribi obdormire ego altius solitò, securus semel curis omnibus, tam his, quàm aliis:

Post aliquod mea spectra videns, en gliscere fato,
Finitimòque die: nam jam vindicta patrata,
Jam rude donatus, jam Sortes Artis Adeptus;
Auratæ pecudis potiuntur tergo Colchi,

Vir-

Virginitas, quæ rupta, redit, redièréque regna:

O æquos tandémne Deos, placidósque Quirites!

. Ah festum faustúmque diem! cane, talio parta est. .

Visus enim ad me remeâsse Caducifer concilii quidem illius latentissimi vindicias votivas valdè optatas crepans, ast nil tamen habens in cera, urbici de more pedarii, præter perbreve epistolum præsidarium, literásve caducas; propterea præcipuè, quòd, ut ajebat, in illo Præteritorum theatridio, rara traditio graphiaria, infrequentésque libelliones, sed & parcissimæ solent esse Absentium illorum ad Præsentes tabellæ, cùm parum consultum foret, multa de his chartis contexere, propter magnam frequentiam Phlegethontæarum Potestatum, per quas itus reditúsque (si præsenscissent ista, ut sunt acutæ & astutæ pervagantes omnes inferiores partes terræ) quoquo modo posset impediri; Maluit próinde Lynceus Trismosynúsque Præses omnia ore & verbis legati Hermogeni dictari tabulario Mortali, ac per eum amatoribus, filiísque *Artis*: Quapropter Scytalam Laconicam, sive schedicum rescriptum tantum, idémque subitarium, & quasi tetrasyllabicum, sed idipsum *aureis* notis (de *Aurèâ* & *Arte*) atque pergraphicè, ut à tanto Prophetâ exaratum, quatuor punctis causam totam tangens, Mercurius mihi commonstrare, recerare, corámque prælegere visus est, hoc propè tenore.

G 3

LIT-

LITERÆ LAUREATÆ,

five

RATÆ PRECES.

Hermes ex jam nunc immortalis, musæ Magicæque sedis auspicio, Propontifex Trismegistus, Philomago Mortali exercitii nominisque sui propugnatori ac propagatori potissimo, salutem in eo, qui est vera & unica salus, sinisque solus.

Non est, mi Plautine Philosophe, cur te ulterius, in hoc cæpto, vulneribus curisve sic magis laceres, maceres; respectavimus omnino animi tui pium zelum; illiusque instinctu votis te solvimus. Nos magionica hic semper æternò agimus inter tempe, benèque agitamus, te manet interordinium Claudiani atque Merlini, quod duodenarium est abs conditivo meo, & ubi veneris ad nos, applaudam tibi pro parte hac tua tanta coràm. Accepimus enim fideliter, per manum Mercurii Fecialis nostri, de illatis injuriis, libellqs tuos supplices; pròinde quidquid hâc in re nobis confectum, responsa damus voce Diactoris instructissimi, tu modo dissemina & invulga, resolvito latine omnia,

Perge tuam sacris studiis depascere mentem,

Et semper modicus sis, humilisque mane.

Transilis Aonidas perstet tibi vita procanti,

Sic lenimen erit dura juvena seni.

Interim vide sis ut vivas jugiter viduùm virgineùmque: Datum ex Amœnio Immortalium Adeptorum; idibus Majis, Orbe ab Adventu Messiaë 1666.

Scn-

§. 17.

SEnſi ergo, è *prima* forticulæ complica, maximam Mercurii fidelitatem atque ſolertiam. Qui ſuæ pingendi promptitudinis oſtentationem quâpiam in tabulâ vult facere pictor, quantum huc ſtudii, quantum vigilæ vertit! quantâ inquam ſedulitate curat, ut dextrâ doctâque manu quàm abſolutiſſimè delineet conceptam animo ideam! Ad eundem modum Circumpes meus, qualis quidam arte Parrhaſiâ exactus, vehementer unicéque ſatagebat, ut exhiberet præquam graphicè naturæ totius imaginem maculis injuriarum adeopere attraminatam.

Alterâ, præſtitutum illum pro nunc & ſemper Caduceatorem effatorum hujus concilii Irreducum Magorum, certâmque ipſi æſtimationem conciliari, ne dubitarem, quæcunque etiam peregrina inſpiraret, ſive, utut juberet, quidquidque probaret vel reprobareret, Archimandritam cum Suffete cæterorum Inſopitorum, volendi ſic eidem exiſtere cauſſam.

Tertiâ, conclamatum fuiſſe dictis noſtris Præteritis ſive Adeptis, diplomate eos ſuo ſanxiſſe, per fas pérque nefas velle, quàm patentiſſimè, ſub inſcriptionibus ſcilicet vericanarum Prophetidum, vel maximè tamen majeſtate reſponſitantis Sibyllæ Cumanæ, præconizari judicatorum ſuorum auguſtorum nobilitates, quæ quidem à me (ineptulo licèt, & nullis nec artium, nec literarum adminiculis ſuffulto) donari decernerent latinitate, quæ quolibet lingvæ idiomate ſublatiùs ſpatiatur, & Solis utrâque domo per vagatur.

Diverſæque decem fortitæ ſcita Sibyllæ,

Abſolvent vicibùs metrica penſa ſua:

Præcinet hæc Magioraclis, hæc tripode fata

Edet, & illa lyrâ fundet adæque melos.

Ex quibus haut conjecturaliter eſt concludere, maximam illos indiſtis ſuis voluiſſe adhibitum iri credulitatem: haruſpicinæ enim Sibyllinæ authentiſſimi auguſtiſſimique ſunt argumenti & mo-

menti, de illarum diviniloquarum Prophetissarum (sic à sanctis gentium patribus nuncupatarum) pondere & autoritate demurmuratos sistam.

Quod modò proponam, est sanctum: nam magna Sacerdos
Hos mihi divino sustulit ore sonos:
Surgite, jam vobis folium cantabo Sibyllæ,
Ut mihi longæva est vaticinata Soror.

Quoad verò jus earundem agendi inter homines, feruntur seu creduntur communiter fuisse innuptæ,

Quæcunvis foliis inscripsit carmina Virgo,
Hæc ignara viri, non tacto corpore, panxit.

Atqui, utut sit, illud certissimum, nulla oracula Sibyllinis præpollere, quinimò prænuntiarum Sibyllarum libri tantâ aliquando apud Romanum populum fuere fide & æstimatione, ut Romulidæ omnes urbis suæ futuros eventus & fata, earum codicibus contineri crederent.

Hinc ad avernales scopulos, & opaca Sibyllæ
Antra, rogaturæ tendebant undique gentes.

Tantâ inquam jam olim apud Romanos fuisse veneratione, ut custodes illorum nobilissimos viros civilibus omnibus undis & muniis exemptos deputarint: Rem nullam, ne sacra quidem, Romani tam diligenter, quàm Sibyllina oracula custodiunt, proinde & Duumviratus à Tarquinio traditur institutus, solis inspicendis chartis propheticiis delegatus, adeò ut rhapsodarum Sibyllarum aphorismis maxima fides debeatur. Adde quòd passim probentur autoritate plurimorum *Patrum*, qui de Sibyllis amœbæis, ut veris vatibus loquuntur, easque in testimonium veræ fidei citant, & *Ecclesiæ*, quæ in officio defunctorum pro martyribus istas faticanas Prophetissas allegat; orans,

Dics

Dies iræ, dies illa, Solvet sæculum in favilla,
Teste David cum Sibyllâ.

Et, quod reliquum adhuc præcellit omne, prædicant non pauci, iique notissimæ sanctimonix viri, quia Paulus Apostolus commo-
nuisset suos ad lectionem Sibyllinorum voluminum, in rêcondi-
tiora quædam sacræ scripturæ loca, quod testimonium si indu-
bitatum esset, nihil sanè ulterius, pro Sibyllarum autoritate ac
fide, desiderari posset aut deberet: Apud Romanos tanta religio-
nis vis fuit, ut quidam Imperatores etiam se ipsos Diis immor-
talibus, capite velato, verbis certis, pro Republicâ devoverent,
quemadmodum multa talia ex Sibyllinis vaticinationibus, multa
ex haruspicum responsis commemorare habeo, quibus ea confir-
mentur, quæ dubia utique nemini debent esse, quin Prophetissa-
rum effata plurimum præpossint.

Dictum porrò, neque vacanter, præcipuè verò, sub epigraphe
Sibyllæ Cumanæ, voluisse Præteritos illos placitorum suorum uti-
litates venditari, eò quod melopœa Prophetis hæc (prout clan-
culum interpretabatur memoriæ meæ Evandrus, quamvis tamen
aliàs quoque non ignorarem, idem & graves Scriptores minimè
dememinisse) heri & nudiustertius semel traditur obtulisse Tar-
quinio Superbo (septimo & ultimo Romanorum Regi à moribus
ita cognominato) fastos novem, totos de Arte hæc, emendos ve-
rò trecentorum pretio Philippeorum, qui aurea erant numisma-
ta ingentis valoris: Rege autem ob excessivum pretium emptio-
nem recusante, illa sub manu coram eo tres ex illis concrema-
vit, pro reliquis quidem sex eandem adhuc abs Rege pecuniam
poposcit, sed illo morosius emptionem respuente, & illam velut
deliram irridente, tres præterea alios extemplo combussit,

(Aurea sex nostræ sacræ mysteria sortis
Alta Sibyllinæ fata cremavit opis)

Propter tres tandem residuos eandem auri quantitatem à Rege
postulans, ille denique admiratus valdè, paritèrque, judicans, in illis

codicibus res magni momenti ac ponderis debere esse conscriptas, totam, quam illa petierat, exactionem, mox ei consignari iussit, librosque in Capitolio religiosissimè asservari, & de rebus dubiis, à quindecim viris, velut oracula consuli. Horum jam librorum combustorum, non combustorum, argumentum ab Adeptis illis Præteritis suo Volucripedi Mystagogo quoque fuisse injectum mihi lege satyrâ suggerere, jurèque exaugurario dictare.

Quartâ & ultimâ, condescendisse in hoc unisonè omnes, ut lucernam olens, sub faculâ pervigiliorum, hoc Orthomagiopusculum dispalesceret, atque de multâ nocte ab Alipedis ore Dei elucubretur; quo, cum bene ruminor, non obscure summum sapientiæ studium indicârunt: quemadmodum Lacones, ut in historiarum legimus monumentis, res apud ipsos grandiores ac difficiliore noctu tractabant, memores utique illius præclari proverbii, *in nocte consilium*; Nocturna enim quies aptissima est, ad sapiens & utile consilium de rebus capiendum.

S. 18.

STatuit Deus, in origine mundi, firmamentum medias inter Aquas, ut alias ab aliis dispalaret, *fiat*, inquit, *firmamentum in medio aquarum*: Orator aureus verò legit, *fiat paries*, *intercedat murus, qui disparet aquas, ne aliæ aliis communicent*; Ex his aquis equidem dicere possum, quòd *aliæ* sint symbolum tumultuum diei, *aliæ* typus quietum noctis, fiat ergo interaquium, & secernat lymphas à lymphis, ne negotia utraque confluant, quoniam fieri non potest, ut reconditis noctis fruatur, qui immodicè actuosus interdiu fuerit, nec datur inter tumultus diei, ac occupationes lucis, arduæ atque sublimis sapientiæ otium invenire.

Unde & Athenienses, qui singulari sapientiæ, disciplinarumque omnium laude floruerunt, ab alienato Aquilarum insigni, quod Valentiani vexillis militaribus gestabant, Noctuam avem lucifugam usurpârunt, quam etiam suis numismatibus insculpserunt, ceu sapientiæ symbolum, propter quod quoque Palladis ales dicta est, & Minervæ scientiarum dicata Deæ, ad denotandum,

dum, conticinium seu noctem studiis magis accommodam esse, quàm diem; veluti egregiè Regius citharædus, Daniel, Isaias, Zacharias, *Meditatus sum nocte cum corde meo; Nox illuminatio mea in delitiis meis; Aspiciebam in visione noctis; Anima mea desiderabit te in nocte; Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrtheta, quæ erant in profundo; Dum quis enim gravitate personæ suæ, & autoritate potens, verba facit, mox conticescere solent omnes, qui adfunt;*

Pax, reticent omnes, intentique ora tenere,
Inde throno pater Hermes ordibatur ab alto,
Semissem facerent cùm sera crepuscula noctis;
Mista remugitu qui postquam voce manúque
Murmura frænavit, mox facta silentia lingvis,
Arma supercilio Rectoris ut acta quiêrunt,
Profophus en iterum turbare silentia verbis:

Silentium autem hoc nunquam majus est, quàm tempore nocturno, quo nimirum consueverunt mortales curis diurnis, & exercitationibus suis temperare, proin numerè Salomon; *Dum medium silentium tenerent omnia, omnipotens sermo tuus de regalibus sedibus venit,* significaturus in hâc re nobis, quòd anima, quæ sublimibus, secretisque vacare gestit, otia ac secessum colere, & à strepitu curarum, affectuúmque tumultibus abhorrescere debeat.

Non bene tractantur Musæ prope pérque fenestras,
Vix in sole solent, atque valere foro:
Nec mediâ ridere die, vel luce favere,
Sol, lux, ac homines ad joca multa trahunt.
Sic præeunda forum, sudum simul atque plateæ,
Major & è Musis tunc quoque messis erit.

Noctis itaque tempus, quæ mater consilii, omnisque operis ardui altrix, his mysteriis pertractandis, convenientissimè præstiturum est.

Inter

Inter agendum talia, ádque hæc omnia aliquantùm experrectus sum, ita ut excubanti aut somnianti, quàm dormienti essem similior, atqui cùm Celeripes coràm astans, buccam suam summâ cum potestate mulcendique suavitate aperuisset, ingenti gaudio mihi totus deleniri visus sum, protinùs oculi indicibiliter duci clarâ illâ luce vultûs Transelysiani mei, Archangelum tunc haud dissimilanter repræsentantis, & stylo isto aureo ordinatissimo digitis Propontificis nostri Trismegisti perarato, aures melodicâs affici, & pendere ab Atticâ facundiâ, áque conciliatriculâ concinnitate verborum blandiloquentuli Mercurii mei, grandicrepantis vocis suæ suaveolentiâ, velut divinus quidam Orpheus, lingvis partim hominum, partim Angelorum, id est, tum mediocri, tum rotundo illo fandi texto rhetoricantis, Evœ os curatum! cor intrinsecùs aperiri, & gliscere gaudio narratu tantæ vigilantix & sollicitudinis de suis tam benignorum Numinum, quòd vel nunc tandem advenisset vacationis diēs, Patronis nimirum propriis rem adeò cordatè in se suscipientibus, & præterea Legato ipso (in cujus lingua maximus labor, sub lingua dulcissimum mel, quid supra linguam? ineffabilia, quæ mihi loqui religio, cuique nomen, in cujus manè populus Israeliticus duræ pistrinæ Pharaonicæ excussit jugum, symbolum profectò totius nostræ salutis, redemptionis ac libertatis, à Tartarei serpentis tyrannide) tantâ animositate de toto successu lenocinante.

§. 19.

Quemadmodum ergo ii, qui diuturnâ ac discriminosa per Oceanum tempestate jactati, & fluctibus flatibusque huc illuc agitati, quamprimum ut de longinquo tellurem conspiciunt, insanum diffundentes vultum, Terra Terra Terra clamant, cujus documenti iconismum Maro in Trojanis dedit: ubi enim annos aliquot per mare mediterraneum & Ægæum errassent, multasque interea vitæ aleas adiissent, adversitates plurimas exantlassent, protinùs ut Italia se in conspectum stitit, Italiam Italiam

liam inclamare cœpère, sæpius nomen rei exoptatissimæ repentes, inhærent adhuc verborum poëtæ vestigiola, eorûmq; boatus:

Hesperiam Hesperiam primus stentatur Achates,
Hesperiam reliqui lætante celeusmate tundunt.

Sic ad eundem modum ego, cùm longo tempore huc illuc in ambiguitatum acerbitatûmq; Amphitrite jactatus, & desperationum procellis agitatus forem, eminùs quinimo cominùs *Benedictam illam frugiferam Terram* conspicatus ac contemplatus, derepentè editâ voce, præ magno gaudiorum impetu, succlamare, quanta quanta, delinite Deus, beatitudo mea! papæ tatæ babæ, quæ mea prolubia, ecqua foelicitas!

Tristia quàm fausto salierunt pectora fato!

Nil mihi nunc memet lætius atque prius:

Non ita gavisus Trojo est Agamemno triumpho,

Laomedontæi cùm periëre peni,

Nec sic Æolides exacto errore revixit,

Litore Dulichii cùm propiore stetit,

Sed nec ita Electra incolumem cùm vidit Orestem,

Moeruerat cujus funera falsa diu.

Nec pariter salvum conspexit Thesea Gnosis,

Dædalea evasit quum duce flexa glomo,

Quanta meo Nomius stillavit juba cordi,

Immortalis ero, simodò pergat ita.

Postquam igitur, sincipite extra transfennam, binies quæsissem, custos quid de nocte? crotaliger quota tendit? reciprocavi fessibulum, & continuò tacita tota Pteropodos ab ore Dei legens, in Latinum (nam dictabat ea meâ maternâ lingvâ, quanquam non tam napinâ, & rotundè rusticâ, quàm nunc est) verti; eò meherculè lubentiùs, quòd falsitatem vel funditùs eliminatam, Auream autem veritatem furrogatam,

H h

non

non minùs religiosè optarem, quàm sacer Princeps noster ipſus, quando mortis tributarius, tanto quoque vadimonio & candore, ut (quæ ventura ſunt) non ſic mea ſint, quàm majestativi illius confiliatorii tot Adeptorum Philoſophorum, tôtque Myſtarum pro jam non morientium *Sortes & reſponſa*,

Talibus auguſto factis mihi murmure dictis,
Per chartas reliquum dextra loquetur opus.

§. 20.

DEnarratis quidem ita Laconicè magnâ fide eorum (ſuper reconditorio illo divitiarum delitiarumque *Lapide Sapientum*) ſententiis, ſigna, inſit Hermogenes, hæc, ac trepida, quatenus mox mox mortalibus mulgentur. Ab honore ſacroſanctæ Triadis, meorumque id tibi præſtantium Myſtarum, pro ſublevamine viduorum & ſolamine piorum, nihil de divina diffidens ope; ipſius ſiquidem meoque munite ſubſidio, auſpicare augurare telam vendibilem, non intonſam, nec adagiorum ambiguitate controverſam, quam precariò, próque piaculo ii tibi ſubdelegari juſſere, penes quos (quando erant in vivis) jus ſtabat, ex annutu Dei, pandendi exortem hanc Artem, cui volebant.

Quapropter ut Orthomagiæ & ſtemmati illorum, qui tantum tibi datum contulerunt, *te Auſpice*, apud eos æternùm velificetur, quos tergeminus coeli terræque Architectus, ultimus ille Protoſilomagus, ad abſcondita lituraturæ hujus vocarit, vel potiùs præelegerit, ſimplici traditionis ſerie, & quemadmodum tibi ſuggeram, ſententioſè, non ſeptuoſè, citra ullam ſtudioſam occultationem, negotium totum plano preſſoque ordinis tenore perſere: fatiſ enim ſcitur, neminem hæc ſibi poſſe uſurpare, præterquam eum, cui Jehova conferre decreverit, qui ſolus, tum tenebras horum myſteriorum illucidat, tum claritatem inſuſcat, ut neque vel liquidiffima & evidentiffima quis capiat, niſi illo illuminatus, neque nubiliffima quæque detegat, ſi ab ipſo illuſtrata non fuerint; adjuro porrò te, quatenus hæc volubiliter procul mora expeditas. Atqui-

Atquiverò, audito ego sermone, de mirabilium illa prodigiorum-
que Altissimi epithome Magolitho, hærebam, horrescebam &
arescebam mente, ob consilii parcitatem & electionis perplexita-
tem, nullus mihi sanè præ metu cruor; nullus inquam in vultu
color constitit, cum *Numen* illius auribus insonat; cujus namque
non totis artibus sanguis ex formidine coëat, aut arrigantur
horrore capilli, quotiens ejus ecphrasis animum subit? manhu!
clàm massabam, unde hæcce finisteritas?

Læva mamilla *pavet*, precor hæc fortuna secundes
Omina, quin rursus læva mamilla *pavet*.

Vibrandoque tandem visus tergiversari, ac neutiquam non nolle,
ecquid enim ego, aiebam, aliquid adversus totum uti vulgus tra-
ctem (cujus à tot jam inductibus & experimentis in contrarium
opinio) & vel maximè contra Pulpitarios illos ingeniosissimos,
qui interminum illam tenent, non modò penitens, porrò quoque
mordicus, cum, qui inter eos præsunt, oppositæ sententiæ bene-
volentissimi & addictissimi sint, quique publiciter profiteri ipsam
nunquam dubitârunt, *Exi à me*, inqueiebam, quia indignus asinus
sum, *an clutellas bovi vis imponere?*

Balbus ago, *blennus*, *Bæotus*, vivo *baburrus*,

Quid sic *ingenium glubis* ubique meum?

Scribere quid miserum tam tortile poscis ad æquor,

Nil cujus tantæ propria vela rati?

Min' acies fidis, mène, ò *lepidissime Soce*,

OEdipodionio cernere Marte jubes?

Quære peregrinum, nobis *homo nemo* favebit,

Aptius has aliis vende reférque nuces.

Dum te *cernebam*, benefvadâ voce *stupēbam*,

Credebámque *bonis* ota beare *sonis*;

Jam sedenim *scivi*, postquam tua jura *subivi*,

Qui aurea *mala* ferunt, hi *mala* multa ferunt.

Hem mendicissimum , meticulosulum ! scalpis etiam , scita mea nec subito probas ? comiter *Viocurius* corripere visus , leviúsque sic in me animadvertere , quid operire , quid tragoedias agis , seríſque nugando moras ? nóne vides , quo híc iudicio opus , & ſedulitatem res iſta depoſtulet , útque tam attentum , quàm circumſpectum eſſe oporteat ? jámne tempus textivilitia frangendi , cùm negotioſum piſtrinum , quod tua tuorúmque tibi ſimilium ſalus exquirat , exudandum ? cùm inquam ingentes iíque cli-voſi , ac nimie ſcrupuloſi difficultatum montes ſeſe nobis obſiſtunt ? Vah vecordule , ut pedepreſſim in *ſapientiarum ſtadio* progredereſ , quanto quanto verò impetu per *lirarum lata* ruiſ ! ut in iis progreſſus *magno* tempore non *magno* facis , ut longa híc ſpatia intra dieculas breves emetiriſ ! nulla híc offendicula , nihil quod morulam qualemcunque adferat , reperiſ . Hác noſtrá ſociá argutationis ſerrá , ſi rem recognoſcam , riſum mihi movit *Mercurius* ;

Ter mea trajeci tremulo præcordia riſu ,
Et maſceci ter lymphante labella cachinno ;

Sed ille , poſt effuſiſſima ſibila , graviter ſanè *turgere* , labrúmque *mordere* , ſemper pulmo , ajens , abundat in ore ſtultorum , córque inſrunicorum , ubi gaudia ;

Diffluit en *viſu* nunquam non morio *riſu* ,
Contundit *multus* ſua riſibys ilia *ſtultus* ,
Siccani ſiquidem naſus *Sardonius oris*
Omnibus agreſtis ſeu treſſis habebitur *horis* :

Ad hanc objurgationem protinùs totus ſerè immutui , haut enim antea vocem illius audiveram ſimilem , ad quam tamen ego quaſi *adultus* , multáque intelligentiá *excultior* factus ſum ; ſed verò ille taxim Proteieſcere , & in alteram mihi ſub oculis ſpectatus eſt *transſumare figuram* , eandémque ſpectabilem multùm , ac velut veſtiſtuam , jámque non *Argiphontem* , at ipſummet *Propontem* verabat ; aſtrinxit autem me timor non exiguus , ne temeritatis meæ poenas

poenas darem, qui utpote, in tanta mysteriorum abyſſo, aliquid extrahere cogitaſſem unquam;

S. 21.

SImul tamen atque hæc ſic infarcirem, cùm eccum! intermo-
rior, & excontinenti ab hinc tanquam diluculo præparatus
eſt egreſſus ejus, nequeóque deinde *digitis* nec *ducere* nec *dicere*,
ita mens manúſque à ſubitanea illa metempsychofi torpebant.

Ignoro quid agam, *sacro ſaxóque* ſtatutus,

His utinam nunquam *dextera ducta* foret;

Nunc ſi diſtulero mandata diplomate ſancta,

Mercurius noctu ſævior hoſtis erit.

O ſortem ſemper patruam, vah Numina dura!

Cor Labyrinthæ nare *timore mori*!

Ah large *lacrymiſtis* fors ſcelerata *Chymiſtis*!

Vah deſcende *Lapia*, tu mea fata *rapis*!

Venter emit *viſtus* mendicos, corpus *amiſtus*,

Æternóſque *vetus* nunciat *aura metus*;

Hinc carbone *notes* quas dat Chymiatría *dotes*,

Sicco pane *vaquâ* viſtito ſemper *aquâ*;

Finio, & altum inclamo:

Nobilis hæc res procedit malè,

Ideo poſthâc Alchymia vale.

Audite juvenes, omnibus dictum voſo,

Abire poſt Chymiam, in juventæ ſoſculo,

Nolite, fructus capite, dum dies ſinunt,

Juventa brevis, Ars tarda, tempus præterit.

Enimveró Æthalides acrius econtrario inſtare, ſubdere, di-
ſtare, manui calamum per vim etiam intrudere, & præap-
tare viſus eſt, demùm illam in, pèrque papyrum rapere, tanto
quidem impulſu, ut non ſic hæc ego exarare, quàm ipſe ap-
pareret, fuerítque ſylva tota Tutelarís ſanè Spiritus, ſed

dextellæ tamen Mortalis, per quem sua voluntas non stetit; nam verò, inquebat, transversa me inspectans, *Modicæ fidei quare hæsitasti?* desine sortem ac luctas tuas miserrimas sic ingemiscere, meliori initiare fortunæ, & me tui cognosce tutorem:

Semper eris mecum; memorique fovebere corde,
Noster inumbrabit te Laris arte sinus.

§. 22.

- **A**D hæc ego parum respirans, injecto fissipede atramentario, nescio quas Diras intra dentes commurmurare, ac tandem item liberè effari; nescis, oh bone nescis, ubi mihi *obcalleet calcens*, Eremiticam & cochleæ vitam tolero,

Tu modicum sentis, quâ parte famelicus horret,

Incita me *pungit*, cor tenet indè pavor.

Tu semper manibus varicas in podice retro,

Me solvit valido nulla labore dies,

Mi lux, nox eadem, lux noctem, noxque vicissim

Accelerat lucem, spem neque cerno moræ.

Nihilominus ille iterum jugulum *premere*, & per palpa *fremere*, caputque demulcere;

Et *duras curas* blandis his demere dictis:

Semper honore meo, semper tutabere thyrso,

Quid cunctare, morare, quid hæres dedite neutro?

Si quæ sollicitudo, mea est, meus estque libellus,

Tu modò *susceptis* animosius utere festis,

Est tua *vena* pusilla, mea est prægrandis *habena*.

Ego tibi tradam instillaboque omnia, ego character, pileusque tuus, ego vindex, scutumque tuum, Ego, inquit, ante te ibo, & gloriosa *Terre-commemorabo*; aperiam januas carceris, & arcana secretorum revelabo tibi, vincam & expectationem tuam, cor ne sic vores, nonne hæc enim posita sint apud me, & signata in thesauris meis?

Hæc

Hæc ait, & tali placidat mulcedine mentem,
 Ille ego, quid tardas, genuit quem lucida Maja,
 Quid gemis ingentes nobis habiture lacertos?

An nescis omnia esse in manu Dei, & in tanto fortis cardine
 quemque semper publicæ magis rei, quàm privatæ studere oportere,
 unum illud tibi, præque omnibus unum nunc prædico, longè
 Seniores tuos rerum peritiâ pollentes antecelles, & super magistros
 tuos efflorescis,

Te nihil obducat, quin cras, quod quæris, habebis,
 Hæc modò componas, tum eris omni tempore latus,
 Uda teporabit donec ver floribus aura,
 Dúmque comam sylvis hyemes Aquilone resolvent,
 Sive comam sylvis redhibebit roribus æstas,
 Autumnóque relentescent vergente racemi,
 Invida, ceu fecit, te nulla tenebit egestas.
 Multa priùs falso generascet in æquore fruges,
 Cæruleus aut dulci recrepabit Nereus undâ,
 Antè Lycaoniæ sidus glomerabitur Arcti,
 Et solitâ nautas facie moderare relinquet,
 Quàm tua desistet populo fortuna citari.

Scribamus, incinebat, ac si rem totam, ipsius impulsu, volens nolens
 chartis commisi; ubi verò signando lampadem cursu traderem,
 & summummet montis supercilium conscenderem, in profundissimam
 sublimium mysteriorum catalepsi raptus, sapientiæ *nubes* tota simul,
 cùm quietum silentium impleret cuncta, & *intempesta nox* medium in suo
 meatu teneret iter, uti imber in vellus descendit, magnúsque sulphurum
 fulgor ac tonitruum fragor surrexit, continuéque coorta est è Pimpla
 hyems maxima cum procellis, nimbis, & turbine infedato;

Ter strepitum stagnis audivi victor averni,
 Intertonantémque vocem, quâ verba illa ingeminabantur, O ar-
stirn-

Ætudo, ò amplitudo, ò altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! ut inscrutabilia, ut insecabilia sunt iudicia ejus! quàm inexplicitæ, quàm inenodabiles viæ ejus! proh profunda Magicorum mysteriorum abyssus! hem secreta imperpenetrabilia!

Omnibus en gelidus membris irrepere langvor,
Spirabátque cor cum omni intestinorum confinio, fodes, eliqua
pluria (subtexe me memini) si sedet, intime mi Mercuriole,

Pristine Mecœnas nostri facer Angele captûs,

Præ penito nassæ tramite sola salus,

Unica tam tristis fors ob penetralia cordis,

Lamentisque *meis* Scæva miserte Deus!

Spiritus à cujus depressus hic ore revixit,

Utputà *philosophûm pulvere* plumba solent.

Nam jucundæ faucibus meis homiliæ tuæ, ante mel ori meo,

O rosa, delitiûmque meum, mea vita, voluptas,

Eugepæ, quàm pulcherrima est tua semperlenitas, ut odorifera
virginitas, ut *vivida vernitas*! dehinc ab interrogationibus non
possum abstinere, tractus blandidicentissimâ tenedine tuarum
responsionum, illectus inquam vocabulorum tuorum inenarrabili
luxurie, si tu tantopere scientiæ circularis ore inocciduo prægre-
deris, ut ex unisono Philosophorum concentu sis primipotens il-
le Faber, quem *sacrificant sapientes*, quî incidit? ut apud me per-
perum & inhonorum pumilum tanta præstetur gratiæ nimietas;

Pauper, *Ocella*, vago, si vulnera spectet Alexis?

Ecce verò Institor eloquentiæ, quoniam, respondet, suffitus Suf-
fetus super me, utique unctus, Hermésque ad evangelizandum
pauperibus missus sum,

Sedit amare tuam, quamvis sit *sordida*, pellem.

Et

Et simul cum hoc dicto , dimidiò se ex loco momentat , sub-
que terras penetrat, quo maximopere externatus instupui : nam
sensim resurgens, ceu ex veterno expergitus mihi videbar, com-
plicatisque manibus ab oblivia ecstasi resecreare ; O prærogati-
vam regiam ! privilegium autem irremunerabile, neminique con-
cessum ! benedictum sit nomen ejus æternum, qui mihi indigno
miseréque poenitendo, tanta donorum Gargara impertiri non
gravatus est , & faciem suam à me fontissimo latrone non aver-
tit, laudetur, decantetur & superexalteretur, Pater, Pastor, Paracle-
tusque Amen.

S. 23.

Et ecce, mirum sanè, quomodo sic intemperis Genii teneat,
ubi vix extremo, quod dicunt, flexu cervicem ad pausandum
ocquexem, denuò Mystagogus Medicurius aderat, cedo insuper
Celeripes (subjunctis mihi tandem videbar) nisi fortè molestus
sum quærendo, novissimè ut tecum loquar, cum tu igitur ab *Al-*
ma illa *Phrygiæ*, Deumque *Matre* veneris, quos tecum thesauros,
quæve adfers vellera, quibus inopiam nostram locupletes ? & mi-
hi respondisse illum subincidit, *Aperiam in oraculis os meum, eructa-*
bo abscondita à constitutione Terræ; capsis pragmatica hæc folia imme-
diatè tibi describenda & transfundenda.

Ego ergo coram ipso ingeniculans, quanta potui cum reveren-
tia & veneratione , ista in sinu meo nupsi gliscens, cumque me
pararem, ut illi, in memoris mentis tessellam, manum darem;
nondum inquit, *nondum* diluculat, quin ego tecum persum, à princi-
pio ad usque finem ; Vah *prox* subsidiaria, ô *nox* nimis singularia,
hem dextra, enodisque statûs nostri inopinabilis Nemesis ! Sic
ergo nunc altissimi *Philosophi* magisterii, *Philosophos* hîc Præteri-
tos intelligite, Expergiscimini & erudimini, qui pretiosissimum
in Orbe scrutamini ab iis ipsis, qui olim itidem illud perscrutati
& exoperati;

Pantolabi procul hinc, procul hinc itote *panurgi*,
 Aurea viatrices plaudunt ad flumina Nymphæ,
 Portubus obliquat Tiphus, stat *palma phalangis*,
 Turea succensilque vegent altaria thymbis:

Dii quibus imperium, Lapidisq̃ue est arca Sophorum,
 Et chaos, atque Lares, Pimpleides, opacæque tempe,
 Sit mihi fas ablata loqui, sit Numine vestro
 Pandere Frugiferâ mysteria condita Terrâ.

Hæc ergo, tundeat Æthalides, de omnis illo admirabilitatis *re-
 ceptaculo*, & immortalitatis *umbraculo* Lapide Sapientum, Adeptos
 illos Absentes, incubantes Elysium, edidisse, & quæ sequuntur,
 dixisse;

Continuóque suas pergentes vannere Sortes,
 Hebdomadas totas exordinè quinquaginta,
 Fonte super riguo, Tyrrhenum propter Olympum
 Hærentes, numeréque illic hæc Symbola cœpti,
 Talia concordi condentes carmina fano,
 Carmina, quæ fraudis pòst nulla coarguet ætas.

Cavea Sibyllarum.

1. Vulgò virginum faticanarum; latè tamen omnis foemina vel puella, ejus peritus Numen recipit, quæque vaticinatur ac prophetat, appellatur *Sibylla*, hoc est, consilium Dei: *Æoles* enim *Σύβη* Deos dicunt, *Εύλη* autem apud eos mens, sive consilium vocatur; igitur *Sibyllas* quasi *Siobulas*, hoc est, Dei sententias sonantes, dicere possumus, quibus nimirum Veteres, à consiliis Deorum enunciandis, hoc nomen imposuerunt.

2. Hic est, medium, praxis, via &c dicit: à *scandendo*, quòd hanc ad altissimam sapientiæ *scandamus*.

3. Hic est, commorari, manere &c aliàs *morari*, primà longà, significat ex etymogræco ineptire, ut in illo, dum dicitur; Desiit Claudius inter homines *morari*, quod interpretari non debet, quasi sensus esset; Claudius desiit agere & vivere inter homines, sed quòd per mortem insanire & dementare desierit, qui vivus desipuerat.

4. Vulgò altum, tanquam *supra limum* &c.

5. Communius eas, quasi *viæ te dedas* &c.

6. Animalcula sunt notæ significationis. *Formicæ* fatigari nesciæ, ruricolæ, Omniparentis Terræ agiles alumnae &c dicit: sic à *ferendis micis*, id est, granis, pro quibus *micæ* translativè ponuntur, ut & pro panis omniumque rerum frustulis: nam, propriè loquendo, *micæ* sunt pulvisculi illi, qui in arena tanquam aurum argentumve scintillant, unde verbum *mico*, as, quod est, subinde & per intervalla rutilo, ut dicti pulvisculi.

7. Hic pro celebris, eximia, excellens &c aliàs est *nobilis*, secundum etymologiam, verbale factum contractumque à *noscibilis*, eodem modo ut facilis, agilis, similiaque plurima.

8. Vel *cornucopiæ*; idem est, (quemadmodum & suprà in Circo Magico) quòd *Amalthææ cornu*, hanc luculentà & indulgentissimà præditiq; facultate, ut, quidquid optamus, id nobis ex eo largiter suppullulascit: duo autem hujusmodi fuisse *Cornua* aliqui tradunt, è quorum *altero* ambrosia, *altero* nec tar, cibis porùsque Deorum fluxisset; verum hoc nihil habet cum nostra philosophia, & Aurea veritate affinitatis, nec conformitatis; *unus* Sol, Deus *unus*, unaque Tellus, quæ omnia profert *una per unum*.

Sibyl.

Sibyllarum Fasti,

SLVE

Lucubra, & pervigilia DECEM,

Super

Inlitterata ac inedita

ARTE TRISMEGISTA,

Ad ipsam

Rare, clarèque perfringendam

Quod fatui contumeliant,
Sapientes congregiant.

Ii3

CHY-

Velleris aurati charissime frater adesdum :
 Hæc bulla¹ est, æternum non abolenda, Sophorum.

Quis, nisi qui expertus, magnetis Numina² credat ? Res invisibilis, testis est, quam querere debes :
 Sed res, in qua, a nemine non, & ubique, videtur : Miraris tanta in nostra miracula Terræ !


Laconismus³
 Metricus⁴ prior,
 IN
 Religione⁵ & fynceritate⁶;
 SIVE
Recipe sine Decipe.

De vera & orthophysica Lapidis Sapientum materia, videlicet illa, quæ artifice proximè est desumenda ad manum, quæque à Sendivogio, competenter & graphicè⁷, atqui persubtiliter, baptizatur⁸ materia secunda, quam Immortales Adepti, planissimo proprioque suo hîc nomine, cum universis circumstantiis expressam (sicut nempe cives, coloni, omnesque mundi incolæ & gentes ipsam vocant), sic expresse⁹, dignis lectisque ingeniis, evulgandam clamârunt.¹⁰

Mater rerum

1. Hoc loco est idem, quod sigillum, signum, sive obsignatum diploma.
2. i. e. Vires, vel facultates magnetis, seu rectius *magnetismum*: aliàs est Numen propriè nutus & dictus Dei.
3. *Latine* breviloquentia, aut sermo brevis, sed paucis multum in se continens, dict. quasi *Laconum mos*, id est, comprehensio multorum in verbis paucis. Nomen est ductum à Lacedæmoniorum moribus, quibus proluxa loquacitate nihil odiosus.
4. Hic adjectivum est pro eo, quod est metri, id est, pertinet ad mensuram, carmen, vel versum: aliàs sumitur quoque *metricus* aliquando substantivè, ut sit idem, quod poeta.
5. i. e. Devotione & sanctitate vitæ, sigillo animi &c. quia *Religio* usurpatur tropicè pro anxia cura, scrupulo conscientie &c. dict. à *reliquendo*, seu potius *religando*, quod nimirum nos Deo *religet*.
6. i. e. Candiditate animi, puritate, integritate &c. quia *sinceritas* etymologicè idem est, quod *simplicitas*, hoc est, candor cordis, sicut *cera*: quemadmodum ergo *simplex* sonat *sine plica*, ita *sincerus* dicitur, quod est *sine cera*, tracta similitudine à melle, quod, priusquam sit sine fuco, simplex scilicet, purum & impermixtum, esse debet *sine cera*; Vel possumus adhuc alio modo, neque forsitan inargutè, interpretari *sincerus*, ut sit quasi *simul cum cera*: nam quando alveatiorum communem fructum sine dolo cum fociis volumus dividere, partiri solemus mel *simul cum cera*, quod si autem mel tantum in medium proferamus, & ceram retinemus, consocios fraudamus, nec agimus illis cum integre, & *sincere*, id est, *simul cum cera*; atque hinc etiam bona erit orthographia, sive scribatur *sincerus* i latino, sive *sincerus* y græco.
7. Vel graphicus, *latine* eleganter, venustè, accuratè, ad unguem &c.
- 8 i. e. Primò intitulatur, sumptà similitudine à ministris Ecclesiæ, qui *baptizantes* Personis simul nomina solent imponere.
9. i. e. Seriò, consultò, meditato &c. quasi *ex professione*.
10. Hic pro affirmarunt, approbarunt &c. dictum autem videtur mihi *clamo* antiphrasticus, quasi *amo*, id est, *clam ago*, quod amantes *perclam agant*, & minime *clament*.

Monu-



1. Hic metaphorice pro vera; dict. autem *probus*, tanquam *prohibens*, quod se à delinquendo *prohibeat*. 2. Hic sumitur pro Lapidis Philosophorum materia, sive communis naturæ subjecto, quod proprie est *Galena*, id est, auri & argenti, &c *vena*. 3. Hoc est, authoritatem & potentiam habentis res exordiendi ac disponendi, quia *Auspicius*, a, um, adjectivum est ab *auspex*, quod ponitur pro inventor, commentor, author, seu primus cujuslibet negotii inceptor, dict. ab *auspicando*, velut *avium inspector* &c. 4. i. e. Sibyllæ Cumanæ, nomine Amalthææ, filiæ Glauci, quæ ab aliis Demophile, vel Ero-phile,

phile, atqui à me hîc, & alibi à Virgilio, *Deiphobe* dicta est, quasi *phoba*, hoc est, coma & ornatus *Dai*: gesta hujus pro parte audisti in Sortibus nostris Sibyllinis. 5. Non transcant item tria ista vocabula, *atra igitur mater*, sine notabili scrupulo, maximè verò posterius, attamen misso tripode, & mutuato unco prioris: hæc enim de intentione, labore longo & tædioſo, maturòque judicio, specialiter sic combinata sunt. 6. Hic est diffenta ac differta optimo succo, lege latius paulò infrà glossam verbi *prægnat*. 7. i.e. Plena venarum, vel venis; quia olus, lentus, & frequenter bundus, Grammaticorum sunt terminationes, quibus plenitudinem denotant, ut auroſus, vel *aurulentus*, id est, plenus & *distentus* auro; Amorosus vel amorabundus, contractè *amabundus*, id est, plenus & quasi in amore *fundo tenus*; sic porosus, gaudiosus &c. florulentus rosulentus &c. esuribundus, *deerrabundus* &c. hoc est, *redundans* & plenus poris, gaudiis, floribus, rosis, esurie, errore. 8. Historiam de Phœnice (quæ propriè intelligenda de Philosophorum Lapide) seipsam renovante, satis notam censeo; dict. autem mihi quidem *Phœnix* videtur, ceu *nix Phœbi*, id est, nitor solis. 9. De qua scilicet nihil adhuc natum sive ortum est, hinc excluditur materia tertia, ut omnia Animalia, Vegetabilia, & Mineralia: *virginis* namque vocabulum ab incorruptione tractum, omnibus rebus communicatur, quas impollutas significare volumus, quasi *virago*, quòd *vi agit*, & foemineam passionem ignoret. 10. *Nullibi non*, periphrasis pro *ubique*, dict. verò *nullibi*, ceu *nullo in loco*, Necubi sensu idem est. 11. Hoc est, semen profert, quia *semento*, as, derivatum est à *sementum*, quod idem est ac *semen*; etymologicè *sementifico*, pro quo contractè dicimus *semento*, quasi *semen tento*. 12. Propriè est, luxuriatur coitu, dict. quasi *pene vinulatur*, ex quo & contractum factumque mihi videtur; acutè autem & aptè hîc positum, quia olochrysa, id est, semper vivens materia Sapientum, occulto suo invisibilique semine usque voluptuatur. 13. i.e. Crescit, nam *oleſco* propriè est *cresco*, quasi olus esco, id est, ero: antiqui enim esco, escis, escit dixere, pro ero, eris, erit. 14. i.e. Semen emittit, seu sperma facit, quasi *spermatificat*, pro quo contractè dicitur *spermatico*, rectiùs forsan extra metrum *spermatizo*, quia etymon græcum est. 15. i.e. Gravida est, quoniam *prægnò*, as, etymologicè sonat, esse *grandem præ gnatis*, hoc est, quibusvis fructibus. 16. i.e. Parit, foetum facit; nam verbum *foeto*, as, contractum est ex *foetifico*, quod est *foetum facio*, nixurio &c. 17. i.e. Prole increbrescit, *sobolesco* etenim dictum puto, ceu *sobole cresco*. 18. i.e. Ampliter crasseſcit atque augeſcit, quia *aleſco* dictum est, tanquam *alimento cresco*. 19. i.e. Et tamen nequaquam patitur damnum seu naufragium virginittatis, quia *eugum*, penultimâ productâ, idem ferè est, quod hymen, tunicula scilicet pellicula in pudendo muliebri, quæ primo coitu abruptitur, credita claustrum virginittatis; itaque transumptivè & metalepticas ritè præſenti competit instituto; inspicie lexicon græcum. 20. i.e. Minimè, quasi *nullo modo*, compositum sicut solummodo, tantummodo &c. 21. Vel deponentialiter *nausfragatur*, quod absolute est damnum pati, dict. tanquam *navim frango*, unde & contractum atque conflatum est.

Nunc venio Vestæ¹ jucunda² reponere festa;
Hujus & ostentare salaria³ furta Dianæ.⁴


Laconismus
Metricus Posterior,
sub
Conscientia & experientia;
sive
Modus; minimè nodus.

Qualiter develata⁵ materia ad finale suum complementum perducenda: duo enim demùm⁶ sunt, quibus nritur totum Philosophorum magisterium, materia scilicet debita, & ritus, sive itus agendi in ea. Materia secretum est maximum, verùm enimverò via procedendi cum illa, secretum est supra secretum. Cùm ergo, priore Laconismo, physicochymica materia nudè⁷ candidèque porrecta sit, hoc posteriore (ne quid desit ad usum ejus) intempore⁸ tractatur modus operandi, in quo quidem horribilissimo⁹ secreto, ut & in præcedenti, ego prorsus neutrò¹⁰ me tenui, nil nec addens, nec demens, sed ut latinè¹¹ illud, de ore Evandri¹², catagraphavi¹³, & Philosophi Præteriti istud perferendum¹⁴ nunciârunt, ita & idem hîc, aureæ literaturæ consecratis, simplicissimè¹⁵ sic communico, sin secus, continuo¹⁶ in nihilum recidero.

Spiritus oc-

Postremo fixum, vincitque volatilis primo; Sponte fluunt lymphæ, reprimat violentia fontem. Rem peragit totam cum pondere coctio sola:

1. Trutinatione singulari, aureæque lancis appensione condignum est, quid hîc valeat vocabulum *Vesta*, id est, *res vilis* & *treffis*, quæ *vi suâ fiat*, rebusque omnibus *vestitur*. 2. i. e. Lætitiam & voluptatem afferentia, dict. à *juvando*, propterea quod, quæ *jucunda* sunt, mentem sensûsque *juvent*. 3. i. e. Genialia, grata & eff. enim *salarius*, e; vel forsan rectius *salarius*, a, um, adjectivum deductum à *sale*, quod in genere masculino, tam singulariter, quàm pluraliter, venustè usurpatur pro sapientia, delectatione, faceria &c. 4. i. e. *Joriana*; nam *Diana Jovis* filia fuit ex Latona, eodem nempe cum Apolline, in Delo Insula, partu edita, unde ipsa quoque *Delia* dicta est, Apollôque *Delius*: eadem & *Dictynna*, *Libera*, *Noctiluca*, *Trivia* &c præterea *Hecate* vocatur, quod *centum* placetur victimis; item *Lucina*, id est, Dea partuum, à parturientibus cognominata *Juno Lucina*, *Juno* quidem à *juvando*, *Lucina* verò, quod partum proferat in *lucem*; hæc ipsa similiter *Luna* appellatur, quod scilicet noctu *una*, hoc est, sola & absque fratre *luceat*, seu quod *lumen* à sole accipiat, quasi *luminans luce alienâ*; porro *Omnivaga*, non sanè à *vagando*, sed quod numeretur in septem planetarum *vagantibus* orbibus: adhæc *Proserpina*, videlicet à *proserpendo*, *serpere* namque videtur, veluti *serpens*, dum modò in dextram, modò in sinistram *lunatur*; insuper *Tergemina*, quia in cœlo creditur esse *Luna*, in terris *Diana*, & apud Inferos *Proserpina*: demum *Triceps*, quod *tria* habeat capita, dextrum equinum, sinistrum caninum, & medium Suis agrestis &c quæ omnia, licet de fabulosa sint poetarum Theologia, sua mystica tamen illis inest interpretatio, quibus ardua hæc arcana mentis solent velare. 5. i. e. *Revelata*, propositione de negante, quasi ostensa *sine velo*. 6. Hîc pro *solum* positum est; tantummodo &c. 7. i. e. Dilucidè, ingenuè, quasi *sine ludo*. 8. Hîc adverbium est pro opportunè, quasi *suo tempore*. 9. i. e. Omnium maximo, quia *horribilis* eleganter & appositè ponitur pro grandis, præcipuè in his, *horribile secretum*, *donum horribile* &c quod res grandes, & mysteria alta, pleurumque *horrorem*, stuporem, moram, ac admirationem soleant inducere. 10. Vel *neutrè*, seu *neutrobi*, id est, nec ad unam partem, nec ad aliam, sed quasi indifferenter in medio, dict. ceu *ne*, id est, *non utrò*, vel *utrobique*. 11. Hîc idem valet, quod planè, apertè & propriè *more Latinorum*. 12. i. e. *Mercurii*, quia Evander, vel Evandrus, nomen proprium est *Mercurii*, quem dici volunt, quasi *mercium curam*, eo quod negotiatoribus præsidere existimetur; sed in nostro proposito scitiùs diceretur *Viocurius*, hoc est, *viam currens*, à Diis, scilicet ad homines, & e conversò: vel *Medicurius*, quod *currat in n edio*, Deorum nimirum ac hominum; inter duos enim loquentes *media currit* atque reciprocat oratio. 13. Latine exscripti, quia *catagrapho*, as, propriè est, scribo ex alterius exemplari, de themate inspicie lexicon græcum. 14. Hoc est, divulgandum, publicandum &c quia *persero* tropicè stat pro evulgo, promulgo &c. 15. i. e. Apertissimè, purè, candidè, *sine dolo* & *plicis*. 16. Hîc aptè positum est pro mox, derepentè &c.




1. Communiter *Persica*, nam *Persa* propriè qui vel quæ est ex *Persia*, mas seu fœmina.

2. *Spiritus occultus mundi tepore fovendus*, hoc est, *Spiritus Universi*, qui in materiâ, priore Laconismo detectâ, tanquam proprio suo receptaculo delitescit, moderato atque improperto calore custodiendus, leniendus, nutriendus &c.

Pars major & ima hujus paginæ, notis non consignata, vacat figuræ sive imagini, quæ neglecta est propter festinationem.

Sig-



1. Communiter *Libycæ*; nam *Libyssa*, vel *Libyssa*, *idæ*, quæ est ex *Libya*, ut *Persa*, quæ ex *Persia*.

2. Hic pro ritu, seu potius, modo suo, ductu, cursu, tractu &c. aliàs *nixus*, *us*, *mi*, *g*, propriè est parturientium labor, dict: quasi *natura e extrema vi*.


3. i. e. Purificetque, quia *purgo* est *purum ago* &c.

4. Extra carmen, melius forsan feceris, & opportuniùs rei, quæ tractatur, legendi *separèque*, quàm *parèque*.

5. Hic translativè sumptum est, pro inclinatis, propensis, proclivibus &c aliàs propriè dicitur *pronis* in anteriorem partem flexus, quasi *prognatus* &c.

6. Hoc est; *geniali*, seu naturali instinctu & inclinatione, dict: antem *genium* & *genius* à *gignendo*: *Genius* enim Deus appellatur, qui vim obtinet rerum omnium generandum; hinc aquam, terram, aërem, ignem, quæ rerum semina sunt elementaque, jure licet appellare *Genios* Deos, sic *genius* meus, qui me *genitum*, *generis* parens &c.

Pars quoque ima hujus paginæ deputata erat imagini, sed illius astituta nunc non fuit mihi occasio.



1. i. e. Terra nigra, quia *Pnigite* interpretatur, *putredo nigra terre*.
2. i. e. Germinat, pullulat, nascitur, oritur &c verbum est deductum ab adjectivo *ver-nus*, *a, um*, similitudine *veris*, quod tempore *verno* res renidere, spicare, id est, spicas facere, ac gemmare soleant; dict. à *virere*, quod tum virgulta *virere* incipiant: sive etiam à *vertendo*, quod utpote tunc *vertere* se incipiat anni tempus &c.
3. i. e. Naturaliter alba apparens, contractum fortè ex *leucopæus*, vel *leucophæus*; consule lexicon græcum.
4. h. e. Divisa, quia *erctus*, *a, um*, participium est ab *erciscor*, vel *ercisceor*, vel *ercisco*; quod antiquitus interpretatur dividere, propriè terram, unde remansit adhuc *erctus* & *erciscendus*, vel *erciscundus*, pro divisus & dividendus.
5. i. e. Unijugis & transformis, à similitudine *ovi*, unde *ovatus*. & *ovaticus*, epitheton Mercurii, & propriè Philosophorum, qui scilicet per totum homogeneous. & *ovaticus* est, in quo stat ratio indestructibilitatis.
6. *Latine* consubstantialis, seu quod est ejusdem & consimilis substantiæ, ex *seria* substantia, & *ipis* unus, similis, vel par.
7. i. e. Dea instar aquæ, quia *Nympha* dicitur ipsa aqua, quasi *Numen lymphæ*; unde *Nympha* vulgò vocatur sponsa in nuptiis, sic dicta ab officio lavationis, quod etiam ad nomen *nubensis* alludit, *Nympha* enim ex *nos* & *quiescat*, quod *nova* appareat.

Similiter pars hujus pagellæ manet imaginem, rem oculis subjicientem, sed non appictam.

Inscrip-

Diana!

Non

tractanda

temerè

Inscripta²

SAGÆ³ CUMÆÆ.

Pura puta⁴, obryza⁵, illimis⁶, CrySTALLINA, simplex⁷:
Quæ tamen est intacta tibi sic igne tenenda,

Spiritus usque

us

uapond


non

hæc

1. Visita supra Laconismum posteriorem, glossmate quarto. 2. i. e. Brevia in chartis scripta, à substantivo *inscriptum*. 3. Hic capitur substantivè, aliàs *sagus*, *a, um*, propriè & in se, adjectivum est: *saga* ergo, *a, f, g*, mulier est perita *sacrorum*, vel anus, quæ multa scit, dicit, quasi *sagax*; respicitur enim ad substantivum sacerdotissa, vel aliud simile, prorsus eodem modo, ut. v. g. in *pecunia* subintelligitur res, aut simile quid; *pecunia* quippe in se merum adjectivum est, deductum ab antiquo & obsoleto *pecu*, vel nostro *pecus*, quod apud Priscos omnis *pecuniæ* *pecus* esset fundamentum, à quohæc refutârunt adjectiva, *pecuarius*, *pecualis*, *pecuinus*, & *pecunius*, *a, um*, pro eo, quod est *pecu*, *pecoris*, vel *pecudis* &c sũntque hujusmodi penè infinita in latinitate, quæ videlicet, secundum se, mera quidem sunt adjectivâ, sed tamen plerumque substantivè sumuntur: Ejus generis sunt *imprimis* pleraque nomina artium & scientiarum, ut Grammatica, Poëtica, Rhetorica, Dialectica, Logica, Physica &c Deinde multa nomina Regionum, Locorum, Mensium, dignitatum, officiorum, opificiorum &c in quibus certa sua substantiva semper subintelliguntur. 4. i. e. Mera; nam adjectivum *putus*, *a, um*, contractum mihi videtur ex *putatus*, hinc *purus* *pinus*, id est, *purus* & merus, unde ratio *putata*, id est, *pura* facta est. 5. Propriè est, igne excocta, purgata &c de etymo inspicere lexicon græcum, vel præstantius aliud Glossarium. 6. i. e. Munda, quasi *sine limo*, in negante, & *n*, euphoniæ causâ, migrante in *l*. 7. Hic idem valet, quod impermixta, non composita &c alioquin *simplex* propriè, in se, & etymologicè, sonat *sine plicâ*, hinc quando dicimus, *explicit* pro *desinit*, ut in illo meo; *Explicit* at praxis manualis cætera pandet. Sensus est, *ex plicis* solutum est, quod in fine, dum tractando desistimus, res plerumque sint perspicuæ, clæræ, nihil scilicet amplius *plicarum* habentes; Sic *implicitè* & *explicitè* usurpare ferè solemus pro latenter & patenter, tanquam *intra*, vel *extra plicâ* positum &c.

Hic item imaginem appingere conceperam, ad quam inveniendam & astituentendam, hæc vice non potui mihi suffragari tempus.

Auto



1. Hic pro constituto, determinato &c cæteroquin *certus* propriè est clarus, apertus, indubitatus, à *cerno* pro video, quod ea, quæ *cernimus*, clara sint, indubitata, perspicua &c.

2. Philosophicè hîc sumitur & intelligitur, utpote pro humiditate vitali, naturæ intimo, optimo, nucleo &c nec inscitè; vocabulum quippe *aqua* conflatum atque compositum esse videtur ex *a* & *qua*, quasi à *quâ* vivimus &c.

3. i.e. Separatus, segregatus &c quia *sejugis*, *e*; vel *sejugus*, *a, um*, adjectivum est contractum ex *sejugatus*, id est, *sejunctus* à *jugo*, quod à *jungo*, hoc est, *in unum ago*.

4. Hîc idem valet quod *sit*, quia *asto* rectè subinde usurpatur pro *sum*.

5. Extra versum tamen, & in opere tuo, rectius leges *conspectum*, quàm *repertum*.

Etiâ reliquum hujus paginae, non appositæ imagini sive figuræ, calvum relictum est.

Auspi-

mille opifex est? • Hoc maris est Sal
Auspicia
PROPHETIDIS PROPONTICÆ.
 In parvâ¹, calido, se mole¹ coagulet ipsum;
 Extepidus² suus undecuplex fluidusque vicissim,
 Mox addatur
 in æquore nostro: Nonne faber Terræ ille
 nostri, quod nat

1. In parvâ mole, hîc valet, in exigua quantitate; alioquin est *moles* etymologicè res grandis & ponderis ingentis, sortita nomen à *movendo*, quod ægrè possit *moveri*.

2. Hîc pro subfrigidus; aliàs propriè loquendo, dicitur *extepidum*, quod *extepui*, hoc est, non est amplius *tepidum*, id est, frigidum vel calidum; *extepidus* ergo fluidusque aër æquipollet his dictis Philosophorum, Lac virginis, Frigidulus liquidusque spiritus &c.

Pars potior insuper hujus paginae, non exarata, expectat imaginem, sub oculos rem ponentem, quam prætermittere debui, ob festinationem.

tentat.

Simia

vincere

Argumenta.

naturam.

SIBYLLÆ PHRYGIÆ.

Mox addatur huic, abjectis fœcibus, aër;
Spiritus ut corpus, fiatque volatile fixum:

Aſt immor-

cum

• denb

sre

1. Hic adjectivè & translàtè ſumptum eſt, ut ſit idem ferè, quod æmula ars, ſequutrix &c nam *ſimius*, *a*, *um*, adjectivum eſt, à ſubſtantivo *ſimius*, vel *ſimia*, pro eo, quod eſt *ſimiorum*, *ſimiarum*ve, ſeu quod pertinet ad ipſas *ſimias*, ſic dictas, quòd faciant continuò *ſimila*, quali *mimas*, hoc eſt, imitatrices; aut fortè, quia *ſime* ſiut, id eſt, naribus depreſſis.

2. Vide paulò infra Sortilegia Sibyllæ Erythræ, glosſemate primo.

Partem adhuc majorem hujus paginæ, quæ charactere non inſignita, imagini ſive figuræ adſcripſeram; niſi, intemperie præventus, omittere eam debuiffem.

Arche.

eterna; si vicerit ignis.

Vis

si

vincit

Archetypa

PSALTRIÆ TIBURTIS⁵.

Ast immortalem quia vis evadere Boschem⁶;
Munc⁷ tuum semper fac Sal Centrale superstit⁸;

Totius elixir

autem


Res perituræ: Res

conunt

amb

1. *Vis aqua*, hic est idem, quod summa *volatilis*; substantia, sive natura *solativa* &c.
2. Vel *effluit*: ambo enim composita sunt à *fumi*, idem quasi significantia, quod *simplex* *fio*.
3. i. e. Robusta, fortes, constantes &c nam *quernus*, *a*, *um*, adjectivum est à *quer-*
nus, quod tropologicè usurpatur pro re durâ, forti, & infractâ &c.
4. In præsentî textu est summa *fixa*, substantia, sive natura *coagulativa* &c.
5. Aliter & vulgariter *Tiburtina*, quia *Tiburs*, *g*, *us*, qui oriundus, vel quæ oriun-
da est *Tibure*, quod oppidum est Italiæ, haud procul ab Urbe Roma.
6. i. e. Hermeticam tuam avem; est siquidem *Boscha*, *a*; vel *Boschis*, *idis*, seu *Boschis*:
& *Boschus*, *adis*, volucris, quæ clausa pascitur: itaque similitudinariè, argutè ac astu-
tè ponitur, pro hoc glorioso Philosophorum, naturæque foetu.
7. i. e. Plenum munere, quia *munis*, *e*, est quasi officiosus, seu qui lubens *munda*
præstat, hinc composita *communis* & *immunis*, qui nullo scilicet fungitur officio.
8. Hic est, *superes*, vincat &c.

Partem præterea hujus paginæ imagini quidem dicarum, sed tamen
affingere atque appingere eam modò non potui.



1. Hoc est, vis Dei, rerumque novatrix; seu ratio illa divina, artificialisque facultas, à quâ cuncta sunt procreata: dicta enim ab eo est *natura*, quod aliquid nasci faciat.
2. Hic pro separavit, alias *sequestro*, as, propriè est depono apud *sequestum*, sive *sequestrem*; dictum inde, quod *sequatur* pars utraque fidem ejus, qui electus est.
3. i. e. Conjunxerit, connexerit, composuerit &c. Dictum enim *junga*, tanquam *in unum ago*.
4. Hic pro officio, re, partibus &c. Cæteroquin communiter accipitur pro dono, dato &c. Dict: ab eo, quod, qui *manus* sunt animo, id dent officii gratiâ.
5. i. e. Philosophorum tinctura, essentia quinta, magisterium, mysterium &c. *Elixir* quippe vocabulum est Arabicum, quo communiter spiritum ab auro, vel herbâ, aut vino, ritè extractum, asservatumque denotant; forsan à verbo *elixo*, as, quod interpretatur, aquâ coquo; unde participium *elixatus*, contractè & usitatus *elixus*, a, um: *Elixir* ergo dictum quasi *elixum*, hoc est, aquâ excoctum; nam Veteres aquam dixerunt *lixam*, unde & *lixæ* dicti sunt, qui vilioris quæstus ergo, exercitum sequuntur, utpotè lavandi, aut coquendi gratiâ; à cinere, qui Antiquis *lix* dicebatur, à quo tandem *lixivis*, id est, aqua, in quâ, lavandi gratiâ, decoctus est cinis *lix* &c.
6. Antiquitus sic, & necessitate metri, pro *exibit*.
7. i. e. Et delectaberis; *gaudere* enim propriè est, *genialiter*, tacitè, & apud se lætari, neque respicit aliud: quia tunc dicimur *gaudere*, quando re aliqua exhilaratur animus, nullum tamen ejus foris apparèt indicium; Contra autem lætari quis dicitur, quum ita movetur animus, ut in vultu & gestibus, lætitiæ signa prodantur &c.
8. i. e. *Pepigit*, nam *enixe* propriè dicuntur scæminæ, quæ partus dolore levatæ sunt, quasi *evitantes*, à simplici nitor, quod est, *conari sub onere*; metalepticè pro, multo molimine & labore, aliquid perficere &c.
9. i. e. Tua materia, mater, &c. Revise suprà monumenta Deiphobes, glossmate *nono*.
10. i. e. Sapientum crocodilo, *basilisco* &c. Est enim *Vopiscus*, i, m, g, quem mater vi *apiscitur*, id est, cum difficultate acquirit; vel qui ope naturæ servatur, cui & opem fert; absolutè ergo illud, quod venit ad perfectam suam nativitatem, seu ortum, scilicet *discum*, dicitur *vopiscus*.

Pars demùm paginæ bujus ordinatâ erat imagini, sive figura, quam festinatio non patiebatur adjungere.

Specu-

Speculum Minervæ¹ compellucidum²,

in quo

Philosophorum gemma tum³ stemma
planè ac sanè repræsentatur;

Clariùs antè novum nunquam hoc innotuit Ovum.

est.

Per

chaos *

antiquum⁴

res

Mundi

semper

eodem

Jo.

Sunt,

fuerunt,

LI 3

I. i. c. Sa-

SPECULI MINERVÆ
SPECUS.

L Inca⁵ naturæ vulgaris, lanca⁶, lenta;
Unica, simplaris⁷, penè & ubique Maga⁸ est.
Rem vilem⁹ recipitque rudem, sic perficit omne,
Scilicet ex Raudō¹⁰, quidquid in Orbe vides.
Unimodus motus, globus est, & sphærica moles¹¹,
E cujus veniunt¹² quæque sub axe¹³ sinu¹⁴:
Artista ergo, velut naturæ Simius¹⁵ alter,
Sic quoque, *continuo qua jacet ante pedes*,
Rem sibi debet eam bene notam sumere priscam;
Terram is adhuc sol, qui semper obivit, obit.

Orbe

novum

in

enim

nil

crunt:

&

1. i. e. Sapientiæ Antiquorum; nam Veteres myſterialiter *Minervam*, quæ Dea eſt diſciplinarum, pro ſapientia poſuerunt, quaſi *Muſarum nervum*: Sed aliis ſic dicta videtur à *monendo*, quòd rectè benèque *monet*; aliis autem à minuendo, forſan quòd *minuat nervos*, ingenii ſcilicet & cerebri; aliis porro à *minando*, quaſi *minans vim*: quippe pingi ſolet militaribus *minitans* armis, & ægide, umbone, haſtâque reformidabilis.

2. i. e. Valdè *lucidum*, quaſi *per totum ſimul lucidum*.

3. Hic copulativè ſumptum eſt pro *Et, ac, atque, nec non, &c.*

4. Per *chaos antiquum*, id eſt, cunctarum rerum initium, quaſi *ante ævum*; nam ante Deos Deasque omnes fuit natum, dictum ſic à *χῆος*, id eſt, *fundo*, eò quòd fuerit *fuſio*, hoc eſt, *confuſio*, & mixtio elementorum omnium.

5. Hic eſt, ductus, tractus, ſive curſus &c.

6. i. e. Reptitia, non propera &c adjectivum enim eſt à *lana*, peroptimè competens naturæ, quæ *lanceis* lentis que partibus *et* ſequè incedit.

7. Idem eſt, quod *ſimplex*, cujus copioſiorem reſolutionem legere poteſ in Inſcriptis *Sagæ Cumææ*, gloſſemate *ſeptimo*, vel *ultimo*.

8. Hic idem valet, ac ſi dixiſſem, *Plerumque agit, vel operatur, modo nobis incognito: Magnus* namque, dictum ceu *sagus* (vox Perſica, quâ apud eos ſignificatur ſapiens) & ſubſtantivum eſt, & adjectivum, ſicuti *sagus*; à *magia*, quæ eſt conſummatus naturalis philoſophiæ apex, ſeu ſcientia rerum naturalium omnium abſolutiſſima, quaſi *maxima ſophia*.

9. Vide inferiùs, Phœnicis ſive Helenæ ovum, gloſſemate *decimo*.

10. i. e. Re rudi & imperſectâ; *Raudus* quippe, *Rudus*, ſeu *Rodus*, ſubſtantivum eſt, ſignificans rem *rudem* & *præcrudam*.

11. Hic propriè ſumptum eſt, ſcilicet pro re grandi & ponderis ingentis, ſecus quàm ſuprà, in *Auſpiciis Prophetidis Propontiaæ*, gloſſemate *primo*.

12. Hic pro *crescant*, *proveniunt* &c.

13. Hic toto pro *coelo*, univerſo ſublunari globo &c *Alloquitur axis* propriè ſignificat lignum illud *tores*, ad quòd vertitur *rota curris*, ita dictum ab *agendo*, eò quòd *rota* circa illud *agatur*, id eſt, *moveatur*.


14. Hic pro *intimo naturæ reſeſſu*, *velario*, *gremio* &c.

15. Vocis *Simius* ſi ſcire aves analogiam, reviſe ſuprà *Argumenta Sibyllæ Phrygiæ*, gloſſemate *primo*.

Jovis¹ aperta transfenna,

per quam
Opalia² ingeniosæ³ architectricis³
facile est conspiciere:

Sistitur hoc simulacro nuda Diana⁴ lavacro.



1. i. e. Totius naturalitatis; nam *Jupiter*, apud naturæ mystas, ponitur pro elemento ignis, sive integrâ rerum universitate, huc spectant illa; *Jovis* omnia plena, *Jupiter* omnipotens, Regum, rerumque, Deumque Progenitor, Genitrixque Deum, Deus unus, & omnes, &c. Eo quod res sit nulla, quæ sic omnia *juyet* ac foveat, quam calor natus: Quemadmodum ergo Prisci *Jovem* à *juvando* nuncuparunt, sic econtrario *Vejovem*, id est, *malum Jovem*, appellaverunt Deum, cui *juvandi* facultas esset adempta; Antiquitas quippe quosdam celebrabat Deos, ut prodesse; alios, ut ne obessent, placabat & Dictus porro *Jupiter*, quasi *Jovis pater*, unde compositum atque conflatum est, propter quod, rigore se loquendo, habere non debet, minus sanâ consuetudine, in genitivo *Jovis* (cùm hic genitivus sit à nominativo *Jovis*) sed *Jupitris*, vel *Jupiteris*, qui primò, ut retuli, appellatus est *Jovis* à *juvando*, postea autem, adjecto altero vocabulo, baptizatus est *Jupiter*.

2. i. e. *Optimitates* & festivitates *Deæ Opis*, quæ fuit uxor sôrorque Saturni, quâ terra denotatur, acutissimè verò sic, ab antiquo scilicet adjectivo *opis*, quod Majores nostri pro divite usurpabant, quemadmodum nos adhuc *inopem* appellamus pauperem & egenum: Veteres namque, quorum præcipuæ *opes* consistebant in re pecuariâ & agriculturâ, Terram hujusmodi *opum* largitricem divinis quodammodo extulerunt honoribus; ipsâque *Opem*, hoc est, *opulentiam* nominârunt; Hæc eadem etiam vocatur ab iisdem Priscis, minimè inscitè, *Mater magna*, *Matérque alma*, quod omnia *alat*, itémque *Mater Deum*, quasi Cœlites omnes, antè in terris fuissent progeniti, & postea, ob insignius aliquod meritum, in cœlum transvecti: nec præmiiùm forsan aberrabit ille, qui & hoc singulare in mysterium assignet & c. Pluraliter valet potentiam, vim, facultates, mammonæ copiam & c. Quia divitiæ penè omnes petuntur à terra; latitant, generalcûnque, in & è terra, hinc ista, Effodjuntur *opes*, Operiuntur *opes*, Ingenerantur *opes* & c. Dicta quidem indè putatur, quod hujus *ope*, vita hominum sustentetur, seu quod hæc omne *opus*, & hæc *opus* ad vivendum; Vel, sicut humus ab humiditate nomen sortita est, ita quoque *Ops*, græcè *ἰσῆς*, id est, succus, humor, unguen, lac, quod immulget & indulget nobis terra huber uberrimum & c.

3. i. e. *Natura*, quâ nihil ingeniosius, nihil sapientius, nihil sagacius, & c. Vide suprà Sortilegia Sibyllæ Erythræ, glossemate primo.

4. Inspice Lacinisaum posteriorem, superius glossemate quarto.

5. i. e. Momento, articulo & c.

6. i. e. Pro ratione temporis.

7. Perulstra Ovum crocodili, inferius glossemate decimo.

8. i. e. *Functa una* tantum, dicitur autem *unijugus*, a, um; & *unijugis*, e, quasi trahens, habens, tenens, vel gerens *unum jugum*.

9. Hic est, linearis, lanaris & c. Etymologiam hujus habes superius, in Inscriptis Sagæ Cumææ, glossemate ultimo.

10. i. e. Decenter, rectè, bene & c. Dict. à *ritu*, propterea quod, quæ secundum *ritum* fiunt, *recta* sint & *rata*.

11. i. e. Operationis suæ.

12. Hic pro separat, ut & in Sortilegiis Sibyllæ Erythræ, glossemate secundo.

13. i. e. Omne, quodcunque & c. Quia signum est universale.

14. Hic est corruptendum, destruendum & c. Aliàs *perdo* propriè est amitto.

15. Hic metaphoricè pro complendum, perficiendum, conficiendum & c. Alioquin *pater*, a, propriè est, liberis do operam, quasi *patris opus ago*.

16. Hic similiter translative sumptum est, utpote pro *natum*, generatum & c.

17. Hic pro custodiendum, conservandum, reponendum & c.

18. i. e. In medium proferet, quasi *promet*.

19. i. e. Perquirendo, discutiendo & c. Quia *peragrarè* eleganter & metalepticè est idem, quod indagare, pervenari & c. Quasi inquirendi gratiâ, *agrum* circumire & c.

OPERIS

GRANUM ERUTUM.

271

OPERIS
PHILOSOPHICI

Glyphica Hebdomas,

Sen

TYPICA PERFECTIO.


Mm

Orbis Sol.

CHYMICA VANNI

Orbis SOLIS

*Quasi Solus, quod dictio Solis, siue Salus,
mysteria sua sumpta typice et optime
materiam Sapientum prædefigurat.*




Orbis Lume.

GRANUM ERUTUM.

Orbis
LUNÆ

*Quod via procedendi sit lancea, linearis & una:
Pars tele hujus Hermetice hyemalis.*




CHYMICA VANNI

Orbis

MARTIS;

Quod ad hunc perungere summe sit molis & aris:
Pars vernalis.



I. id est Fœtorem suam: esse enim embryo, sive embryon, proprie madulus fructus, sive fetus, adhuc in utero materis, antequam lineamenta speciei sue habeat. 2. id e. Clara mater aque, quasi eliquida, hoc est, valli liquida & lucida. Revise Aphorismos Pythionis & Delphice, septimo glōssæ Nymphae.

Orbis Martis

GRANUM ERUTUM.

Orbis

MERCURII;

Quid in eo totius sit magisterii, seu mercis, cura.

Pars æstivæ.

*

*

*rejectis
ionem*

Meridies Mercurii.

Puris

Ad

sumum

et

*gravibusque
sufficit*

sun



uonbunawon

sis.indf

Orbis Jovis.

CHYMICÆ VANNI

Orbis

MARTIS;

Quod ad hunc perungere summe sit in
Pars vernalis.

GRANUM ERUTUM.

Orbis

HERCURI

magister, seu magos, cura.

Typus

Nympha³
fucilex



cliqua².

hene



Sal
egras

fucilex,
humilisque

Orbis

Orbis Vener.

GRANUM ERUTUM.

Orbis

VENERIS;

Quod ordine huc usque Unigenitus venerit:
Penſum triduanum.

memento
amicis.

Vexillum Veneris.

Hinc
Sobrius

viciſſimis

Lac. 2

unigenitus



1. id est: Per vices, ſive Viciſſim; ſumptis dictione Viciſſis adverbialiter. 2. Hoc idem eſt, quod inſcriptum monſtra-
tur, ſpirale ſumentem, nutrimentum. Sic. Dictum autem Lac à Laciendo, quod per illud infantulus, ad mortis mem-
bris, allocatur.

Orbis Saturni.


CHYMICÆ VANNI

Orbis

JOVIS;

Quod unice magis opus ingenio & judicio quovis:

Pars autumnalis.




GRANUM ERUTUM.

Orbis

VENERIS;

Quod ordine huc usque Unigenitus venerit:
Penfum triduanum.

*



1. id est per vicibus sine Vicibus; sumptu ditione Vicibus adverbialiter. 2. idem idem est, quod infirmitas, menstruum, spiritale fomentum, nutrimentum. &c. Dicitur autem Lac à Laciendo, quod per illud infirmitas, ad mortis manibus, alligatur.

Orbis Saturni.

CHYMICÆ VANNI

Orbis

SATURNI;

Quod satur^I color in coronide² lauta prodeat urna³:
Pensum quotidianum.

*

Sacellum Saturni.

Natus
Non

ut
hanc

omne
cum

coronari
multis

Rex
Veneris

posse
Ipsius

in
fit

avum
usus



1. Sic idem est, quod perfectus, plenus &c. qui scilicet non amplius nutritur, vel inficitur, ut aliquid ulterius tincturæ adhibeat.
2. I.e. In fine operis, seu coronatione ejusdem; dictum enim coronis idis, quasi corona operis. 3. I.e. Ingenti cum pecunia; quia, una, ex usu antiquorum, ponitur pro magno sortis vel fortune lucro &c.

PHOENICIS sive HEL.

GRANUM ERUTUM.

279

Phoenicis five Helenæ^a

O V U M.

id est,

Lapidis Philosophorum

Orthophysica & germana² materia.

Tetra³ mea est facies⁴, similis sed. spiritus athra.

prodit.

Milleni

nomine

Hoc

Ovum Crocodili,

N O N

Crocodilinum⁶.

terra⁵

Soligenam quicumque studet reperire volūcerem,

Non gerat abstrusis turgida corda typis⁷:

Non propter⁸ solem, supràque in nubibus altis;

Inferius sed H U M I quærere debet eam.

Regius hic ALES sequitur vestigia Christi,

Sit tractans humilis filius Artis eum:

Dedignans tria naturæ celeberrima Regna,

In Terra inque imo vult residere toro⁹;

Ludat enim ut, semper speculantes alta, superbos,

Proprius¹⁰ est ejus cernua¹¹ TERRA locus.

Sitque Dei magis omnipotentia digna stupore,

Phoenicis en Ovum est facta revolis¹² Humus.

Scire ergo quisquis *Benedictum Hoc* discupit¹³ Ovum,

Definet in cordis SIMPLICITATE sui.

Ovum

quærendum

manque;

Phoenicis

quater

Quond

Na

I. Titulo

1. Titulo huic, de ovo *Helenæ*, locus & occasio facta est, ex mystico illo ac peringensio Antiquorum invento, quo historiârunt, formosissimam puellarum *Helenam*, Nemesis & Jovis fuisse filiam: Nam Nemesis, cum ea Jovis concubitus fugeret, mutata fuisse in anserem; Jovem autem, in cygnum versum, ipsam supervenisse, id est, iniisse memoratur. Nemesis verò, ex eo congressu, peperisse ovum, idque in nemore opilionem quandam invenisse, atque allatum Leda dedit, hanc porrò conditum in arca reposuisse, & suo demùm tempore, ortam ex eo fuisse *Helenam*, quam perinde, ac si de se fuisset nata, Leda educavit &c. 2. Hic pro vera, sincera, non fucata &c Aliàs *germanus*, a, um, propriè & ex nomine est, quod *germinavit*, hoc est, genitum est eadem stirpe. 3. Summopere scio mirabitur Artis Adeptus, dum pensabit & sentiet, ut acutè hic quadret vocabulum *terra*, sumptum nimirum materialiter, atque unà tam astutè ad nomen materiæ nostræ alludens, quæ reverà dicta est quasi *terra*. 4. i. e. Exterior forma, species, figura &c Quia absolute dicitur cujusque rei superficies *facies*, utpote à *faciendo*: nam sicuti ab aspectu species, à fingendo figura, ita & à *faciendo*, vel à *factura* corporis, dicitur *facies* &c. 5. Periphrasis pro ubique, ut enim dicimus, *Mare vel maria coelo miscere*, aut *confundere*, pro omnia turbare, & nihil non facere; sic quoque, *Mari terræque quætere*, pro ubique, & in nullo non loco. 6. i. e. Intortum, intricatum, falsum, sophisticum &c Quia *crocodilus* analogicè dicitur quæstio sophistica, propriè verò est animal quadrupes, de genere amphibiorum, tam in aqua, quàm terra vivens, quasi *vix duplicis*, quòd in ambobus dictis degat elementis, & non terrestria tantum, sed aquatilia quoque desideret: Figurà perhibetur lacertæ non admodum esse ab simile, magnitudine verò penè incredibili, ungvibusque exarmatum, soli *Ægypto*, & iis regionibus, quæ alluuntur Nilo, cognitum; cute adeò est obdura, ut nulla sui in parte, præterquam solo in ventre, possit pertundi; Non igitur de nihilo, neque abs re, illud in similitudinem traximus cum *Pythone Philosopho*, nullum siquidem est animal, quod ab initiis tam exiguis, in tantam excresecat magnitudinem, cum ova ejus anserinis non majora sint; at hoc illi peculiare creditur, ut, quamdiu vivit, crescendi nullum faciat finem; Quatuor hyemales menses non comedit, & sola bestiarum existit elingvis; Cæterum est hæc *bellua* terribilis contra fugaces, fugax econtrà in insequentes, oculos habet in aqua hebetes, extra autem visus acerrimi; hominem ubi viderit, emittit lacrymas, quem appropinquantem mox devorat, indè in proverbium cecidit, *Crocodili lacrymæ*, quod dici solet de iis, qui, pietatis sub velo, alios fallunt &c Dictus sic porrò, mihi quidem, per antiphrasin videtur, quasi *crocil diligens*, hoc est, devitans; quoniam fugit crocum, nihil *crocum crocodilus diligit*, ejusque vel odorem reformidat, hinc, mella conficientes in *Ægypto*, *crocum* priùs solitant infernere, ne mel absumant *crocodili*, nam mirum eo in modum delectantur. 7. i. e. Variis & sublimibus ideis, phantasiis, rebusque reconditis, de themate consule lexicon græcum. 8. Hic idem est, quod penes, vel apud, juxta, prope &c Ut in illo, *Propter humum volitat*, ponitque in sepibus ova &c 9. i. e. Ultimo, vel infimo loco, quasi *topo*, quia *torus* frequentius idem est, quod locus, solum, mansio, habitatio &c. 10. i. e. Suus, dict. à *prope*, fortè quia hoc, quod *proprium*, maxime *prope* est. 11. Hic pro despectissima, contemptissima &c Aliàs *cernuus*, a, um, propriè est inclinatus, quasi *cernens deorsum*. 12. i. e. *Valdè vilis*, particulà re significationem augente, & non reiterationem denotante, contrà quàm fieri solet in verbis; in nominibus enim, præcipuè adjectivis, est ferè particula intensiva, ut *recatus*, *recavus* &c Id est, valdè canus, cavus, &c Eodem ergo modo, *revilis*, id est, *valdè vilis*, seu potius, dupliciter *vilis*, dict. à *villa*, quòd omnia in *villis* *viliora* soleant esse, quàm in urbibus. 13. i. e. Anhelat, ardentèr cupit, quasi *dupliciter cupit* &c.

Phæ-

Phoenicis excubatio.

id est,

Operis Philosophici pars prior;

sive

Lapidem Philosophorum auspicandi¹ atque inclinandi²
manualis, plana, & practica Methodus.

Nobilis hac mundis volucris confurgit ab undis³.

Qui⁷

natat:

venit

Helenæ nativitas

ex

O V O.

Aptum principio⁵ quendam secerne⁶ recessum⁶,
Quo⁷ vitreus nidus⁸ perbene tutus erit:

Utque suis gallina indefesse incubat ovis,

Blando sic & agas usque⁹ calore fovens;

Ovum molle¹⁰ tuum donec putrescat ab intra,

Súbque albâ Parvus cortice Pullus erit;

Qui tacite crescens, nec non implumis alescens,

In bellè alatham tempore surgit Avem.

Sed tunc Artificis gerat obstetricia¹¹ dextra,

Ne volet è nido, munera¹² rite sua:

Propterea niveis

I. Hic

1. Hic est, exordiendi, incipiendi, aggrediendi &c Quia *auspico*, seu potius *auspico* propriè est, *auspicia* sumo de cœlo, ex *avium* cantu gestûque futura *physicula*, de rei eventu *aves consulo* &c Quandoquidem verò Veteres nil nisi *auguratio* vel *auspicatio* gerebant, cessit in usum, ut *auspicari* absolute ponamus dicamûsque pro incipere, & negotium aliquod aggredi.

2. Hic est, fermè conficiendi, pertegendi &c Nam *inclinare* propriè est inflectere; translativè verò dicimus, *inclinare rem*, pro eo, quod est, fermè conficere, vel procudere eam.

3. i. e. à mundis, nitidis niveisque aquis, parte positâ pro toto: fortè autem dicta est *unda*, quasi *una*, quod nimirum in se coacta sit, & velut *una*:

4. i. e. *Bestia bella, fera* &c *Belua* enim (seu ut malunt alii *bellua*) dicta sic est, secundum antiphrasim, ab adjectivo *bello*, hoc est, bono, pulchro &c. Aut potius (ut aliis placet) à substantivo *bellum*, quod *bestiarum* sit, *bellum* sibi mutuo inferre, quibus nimirum natura ad hoc ipsum arma videtur confecisse.

5. Hic adverbialiter pro imprimis, primòquàm, primùm, ante omnia &c.

6. i. e. *Secretum aliquem tibi elige*, vel *excogita, locum*; quia *recessus* in præsentì proposito est idem, quod *secessus*, hoc est, locus *secretior*, turbâ & tumultu *vacuus*, quasi *solus*, & à cæteris *separatus*: nam *secerno* propriè est divido, separo, discerno &c. Ab hujus similitudine, cogitationes reconditæ, quæ difficilè pervestigari possunt, convenienter dicuntur *recessus* animi.

7. i. e. In quo, ubi &c.

8. Hic ferè idem est ac *matrix*; nam absolute omne illud, quod aliquo modo servat, tam in metallis, quàm animalibus & vegetabilibus, vocatur *matrix*, quasi *materia conservatrix* &c. Porro autem *nidus* sat notæ est significationis, dictus à *nidore*, fortassis, quod mali *nidoris*, hoc est, odoris, soleant esse avium domicilia, sive cubicula.

9. Hic positum est pro continuo, semper &c.

10. Id est, minimè durum, tenerum, tactui cedens &c Quasi *mobile*, quod in quamcumque partem faciliè trahi atque moveri possit.

11. i. e. Quæ opem fert parienti, *obstetricius* enim, *a, um*, adjectivum est ab *obstetrice*, id est, parturientium curam habens; dicta sic ab *obstando*, propterea quod *obstet* dolo-ri, vel certè foetui, ne scilicet, laxatis uteri genitalibus claustris, defluat in terram.

12. Hoc loco est, partes, officia &c. Revisita Sortilegia Sibyllæ Erythræ, suprâ glossèmate quarto.

Phoeni-

Phoenicis enutricatio. *id est,*

Operis Philosophici pars posterior; *sive*
Lapidis Philosophorum insummandi¹ atque absolvendi
proba, viva² & realis praxis.

Hâc omne in parte nostrâ stat robur in arte.

Aven.

Ipsa

Helenæ educatio

à

L E D A.

sui

nutrix,

&

semper

alumnæ

libimet:

Nn 3

I. i.e. Cor.

Propterea niveis abscissis ipsius ALIS,
Ac heterogeneis, excrementisve rejectis,
Mox alium mundum in nidum transfundat Eandem,
Lactea perque vices reddat tum³ præbeat Ipsi
Insipidi⁴ propriique sui fomenta⁵ vaporis,

Ut cicur æque ferâ fixa resultet Avis:
Quando namque suas guttatim⁶ devorat alas,

Vertitur⁷ illius Struthia⁷ vita prior;
Et mirè rutilans plumis fit pictaque BOSCHAS⁸,

Gemmea⁹ cui corpus pellis⁹ honore tegit:
Iricolor¹⁰ roseo de vertice crista renidet¹¹,

Et CRUX in croceo pectore RUBRA sedet¹²;
Tinctile¹³ grassatur per membra revivida¹⁴ Virus¹³,

Ossibus in quorum Purpura¹⁵ multa micat¹⁶;
Caudaque pollucet¹⁷, Tyrio¹⁸ perfusa Veneno¹⁸,

Sicque est facta sequax¹⁹ AUREA²⁰ prorsus Avis.²¹

Vena

externi

allic

Hanc

1. i. e. *Consummandi*, conficiendi, perficiendi &c. 2. Hic est, *naturalis*, non mendax, fucax &c. 3. Hic copulativè sumptum est pro *Et*, *ac*, &c. 4. i. e. Non corrosivi, sed delectabilis & innocui, quasi *saporis*, hoc est, acrimoniæ omnis *expertis*. 5. i. e. Menstruum, nutrimentum &c. Dict. à *fovendo*, hoc est, calefaciendo, vel nutriendo. 6. i. e. Per singulas *guttas*. 7. i. e. Mutatur illius prior *fugax* natura, seu *Struthia* ejus & rurestris prior indoles *vertitur*, dictum sic, ut & alibi exposui, à *vere*, quod *verti* tunc annus incipiat &c. Quia *Struthius*, vel *Struthio*, sylvestris, ferox, rapaxque est avis, à quo factum est adjectivum *Struthius*, *a*, *um*, pro eo, quod est *Struthii*, scilicet ferinum, atque tigrinum: nam plurima sunt talia in Latinismo, quæ & adjectiva sunt, & substantiva, ut magister, socius, famulus, faber &c. 8. i. e. Cicurata volucris, quæ clausa pascitur, quasi *bos cicur*, aut *clausus*: vide suprâ in Archetypis Psaltriæ Tiburtis, glossemate *sexu*. 9. Perapposite hicce hîc quadrat versiculus; *pellis* siquidem dicta à *pellendo*, quod externas injurias *tegendo pellat*. 10. i. e. Habens, seu referens *colorem iridis*. 11. i. e. Fulgorem & nitorem reddit, indè substantivum *nidor*, tractum à *nimis odore*. 12. i. e. Aptè quadrat, convenit &c. *sedere* enim scitè & eleganter dicitur vestis, vel aliud indumentum, quod aptum & peraccommodum est. 13. Verbale est à supino *tinctum*, vel à substantivo *tinctus*, *us*, pro *tinctura*, passivè significat id, quod *tinctum*, aut coloratum est, seu quod *tingi*, atque colorari potest, ut *tinctilis* lana: sed in proposito nostro potius sumetur activè, unde *tinctile virus*, hîc valet, semen, vel pharmacum, aut venenum, potentiam seu virtutem habens naturalem *tingendi*, quia *virus* accipitur, & in bonam partem, & in malam. 14. i. e. Multo *vigore* prædita, iterum *viva* &c. 15. i. e. Color *purpureus* & *pulcher*. 16. i. e. Intermicat, extrasplendet &c. Quia *miso*, *a*, propriè est, subinde & per intervalla fulgeo atque resplendo, ut faciunt *mica*, hoc est, ut alibi quoque interpretatus fui, pulvisculi illi, qui in arena, quasi aurum argentumve fulgent, à quibus deductum est verbum *mico*. 17. Hîc valet *multum* & circumcîrà *lucet*, cæteroquin verbum *polluceo* propriè ad Sacra pertinet, significans dedicare, vel vovere; seu potius *porrigere* Herculi libamenta ad aram. 18. i. e. Rubicundissimo salutari colore, quia vocabulum *venenum* medium est, quod tam in bonam, quàm malam partem sumi potest, quemadmodum & *pharmacum* atque *virus*; hæc enim tria generalia sunt, ad illa omnia, quæ naturam ejus, cui ipsa admoventur, valent immutare: proinde salutaria medicamenta, ut *hoc*, ritè dicere possumus *venena*, *virus* &c. 19. i. e. Ductilis, facilis, flexilis, mollis, tractabilis &c. 20. i. e. Fulvida, fulgida &c. *Aurum* enim dictum est ab *aura*, hoc est, à fulgore, vel fulvore &c. 21. i. e. Secretim nata volucris, ales &c. *Avi* enim dicta est ab *avis*, hoc est, locis secretioribus, quibus *aves* maximè delectantur &c.

§. I.

O Quale opus, ô quale opus! Unum opus feci, & omnes admiramini, O Nemefin, ô Helenam, ô Jovem! Out stupendum, quàm occultum myſterium! O Phœnix, ô Crocodilus, ô Nilus! Intelligitis modò ſecretum hoc profundum? O avem, ô ovum, ô opus, O operum ornatum, & natum Sophorum, O operum mirandum opus! Dei hæc ſunt mirabilia, & Omnipotentis prodigia, Summique Artificis Opus, propter quod, non tantum hujus Artis Adepti, ſed & Phyſiographi, etiam arcanorum iſtius neſcii & inexperti, deſumpſerunt ſibi fataliter argumentum, ut affirmarent, eſſe aliquid qualiſcunque Deitatis in Terra, quod luculentis indiciiſus varia illius effecta, quæ indies cernimus ac experimur, teſtantur.

Terram inquit ſcimus eſſe ſolam, quæ nunquam irascatuſus homini, ſed uſque & uſque gratificetur. Aquæ ſubeunt in imbres, tumefcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes. Aër denſatur nubibus, furit procellis: At hæc benigna, indulgens, uſuſque Mortalium ſemper ancilla, Quæ coacta generat! quæ gratis ſpontèque profundit! Quos odores, ſapores, nidoſus! Quos ſuccos, quos tactus, quos colores! Quàm bonâ fide creditum fœnus reddit! Quæ noſtrî cauſſâ alit! Tantundem pluribus prædicatum, in ſtuporem adducere quenquam poſſit conſideratio pietatis clementiſſimorum viſcerum, generoſiſſimique pectoris Terræ, quæ nunquam ſuccenſet homini, nec aliquando ſtomachatur, ſed Deicè ſuffragatur.

Aquæ in pluvias impetuoſas vertuntur, transformanturque in noxias grandines, turgescunt folleſcuntque in fluctus, & impetu in torrentes ruunt, ac ſæpè, cum exundant, beſtias, homines, ædificia tota ſecum abripiunt. Aër horrendum obſcurus, in denſas atrâſque nubes coit, ac tempeſtates, procellas, exitiumque omnibus minitatur.

Vorax

Vorax quævis depascitur, depopulatur, & in favillas solvit ignis, sola ex omnibus elementis Terra usibus Mortalium quanta quanta est! servit & affluentissimè, quæcunque ad utilitatem eorum spectant, profert.

Quantam illa rerum omnium vim, non ad necessitatem duntaxat, verùm etiam ad summam voluptatem eorum, quos sustentat, ultro producit! Quot odora menta olfactui, quot saporès palato, quot lenia & levia tactui, quot colores visui, Quot minéralia, quot plantas, frutices, herbásque sanitati, foecunda & prodiga Tellus gignit!

Et licèt vel consccleratorum hominum improbis, vel brutorum animalium gravibus, sordidisque proculcetur vestigiis, quanquam, inquam, venerabilis & antiqua facies ejus conspurcetur, ac variis dehonestetur modis, tametsi viscera ejus premantur & conquassentur, non eapropter irascitur, non indignatur, Quin etiam hinc occasionem captare videtur reddendi cum fœnore, quod sibi parcè commodatum fuit, quæ verò ad eum modum agit, urbanissimè ac liberalissimè luxuriat, talitérque vices reponendo, peroptimè Deitatis Typum & titulum, útque inter Numina numeretur, meretur: Deitas enim etiam, quod potest, maximum fecisse, & ad summum pervenisse videtur, quando injurias gratius, offensas favoribus compensavit.

§. 2.

HEm symbola aptissima, sed subtilitate plenissima! O verè mysteriosam perappositámque Efernii cum Placidiano collocationem! áne Hæc ergo endogenice divinx incomprehensibilitatis simulacrum est, magnique Archetypi vestigium? annon Hæc Dea est illa immarcescibilis ab Antiquis competenter culta? nónne Hæc emeritissimè casta illa omnium Virgo est, quæ necu-
bi

bi non indies sobolescit , & tamen virginitatis clauſtro neuti-
quam contabescit? nunquid Hæc inquam , indulgentiſſima illa
Mater Magna eſt, quæ omnia nobis è gremio ſuo quàm affluen-
tiſſimè immulget , nec tamen aliquando fertilitate interquieſ-
cit?

Hæc videlicet vera eſt arbor illa Aurea , de qua ſi fructus
avellantur , continuo iterum novi ſuccreſcunt , Hæc pretioſa
Mundi margarita, Hæc vitis illa fructuum feraciſſima, & nunquam
vindemiabilis; uvas albiſſimas rubicundiſſimâſque producens ,
Hæc fontina eſt illa Bernhardina, Fons inquam ille Platonius,
irriguus , profluus, & ſemper manans , in quo lampas ardet in-
extingvibilis, Fons unde innumerabiles, iique amœniſſimi facul-
tatum omnium fluvij promanant.

Hic puteus eſt ille inexhauſtus, qui fortunas & ſanitatẽ mor-
talibus edit , Hic pangæus, hortuſque ille concluſus, ac omnige-
næ fragrantiz pratum, donorum naturæ promptuarium , arma-
rium opum, deliciarum oceanus, divitiarumque theſaurus , auto-
matum opus digitorum Dei, naturæque Genitricis ipſiſſimum ta-
lentum, totius univerſi fornix omni ex parte abſolutus, & mira-
bilium omnium complementum, Speculum pertranslucidum, ve-
rũque incorruptæ virginitatis exemplum.

Hic ad vivum eſt ille Phoenix ſeipſum renovans, ſequẽ re-
vivificans,

Qui fuit indiviſa *unica* ſemper Avis;

Hoc animal illud amphibium , incredibili magnitudine croco-
dilus, qui tantũ paſcitur propter flumina Nili. Eſt profeſſo
Aquila, quæ nidum ſuum in crypticis tenere dicitur , aquila in-
quam, quæ longè ultra ſultorum captum transcendit, & à ſapien-
tibus honoratur.

Sed telos non reperiret *tela* mea, ſi penetraliũs ac diutiũs in
perpetualis huius ſubjecti amphitrite proveherer , ad illiũſque
encomium, quidquid è cosmopœja , ſive mythologia, de illo
myſte-

myfterialiter dici poteft, referrem; quò namque profundius ejusadyta fubeo, continuò etiam admirabiliores alias analogias offendò, quamobrem dicis gratiâ portum ingrediar, ductâ priùs myfticâ quâdam ab illa fymmetriâ, & relatâ hâc brevi, fed cæteròquì certiffimâ ad notitiâ iftius attingendi viâ.

§. 3.

Quifquis profundæ Noſtræ Sapientiæ particeps vult eſſe, in ſimplicitate & humilitate cordis fui illam quærere debet, quia materia noſtra cognitu atque conſpectu minimè ſublimis eſt, ſed vilis, humilis ac ſimplex, alta ſapientibus penitùs occultatur, & non niſi ſui ſimilibus manifeſtatur.

Omnis penè error in hac Arte provenit ex nimia ſubtili imaginatione, dum quiſque ſibi rem novam, & inſolitam excogitat, cùm tamen nihil communius, nihil antiquius, quàm chaos; aperiatur Terra & germinet Salvatorem, quid opus velle in aëre, quando debemus in aqua piſcari?

Fui non longo abhinc tempore, ſed ante dies valdè paucos, cum Doctore quodam, magis opulente, quàm prudente, in navi, & orto ſermone (ut fieri amat inter filios Artis) de hac materia, reſpondebat mihi his ipſiſſimis verbis: *Cognoſco quidem ſatis verum Philoſophorum ſubjectum, ſed ego hoc tam ſubtiliter concepi in meo intellectu, ut meipſum explicare non poſſim, multò minùs aliis interpretari.* Hem facetaſ infantiam! jure optimo itaque mihi liceat dicere, verè Ars hæc merum Dei donum eſt.

Viva, ipſâque proba materia, diſertè paſſim & apertè, apud omnes ferè veros Philoſophos traditur, & tamen centies milleſimus eam certò non cognoscit, quod eſſe nequit, niſi Deo ſingulariter ſic obluſtante, cùm ſine numero ſint hodierno tempore viri docti, acie ingenii præditi perſpicaciſſimâ:

Aureum enim appelletis hoc noſtrum ſæculum à renatis ſic artibus, & ingenioſorum hominum ubertate; Jovis menſa ſi nunc ſupereſſet danda (quemadmodum olim trium pulcherrimæ) omnium

nium absolutissimo arcanorum magistro, etiam in orbem iret redirétque, necessum foret, ita ferè ubique maximi inveniuntur Philosophi.

Rem ego hîc, & plurimis aliis insuper locis (vel omnium facile ultimus) simplicissimè, etiam ex intentione, tango, nomino, nuncupo, & equidem non defuturos credo, qui dicturi sunt, me vel ipsum non capere, quæ scribo, vel obscurissimè egisse, quod totum oritur ex illorum superbia, seu putatitia & propria sagacitate, intellectum suum, in mirabilibus Altissimi, subdere aut captivare nolentium, sed semper alta sapientium, quibus Deus obstitit:

§. 4.

NAm augustissima ars nostra Alchymia perintegrè assimilatur sacræ scripturæ, sublimi illi scholæ Christi, quæ est altissimus amnis, in quo agnus ambulat, id est, simplex proficit, & Elephas natat, id est, doctissimus quisque opinionibus, erroribus, & dubiis suis fluctuat.

Confiteor tibi Pater, Domine coeli & terræ; Quid quærò speciose ante filios hominum? Quia abscondisti *hanc* à sapientibus, & revelasti *eam* parvulis, id est, Humilibus, simplicibus, pauperibus, & insipientibus mundi censurâ.

Super quem enim alium requiescet Spiritus Dei, Spiritus ille sapientiæ & intellectûs, Spiritus subtilitatis & consilii, nisi super humilem, simplicem, & modicum corde? Cor humiliatum locus est spiritûs sancti, ut in eo quiescat, quod implet; cor autem, in quo vulpès foveas habent, hoc est, astutia dolosa possidet: cor, ubi volucres coeli nidos habent, ventosa obtinet elatio, non est sedes spiritûs sancti, sed spiritûs maligni, spiritûs hujus mundi, qui dominatur in filios propriæ confidentiæ.

Habitat Deus lucem inaccessibilem, sublimis, immortalis, & æternus est, cujus domus repleta est odore ungenti; superbis corde resistit, cum simplicibus sermocinatio ejus: Parvulis, humilibus, & abjectis est facilis, & alta sapientibus, magnis ac infla-

tis aditu difficilis. Cùm essem parvulus in oculis meis , magnus in Arte factus sum :

Nam ut ad convalles aquæ, sic ad humiles gratiarum doctrinarumque Dei torrens procliviùs delabitur. Non ille quippe ex Aquilarum aviùmque illarum genere est, quæ penes solem, in nubibus, in pinibus nidificant, sed ex gallinarum, earumque volucrum, quæ in humili, in casa, in tugurio, ac crebrò Humi; id est, arrogantes, altumque volantes spernit, & ad submissi animi homines divertit.

§. 5.

QUicquid próinde veræ sapientiæ inveniri potest, sive in toto hoc terreno incolatu, sive in superno illo Beatarum Mentium domicilio, à Domino Deo est, induta habitu humili, simplici & abjecto, ut alta sapientibus penitus ignota sit, & non nisi ab humilibus ac abjectis agnoscatur, ubi *humilitas*, ibi *sapientia*; quia humilitas index est, & custos sapientiæ, ut superbia stultitiæ. Hinc enim Socrates, illud humanæ sapientiæ ceu quoddam divinum fanum, solus erat denunciatus sapiens ab Apollinis oraculo, quòd in se ipso tam esset modicus, ut ingenuè diceret, se *nihil scire*.

Similiter Solis ille Justitiæ illustrissimus Lucifer (is fuit Joannes Baptista) quia humillimè esse se vocem confessus est, aërem, ventum, idcirco in tantum est exaltatus, ut ipsius Divini oris decreto, nullus esset major ipso inter natos mulierum.

Beatissima illa omnium Virgo Maria, quia suppliciter de fundo cordis respondebat, se servam, ancillam, eapropter sola digna inventa est, è quâ nasceretur Deus, & de cujus CrySTALLINIS visceribus ederetur Messias.

Ex Prophetis, quos lex vetus habuit, nullum majore spiritus luce cælum donavit, quàm Davidem, quod ipse satis indicat, cùm pro tam infinito beneficio, immortales Deo grates rependat, inquit, *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*: & tamen
Chri-

Christus ipse, sapientia Patris, nōne in persona Davidis locutus est? *Deus tu scis insipientiam meam!*

Concludendum itaque consultò, neminem vel acutissimum quemque, ad sublimis scientiæ, veræque hujus sapientiæ penetralia, posse pervenire, qui itineris suis ducem Humilitatem fuerit dedignatus.

Hæc ubi scripsissem, mox solus nocte relictus,
Undique Lethææ rore rigabar aquæ.

His, inquam, ita relatis, vulgatis, à me versis, facetus meus, sacerque Internuntius Mercurius, ocyssimè duxit se, & disparuit.

Hæc postquam sociâ mecum sub voce peregit,
Se Citipes oculis abdidit ille meis.

Reversus ad eos, à quibus venerat, adeoque paratum plura componere, sic caduciter deseruit, ut orphanus nunc, attonitusque repentino illo Caduceatoris abscessu, non satis equidem sciam, quid dictis ejus addere commodè possim, nisi hanc extremam consortii nostri clausulam & fidem, scilicet, facillè forsan se propediem (modò rectè priùs, hanc gratiam favorémque suorum, Orbi aliquid arrisisse, percepisset) ex inferorum illis Basilicis Laribus, ad me fore regressurum.

Fatalis interstitio.

1. **B**Enigne Lector, quem hætenus strinxi stylum sisto, neque intendo decaterò aliquid calamo, de hac materia, in orbem evulgare, quamvis etiam Theoleptus Vates triplo instructior, & secundò, tertioque rediret: non quidem, quia sum imparatus, vel laborem refugio, sed quòd vesana scriptio sit ista, à re prorsus vana, quæ ita requirit omnes ingenii nervos, ut quis se, salutemque quodammodò negligat, & ob quam gravissimas frequenter sustinere debet tentationes.

2. Aliàs (quantum pertentare & præsentiscere potui) tota quasi exstructa ac introducta Vannus adhuc sub manibus est: nam habes hic tantum isagogica

gica quedam prolegomena, seu compendiaria praelibamina, comparatione illorum videlicet, quae praelo prodire destinata erant; quod satis quoque ex praecoci, abortivo, monstrosoque foetu licuit animadvertisse, cum caput ventre, pedibus, atque toto insuper corpore majus sit.

3. *Nihilominus esto bene contentus, tacitoque gaudio glisce, paucis enim verum absolvimus, sitim tuam, quemadmodum opinor, usque assatim resedavi, modò rectè ac debitè, ex fonte hausseris.*

**Qui capit, ille sapit, quadratus rusticus absit,
Non sapit hic inquam, qui capit, ille sapit.**

Ceterum rogo, ne quaeso feras acriùs, quodd tibi facta promissa, ratione glossarum, in abstrusiora pleraque vocabula, axiomata & atticismos, astituendum, non servarim, cum propter maximam festinationem, operisque nimiam novitatem, nequaquam potuerim: forsan, Deo dante, fiet excusioe proximâ.

4. *Interea autem, hanc insequentem jamdiu auream intelligenti Commentationem (certi cujusdam de Monte S.) plurimis, iisdemque maximis naturæ & artis secretis scatentem, sedulò ne pigeat tam oculis, quàm animo percurrere: illam examussim, ad Commentoris sensum, ilicet in commune testimonium, latine traduxi, idque tam exactè & excusè, ut ne vel latum unguem, quod meminì, aut in minimo quidem, ab ejus idiotismo, sententia, seu proposito discefferim, sed eà confusione, modo & ordine reliqui, sicut ipsi optimè visum fuerat, vel exciderant: bene agita, & vale, omen do tibi tale.*

PORTUS.

Explicit, at praxis manualis cætera pandet.

COM-

COMMENTATIO

De Pharmaco Catholico;

Quomodo nimirum istud in tribus illis natura Regnis, Mineralium, Animalium ac Vegetabilium, reperiendum: atque exinde conficiendum, per excellentissimum Universale Menstruum, vi pollens recludendi occludendique, tum metallum quodlibet, in primam sui materiam, reducendi.

INSUPER,

Qualiter per idipsum (supple Menstruum) alias fixum illud indestructibile aurum, redigendum sit in verum & inculpatum Aurum Potabile, quod nullo se impotenter artis stratagemate, in solidum iterum aureum corpus patitur reduci.

Cumprimis ab honore Dei gloriosi & excessi;

Deinde in singulare solatium & emolumentum Generis humani, propalata inque publicam data lucem, per &c Atque Londini in Anglia, ab uno eodemque Paraphraste, qui usqueadhuc

CHYMICAM VANNUM


instituit, celeriter, sed tamen fideliter, à Germanismo in Latinismum trajecta;

Ærâ Christianâ Millesimâ, Sexcentesimâ, Sexagesimâ quintâ

Kalendis Octobribus.

CHARACTER ADEPTORUM.

In cruce sub sphaera venis sapientia vera.



Commentor industrius, ingenuoque

LECTORI.

1. **S** Trophis & artificiis, quibuscum mundi hujus filii negotiantur, & infecti sunt, seque quodammodo sustentant, æquiore rationis statera pensatis, & istâ sententiâ profundius cordis mei lamellæ insculptâ, quodd, *Qui querit ditiari, non erit innocens*, suscitatus est continuo in me spiritus meus, de excogitando medio & viâ, quò insons, honestè vivere, proximòque meo proficius esse possem: Idcirco ad notitiam mysteriorum reconditorum explorandam, abdidi me in *Chymicam Artem*, præcipuè ubi repererim, me per hanc eandem scientiam, citra offensam divinam, animæ meæ proximòque securissimè servire ac succurrere posse.

2. Pròinde cùm Omnipotens Deus, factis impenfis ingentibus, perpeffoque labore magno, preces meas audiverit, & me per spiritum suum veritatis illuminavêrit, commotus sum, ex vera charitate Christiana, erga proximum meum, hanc mihi sic misericorditer communicatam lucem, non sub scamno vel mensâ abscondere, sed super mensam ponere, ut circumlucere, & hominibus servire possit: neque enim intendo concessum talentum ex invidiâ sepelire, sed per illud optimè benefacere, Et cùm hoc, per Pharmacum meum Catholicum, valde congruè fieri possit, ideo hoc opusculum, prælo commissum, prodire sivi; nam versiculus habet,

Scire tuum nihil est, nisi, te scire hoc, sciat alter.

3. Hoc autem Opusculo *benevolus lector* in veritate instruitur, videbitque, quòd non ex opinione, aut ex propria mea experientia scripserim, omnia in gratiam Amatorum errantium, solamenque ad Artem anhelantium, & ad utilitatem Doctorum, in quorum omnium favorem, penes me constitui, talem Universalem Orthomedicinam (nempe verum Potabile Aurum nunquam

Pp

redu-

2 INDUSTRIO INGENUOQUE LECTORI.

reducibile) præparare, & in promptu habere, qualem posthac indigentes semper apud me invenient, quâ jam tum mirabiles curas perfeci, videlicet in Phthificis, capitis, aliisque feventibus morbis &c quas recensere hic non necessarium reputo; nam alioquin speciem habere posset, quasi quærerem vanam gloriam, cum coram Deo tester, me aliud nil prorsus intendere, quàm ipsius solum honorem, proximique mei commodum; aliàs enim, tam brevem clarâque Artis revelationem, facere nullus potuisssem.

Præfatio in Commentationem

De

PHARMACO CATHOLICO..

Qualiter verum Amatorem hujus ardui Mysterii oporteat esse qualificatum, & intentionatum.

1. **Q**Uotquot in hoc naturæ lumine ambulare desiderant, esse cumprimis debent, quantum possibile, conscientia purâ, & incontaminatâ, tenerèque firmam ac sanctam intentionem; esse item patientes, præterea adsummum contententes, & sobrietati dediti; Quia in corde gulofo, impuro & vacillanti, spiritus veritatis, nempe Dei, non invenit sibi requiem, nec mansionem, & idcirco gratia divina, Sanctique Spiritus in *Chymica scientia* inspiratio, quæ animæ & proximo prodesse possit, neutiquam speranda: Hinc & cessit in proverbium, *Aut Chymia invenit probum, aut efficit probum.* Nam quantò quis propius ad cognitionem temporalium, periturorumque accedit, tantò immediatius ad Creatorem, ejusque notitiam appropinquat; Et rursus, quò aliquis suum melius, rerumque omnium Conditorum novit, hoc intimius eum ipsum Creatorem suum diligit, seque voluntati illius conformare studet.

2. Om-

2. Omñiscius Omnipoténsque Deus Alpha est & O mega, principium, optatúsque finis, intentionis nostræ scopus, qui nos, per lucis suæ divinæ radios, ad scopum ducere & dirigere debet: beati verò, qui hanc lucem sedulâ ingenii sui acie apprehendunt, pèrque eam illustrantur, & ab erroribus avocantur; Et supposito, quòd ex fragilitate humana, *O probe & sincere Artis Fili*, per continuos tartarei draconis impulsus, de luce in peccatorum tenebras decideres, non desperabis propterea, verùm quamprimùm, cum Evangelico prodigo, ad patrem revertèris, delictum tuum deplorando, & gratiam, condonationémque expetendo: Nam scias pro certo, humanum esse peccare, sed diabolicum, in ipsis perseverare, divinum autem est semper parcere, & condonare: ideo nihilùm dubita, persevera in tuo proposito, cùm etiam Deus majora gratis ingratum dare novit & consuevit, & per hoc recordaberis, quòd, bonæ esse voluntatis, Deo longè gratissimum, sanctissimùmque sit holocaustum, nam voluntatem sequitur tandem actus, hinc illud proverbii;

Si desint vires, tamen est laudanda voluntas.

3. Angeli quoque Domini, non sine ratione, in Mysterio Incarnationis Salvatoris nostri Jesu Christi cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; O Domine, quemadmodum nos illis, qui nos offenderunt, & ulterius adhuc sunt offensuri, peccata præterita ac futura remittimus, & dimittere parati sumus, sic tu etiam condona & dona nobis, veluti nos damus & condonamus, ita prompta bonæque voluntas nostra millesies compensatur.

4. Taciturnitas similiter in scientia nostra non exiguum punctum est, licet enim, ratione tuæ personæ, propter obtentam hanc gratiam, te, erga bonum Deum tuum, exhiberes ingratum, & Sanctum violares, tunc id fit tantùm à tua persona sola, ésque solummodo obligatus, severum ante Dei iudicium, *isto horribili diluvio ignis*, proprios tuos commissos errores excusare ac deplora-

4 PRÆF. IN COMM. DE PHARM. CATH.

re, quod si verò præterea tam malitiosus, impiusque esse velles, & hunc tibi impertitum thesaurum furibus, raptoribus, atque tyrannis diripiendum dares, & manifestares, tunc quoque omne malum, quod ab his patratur, in te foret suscipiendum ac derivandum, quasque ipsemet fecisses, puniendus.

5. Idcirco esto cautus, pone veram lucem, quæ tenebras animorum nostrorum irradiat, continuò tibi ob oculos, quantum possibile, benefac, & instanter propter hanc lucem sollicita, sic tibi Altissimus eam communicabit, oculosque tuos aperiet, ut apprehendere dilucidè possis, quæcunque hic in tuam veram instructionem tractabo: Nam Æterna Veritas precari te iussit, & quoque daturum se promisit: nefas ergo est, cum Deus sit veritas inviolabilis salusque infallibilis, fidelibus dubitare de petitionis efficaciam.

6. In hunc etiam finem ait Christus Dominus, usquemodo nihil petiistis in nomine meo, quodcunque verò in nomine meo petieritis, idem vobis Coelestis Pater meus, qui in cœlis est, dabit, idque propter honorem, & dignitatem Sancti Nominis sui, quia invocatum est nomen ejus super nos, tam terribile, amabile & admirabile, quod est, ad salutem omnium fidelium, in æternum laudabile. *Amen.*

Ver-

Verbum Necessarium,

QUOD

Interpres loqui habet, priusquam pergat.

1. **P**agina obiter transpecta plerumque sordescit, decies perlecta sæpè splendescit. Oportet itaque necessarid, mi optime lector, si quid fructus hic consequi desideres, lectionem tuam aliquoties reiteres, ac attentè perpendas: Nam quamvis res sat crudè quidem & nudè tractetur, nihilominus magnà ceremoniarum pompà involvitur, neque tamen propterea omnia antiquæ nugæ, vel tenebræ sunt, sed est quoque inter illas lux, quam si videre potueris, indubiè est tibi certa ad *Artem* futura dux.

2. Inquires autem, odi ego crepax illud in proprium commodum, & tenax hominum genus, qui videri volunt posteritatem ingentibus beasse thesauris, quando eos vel ipsimet nesciunt, aut aliunde selectos, Sphingico ore propositum eunt: Esto, ut dicis, quid refert, anne gemmæ ed viores sunt, quod bis data? si tu possis eas è sordibus suis eruere, noli sollicitus esse de implicatore ipsarum.

3. Non ergo tibi nausea, vel impatientiæ veniat libido, si statim minus assequi valueris, quæ Commentatione hâc tanguntur, rejiciens fortè culpam in me, credens translationem non bene peractam, quæ certè curiosissimè pensata, castigata, longèque planior est, & methodo illustrior, quàm ipsum Germanicum Autographum, quod stylo non coherente, sed rudi prorsus, tumultuario, vel subituario exaratum est.

4. Siq̃ue tibi cura & sedulitas, quam sumpsi in transfundenda hac Relatione, plenè perspecta esset, non dubito, quin temerè pronunciaturus, jam plus meam esse, quàm ejus, sub cujus nomine venditatur: nam multò citius maluissem talem Libellum de novo composuisse, quàm ex tam nodosis lubricisque chartis resolvise. Id tamen tituli minimè mihi dari volo, sed hoc tantum significare, Authori videndum esse, ut libros scribat, non exscribat, imitari licet, & aliquid mutuari, non furari.

5. Næ ego, duabus signatis tabulis, talia in præsens propositum adferre possem, quæ nemini non valdè mira viderentur: at facere prohibeor, propter

Pp 3

inte-


interiorem Deum meum, ne conscientiae fores nimium feriat. Salvatoris nostri chirographum est: Nolite judicare, & non judicabimini, Nolite condemnare, & non condemnabimini. Felix & verè cautus est, qui hoc secum promissum ad supremum Domini tribunal potest deferre, utique conventa patet non rescindet aeterna veritas.

6. *Insuper, qui alterius intentionem carpit, suam saepe purgare querit; & qui ex alterius mercibus pigmenta prodit, videtur occultò indicare velle, proprias iis carere, praecipue si sint generis ejusdem: emptores ergo soli erunt judices, non venditores.*

7. *Ex his praemissis, non erit alicui admodum difficile, formare consequentiam, quam premo. Veruntamen accinge te, age speculando, dum ad satietatem, legendo & perlustrando, mentem paveris, judicare melius poteris, ubi Philosophorum Mundum, planius & plenius, videris venalem. Vale.*

Caput primum.

De menstruo universali omnium metallorum, & mineralium.


1. c, capite hoc, æquos cupidósque Amatores, summa in veritate, sincero corde instruam atque informabo, idque verbis simplicibus, quæ intelligenda sunt ad literam; ideo attende at verba mea, totiesque lectionem reitera, usque dum fundamentalem intelligentiam, & verum hujus libelli intellectum fueris affecutus.

2. Próinde scias, duas solutiones apud philosophos inveniri; *Prima est*, quando redigitur materia per materiam primam in materiam primam, videlicet in prima sua originalia principia, tanquam in siccam quandam aquam, quæ non solum Mercurius, sed & Sulphur dicitur. Solutio sicca per *Magica* sit elementa igne aperto; *Alia autem* astrale per semen, quod siccus est liquor, qui ceræ instar fluit atque liquefcit; apud hanc solutionem deprehendimus plerumque separationem, quia menstruum sumit sibi solummodo nobilissimam animam, è Sulphure metallico jam prius adepto, idque cum remanentia aliquarum facum.

3. Et quemadmodum hoc menstruum se habet ad Sulphur, sic eodem modo se gerit ad Sulphuris magnetem, nempe Salem, nam hæc de sanguine & statu ejus provenerunt, ideo metallicus hic ignis operatur duntaxat in sui simile, remanet tanquam solvens inseparabiliter cum suo soluto: Qualiter verò, & quibuscum hæc ambæ sublimes reductiones solutionesque confiant, ex sequenti doctrina mea colliges, nimirum per *Magica* elementa.

Caput secundum.

De elementis in genere.

1. uatuor elementa sunt prima fundamenta omnium corporalium: nam ex his elementata omnia provenerunt, & tan-

tanquam ex matre, in hunc mundum edita ac formata sunt; & quando corrumpuntur elementata, resolvunt se eadem rursus in elementa, visibilium verò horum elementorum nullum est per se existens, neque purum, sed secundum magis & minus permixtum, suntque ea in se invicem transmutabilia: Namque fit è terra aqua, & iterum terra, ex aqua evaporata aër, exque condensatione aëris repetitò aqua; ex aëre incenso ignis, ignis hic per extinctionem fit aqua, & hæc aqua per intensius frigus terra, perque calorem lapis, aut sulphur: Hoc totum peragitur elementorum contrariantibus, concordantibusque qualitatibus, ex qualitatibus repugnantibus antipathia, seu pugna oritur, ex conspiciantibus autem, tanquam per sympathiam, subsidium sequitur atque victoria, id est, destructio, quæ est causa novæ generationis; Hinc convincitur, remanetque irrefragabilis è radice veritas, quòd omne hîc inferius de elementis sit ortum, similiter unum in aliud sit transmutabile, & quòd unumquodque elementatum, per proprias suas contrarias, & concordantes qualitates destruat, atque ita, sub alia forma, denuò in sua elementa resolvatur, quia destructio nihil aliud est, quàm veteris formæ abolitio, & qualitatum, in formam novam & essentiam meliorem, elevatio:

2. Quemadmodum nunc omne sublunare, à grossis visibilibusque elementis, originem suam habet, sic quoque ducunt elementa sua ordia, à suis superioribus: nam ut in Archetypo Mundo *omnia* sunt in *omnibus*, sic in corporeo hoc Mundo *omnia* reperiuntur in *omnibus*, modis tamen diversis, pro natura suscipientium: Et sunt hoc modo elementa, non tantum in corporibus coelestibus, ast & in Angelis &c. in inferiori mundo sunt rudes formæ & elementa materialia, superius verò sunt, de propria virtute & naturâ, excellentioris cujusdam coelicæque essentiae, & indè elementa nostra materialia rudia suam trahunt originem; Quia ignis suum habet principium ex Sole, Marte, eorumque domiciliis, aër à Jove & Venere, aqua à Saturno & Mercurio; *Terra* nunc autem suam sumit originem à Luna, & his omnibus: nam coele-

cœlestium influentiarum *Terra* est receptaculum, & rursus, omnium mineralium ac vegetabilium Genitrix &c ope elementorum. Et hæc sunt, dico, in superioribus ideæ producendorum, in intelligentiis distributæ potestates, in cœlis virtutes, in inferioribus crassiores formæ, hinc *Materia* nostra generata est, & contrariantibus, convenientibusque qualitatibus prædita, indè sequitur corruptio mineralium, vegetabilium, juxta ac animalium, diciturque in his corruptio *mors*.

3. Secundum quod verò in elementato qualitates accordant, hæc, prout sunt fixæ, vel volatiles, id est, difficiles aut faciles ad solvendum, secundum hoc quoque compositum evadit, fixum sive volatile. Aurum & argentum sunt utraque corpora fixa, specialiter aurum, in quo elementorum qualitates tali harmoniâ conspirant; concordantque, ut præminentiam, dominiûmve obtineat nulla. Si jam aurum corrumpendum sit, tunc debet unum elementum necessariò dominium, regiménque adversus inimicum suum tenere, eum opprimere, seu subjugare, totalitérque super illum triumphare; hoc fit auxilio qualitatum consentientium, per sui simile &c quando scilicet elementum unum solari in corpore nutritur, incitatur, succenditur, & commovetur, ita ut hinc necessariò, propter susceptum à sui simili subsidium, in oppositum pugnare, & triumphare habeat. Videmus quòd multum ignis aquam velut inimicum suum superet, inque aërem cogat: multum econtrà aquæ supprimit, ignémque extingvit; sic quoque cùm Solis Sulphur abundanter cibatur, pérque Sulphur succenditur, tunc ligatura debilitatur, debétque spiritus copulans, nempe aqua Mercurialis, præ multitudine ignis exarescere, inque aliud elementum, quod tamen qualitate pari secum conspiret, commigrare, propter quod igitur protinus idem à proximo suo elemento suscipitur, & in recipientis naturam transmutatur.

4. Hæc est separatio, anima dilatata est, séque à vinculis suis exoneravit, & jam acrius in proprium suum corpus sævit, & nisi

Q q

nunc

nunc quantocyùs corpori succurras , tunc anima terreſtre hoc corpus quoque deferet , ſéque ſimiliter in aliud elementum reſolvetur, nempe in aërem ; quandoquidem cum ſua prima qualitate caloris , cum alia qualitate aëris, quæ equidem calida eſt, conveniat ; Sic impedit , deſtruit, progignitque continuò elementum unum aliud , hoc fit ſine intermiſſionis viciffitudine , etiam in montibus, aliàs melioratio nulla ſequi poſſet. His jam ſuperſedebo hâc vice longiùs de *elementis* in genere tractare, méque ad ignea *elementa Magica* convertam, quod, cùm *triplex* ſit, vel *triplicis* generis, in ſequentibus funditùs declarabo.

Caput tertium.

De elementis Magicis,
id eſt,

De triplici igne Sapientum Antiquorum.

1. **N**Ec poſſunt Philoſophi, nec Chymici, in omnem æternitatem, veram utpote, rectam, & irreducibilem ſolucionem conficere, ſine *tribus* his myſticis ignibus , quorum *Primus* metallum in fluxum adigere debet ; *Alter* verò ſympathiam habet cum igne metallico, & quamvis hic itidem *duplex*, ſive *bifarius* ſit; volo nihilominus ego illum pro *ſimplici* ſumere, nihilque curabo, quòd in qualitatibus contrariam habeant naturam, ſed hoc tantummodo attendam, quòd unum in propoſito meo præſtent effectum. Hic jam *ſecundus* ignis Sulphur metallicum accendit, elementumque ignis in metallico corpore augmentat ; *Tertius* ignis eſt frigidus metallicus ignis, Mercurio ferè ſimilis, nam metallum tanquam ſpiritus pervadit, procurat ſympathicum ignem in toto penetrare , animamque omnibus locis incendere potis eſt, metallum efficit poroſum, recludit accluditque, principium eſt & ſinis, prima & noviffima clavis, in ſummà fundamentum eſt operis

operis totius : nam est quoque vehiculum ignis sympathici, & ab hoc destruitur atque corrumpitur, hoc provenit ex antipathia & sympathia.

2. Quia ignis ardens est frigido illi metallico igni in linea collateralis cognatus, & est ignis *duplex*, uti superius dixi, habetque cum Sulphure & Mercurio, sive ipsomet serpente, quandam cognitionem, vocatur à Philosophis Sulphur & nitrum, perque id ipsum philosophi semper *duplicem* sympathicum ignem intellexerunt, cum *duas* qualitates repugnantes secum vehat, nam frigidus est & calidus, humidus & siccus, quocirca ergo idem merito pro vero Menstruo Universali, pro ipsamet materia prima habendus est; quia in hoc ipso sicco liquorculo (ex quo Mercurius conficit Philosophicus) metalla lubenter faciliterque liquefcunt, absque hoc quod centrum tantillum ne lædatur.

3. Solutionem radicalem eatenus constitutam esse oportet, quatenus nullo prorsus medio, in priorem faciem, formamque sit reducibilis, & præter hoc debet tunc quoque metallicam naturam & proprietatem retinere; Hoc præcipuum est, quod expertus sum, punctum, possemque, in tempore brevi valde, ad oculum demonstrare: quoniam per meam destructionem mox invenimus procuramusque Sulphur, postea Salem, Mercurius, qui horum amborum vinculum fuit, est etiam ad manus, metallica proprietas est in omnibus: nam Sulphur Aurificat, Sal atque Mercurius ambo colorant &c.

4. Si nunc hos utrosque ultimos ignes, per quos destructio hæc fieri debet, rectè dignoscis, animamque in igne amburi non permittis, & in aërem resolvi, tunc intentum tuum obtinuisti, at crede mihi, hinc nucem tibi duram confringendam invenies, itaque prævide tibi, & non retrovide. Et quemadmodum per multiplicationem ignis sympathici succendisti metallorum ignem, destructionemque, vel separationem perfecisti, haud aliter debes quoque per aliud elementum animam efficere corporalem, & præpedire, ne ea in aërem abeat; ad hoc verò elementum est tibi

eligendum tale, quod aëri totaliter, vel in maximis contrarium sit, id quod terra præstat, quæ non nisi per medium aquæ in aëra commutari potest, nam ab extremo ad extremum non datur progressus, nisi per medium, hoc medium est aër.

5. Intellexisti antea, quod Mercurius, tanquam vinculum, primò resolutus sit in aliud elementum, hinc residua solummodo habes duo elementa, nempe ignem & terram, si vis hæc conservare, tunc augmenta Solarem terram, id est, solare corpus, in hoc abscondit se ignis ab illo ardenti sympathico, quod ex certo signo potes cognoscere, quod *signum* dum conspicias, tunc maximâ sedulitate debes, incensam animam cum suo corpore, ex igne liberare, aliàs retines mortuum duntaxat corpus, spectabile ad visum, ut Electrum: Promptitudo & dexteritas, quæ hîc requiritur, impossibilis est descriptu, tali & non alio modo est anima quasi per metallico-magneticum corpus salvanda; Magnes animæ Sal est, in hujus cassibus præcipua illa duo elementa capiuntur, & ambo hæc habent tertium quoque apud se & in se, sed modo singulari; Et ubi metallicum Sulphur extrahitur, prout docui, ibidem quoque simul nobilissimus ejus Mercurius coextrahitur, cum unum semper alterius sit magnes, & non libenter ab invicem discedant.

6. Mercurius & Sulphur sunt sibi valdè prope cognata, hoc significaverunt nobis sapientes, per characterem Mercurii & Sulphuris, quæ duo sub se crucem in suis insignibus gestant, ad denotandum per hoc, esse cognata, & terrenæ cruci ullatenus nolle esse subjecta, sed tanquam spiritus volitare gaudere. Sulphur elementum est igneum, & idcirco id characterem ignis insignitum est, nam ipsū est merus ignis, inque toto combustibile, & quidquid ardet, est Sulphur, debétque pro tali recognosci. Mercurius est item merus ignis & calor, qui corpus ejus similiter in continuo fluxu conservat; ignis verò suus est mineralis metallicus ignis, qui ardet, nec ardendo aliquando absumitur, & duntaxat à philosophis incendi potest, per concubitus, Venerisque amorem &c.

Et

Et posthæc aptus est ad frigidum Saturnum calefaciendum ; nam hic coagulationem suam ab isto habet expectandam , ut philosophi dicunt , Coagulationem Mercurii in Saturno reperimus.

7. Sapientes semper per Sulphur animam, perque Mercurium spiritum intellexere, & ut hæc duo difficulter ab invicem separari possunt, sic quoque spiritus & anima, citra detrimentum, se jungi nequeunt. Per Sulphur ignis, perque Mercurium aer depingitur, hoc fit ideo, quia utraque cum igne & aëre conveniunt ; nam vulgare Sulphur est calidum & siccum ; estque ratione harum qualitatuum igni comparandum. Mercurius humidus est & calidus, in hoc convenit cum aëre, & licet Mercurius omnium ponderosissimum sit astrum, equidem idem adhuc vult esse levissimus quoque, & igni ardenti subterfugere, super se scandere, seque in aliud elementum resolvere, videlicet in aërem, adeoque jure cum ipso comparatur. Ut enim Sulphur per ignem intelligitur, sic optimè per Nitrum aer interpretari debet, & vice versa, quandoquidem in Mercurio duo elementa, ut ignis & aer, potissimum & oculariter offendantur, & præterea ambo extrinsecus frigida sint, intrinsecus verò ignea & calida. In hoc nunc stat apex totius operis, ut sciamus hæc dextrè distingvere, & figuratum (*per literam*) loco literæ eligere.

8. Hic tam expressè, funditusque de igne philosophico sum locutus, quàm mihi etiam possibile fuit, dicoque tibi hic iterum, posteaquam cum igne Sulphur, cum Mercurio ignis, cumque aëre Mercurius, hæc verò cum Nitro conveniant, suisque qualitatibus elementariis mirabili harmoniâ conspirent, tunc quoque fas & æquum est, ut istorum characteres sibi invicem sint similes, præcipuè cum hæc in terra nascantur & formantur: hinc Nitrum & Sulphur singulariter amant metalla, illisque in linea collateralis cognata sunt. Videmus qualiter

spiritus Nitri & Sulphuris metalla invadat, inque vitriolum ea redigere possit, hoc herclè summopere etiam admirandum est, ruminationeque dignissimum: hoc tamen intentum meum non est, at illud, ut discas differentiâ uti, inter ignem, Sulphur, Mercurium & aërem, quemadmodum similiter inter falsum nitrum, spiritumque tartari, & ejus clarificatum confortatumque sale.

9. Nam licèt *Tartarus* sit quidem de Regno Vegetabili, attamen Archæus naturæ hoc vegetabile singulari quâdam cum mineralibus cognatione conjunxit, eique miram proprietatem communicavit, adeò ut hoc vegetabile nil nitro cedat, excepto, quòd, sicut nitrum, ratione circuli & caloris, Soli est æquiparandum ac deditum, ita Tartarus, ratione quadrati sive cubi, terræ sit comparandus; nam possidet præter hæc siccam quandam terreâque proprietatem, & dicitur vegetabile arvum, habetque cum Sale metallorum singularem sympathiam, pròinde habent se salia ista magneticè ad invicem, quia semen metallorum in hac vegetabili terra sustentatur, & adversus hostes suos propugnatur: seminum cunctorum inimicus est combustivus ignis, tartarique adversarius est commune sal Armoniacum.

10. Tartarus metalla meliorat, reddit ipsa malleabilia, itaque accordat cum Sale metallico, qui per tartarum multiplicatur: nam abundantia salis metallorum est malleabilitas, & si nunc per tartarum metallum efficitur malleabilius, tunc imò verum esse debet, quòd Sal suum fuerit augmentatum. Ope tartari abeunt metalla in vivum Mercurium, hoc venit indè, quia, dum in quantitate Sal crescit, incipit dominari terra, disrumpitque vinculum; nam quando terra increfcit, cogitur se spiritus (*qui est spiritus intensus, non extensus*) nimium dilatare, sicque causat separationem, contrahitque se visibiliter vivum in Mercurium, cum terra triumphaverit, & illi, per quod anima antehac terreum corpus direxerat, posthac regimen præripuerit.

11. Ut habet se ad aërem terra, sic quoque se tenet ad spiritum Sal, & iterum, ut inter ignem & terram medium est aër, haud

haud secus inter corpus & animam medium est Ruah sapientum , verus ille nexus conjungendi animam cum corpore , hocque , de quo loquor , medium , duplici cuidam igneo viro comparandum est : in magno Opere philosophico est *duplex* , & deceterò , præ obtenta sua vivacitate ignea , hermaphroditus , cum vita in igne consistat , qui à nemine , nisi solum ex se ipso , vivit seque movet &c.

12. Ut autem ad rem , meamque metam accedam , scias , quòd mineralis metallicusque ignis , in & pro se ipso , materia prima sit , quæ reperitur in minera Saturni , tanquam in suo receptaculo , sive domo Universali , ex hac sua universali domo , debet subinde ille discedere , præ angustia ignei volantis draconis , qui domicilium frigidi Saturni taliter incendit , ut in eo mori suumque exhalare spiritum cogatur ; Si nunc possis recipiente animatum hunc spiritum capere , tunc assero , tali modo habes *Universale menstruum* , arcanum astralem ignem , qui effigiem siccæ simulac humidæ cujusdam metallicæ aquæ præsefert , & præterea in pondere ante omnia gravis levisque est , Hic inquam iterum , in summa veritate , *Universale* , seu Philosophorum est *menstruum* , quod se nulla cum re permisceri finit , nisi quæ de sua natura & sanguine profluxit ; Hic est rectus separator , verusque Chymicus , qui secundo separat metallicorum sulphurum impuritates &c. dictus , proprio suo nomine , spiritus vitæ , mortificat atque vivificat , metallorum omnium est glorificata resurrectio , de facie *duplici* Mercuriali aquæ haud absimilis , qui aliàs quoque spiritus acidus , *duplici*que corrosivum nuncupatur.

13. Per hunc spiritum solum , & nullum omnino alium , anima Regis in oleum est reducibilis , & quemadmodum Sal metallicus constantiæ & indurationis metallorum est causa , sic quoque est prædictus spiritus , calidæ congelatæ aquæ , occasio veræ & radicalis solutionis Sulphuris ac Salis , præterea & exoptatum medium conjungendi animam cum suo corpore , Spiritus verò hermaphroditicus portat animam in ventre suo , desértque eam in clarificatum

catum corpus, nempe in purificatum metallarem Salem, hic unâ cum Sulphure suo referatur, inque subrubicundum oleum resolvitur, exinde caput corvi oritur, estque signum primum, & communiter aliquid miri sequi solet, quando sol & luna obscurantur, tunc Magnipotens nascitur, qui manibus suis spirituale ac mundanum regnum gerit &c.

14. Signum hoc nunciat conceptionem, astralisque seminis conjunctionem, postmodum verò Sal, in operatione sua, apprehendit solvens, seménque sive Sulphur, redigendo ea, in sui naturam, id est, in sicco-solidum corpus, quod postea, per convenientem Vulcani administrationem, in *albissimam*, & tandem *rubrofixam* medicinam exaltari potest. Oportet autem specialiter attendere ad ignis regimen, is debet constanter in suo permanere gradu, & nunquam cessare: deficiente enim calore naturali, mortem sequi necessum est, suboriri que abortum, qui planè secundum naturam suam operatur &c. Et quemadmodum ignis debet observari, sic eodem modo debet sigillū Hermetis probè esse impressum, & firmiter accommodatum, ut solvens apud solutum suum hære, seque cum illo figere possit; nam solvens non sine causa dicitur aqua permanens, ideo scilicet, ut cum suo soluto permaneat, inque unum Evestrum cum illo evadat: quomodo nunc obsecrò hoc dilucidius describere possem, quàm per hætenus narrata, externaque effecta, & qualitates? &c. Quisquis has *ambas*, nempe siccam & humidam, *solutiones*, per materiam primam in materiam primam, adipisci desiderat, idem articulatè attendere debet ad qualitates elementorum, uti latius antea, superiusque dixi, & præ cæteris oculum mentémque habere vigilantem, ad sympathicum frigidumque metallicum ignem.

15. Jam verà per me horum sympathico-magicorum elementorum notitiâ adeptâ, audacter potes obire Orbem, fodinas omnes undique examinare & visitare, non tamen debes animum supra te tuum elevare, sed ex doctrina mea, penes *Terram* perpetuò in omni humilitate permanere, nam omnium mineralium, vegetabilium

biliúmque *Terra* est progenitrix, & præterea omnis rei conserva-
trix, similiterque multorum animalium sustentatrix.

16. Hic convenit mihi iteratò refricare memoriam, philosophos nempe semper, factò sermone de *Terra*, per eam nihil aliud, quàm corpus, perque corpus Salem tantum intellexisse; Qui hunc sensum bene apprehendit, seque juxta informationem meam exercet, reperit in illo omnia in omnibus, similiter omnia in uno, & unum in omnibus, id est, invenit materiam primam, proximam & remotam, in una materia latitantem.

17. Philosophi ajunt. *Visita interiora Terra, relictando, invenies occultum Lapidem, veram medicinam.* Hæc est *Terra* illa *Adamica*, hanc habe continuo tibi ob oculos, in eâ invenis sapientiam: Nam indè cognosces, quo pacto, & qualiter, metalla in demeaculis fi-
ant ac formentur, nempe in officinis & fodinis terræ; videbis præterea & experieris, quomodo periturum, à non perituro & mansuro, sit distingvendum ac separandum; Et tibi dico in coronidem, quòd *hoc ipso* mundi gloriam expugnasti, tibi que ipsum subjugum reddideris; hoc verò esse nequit, nisi clarifices *Terram*, id est, ut retuli; ejus Salem; nam philosophi per *Terram* intelligunt Salem, Sálque metallorum Lapis est Philosophorum, quam ego jam non velim istud sic intellectum.

Caput quartum.

De metallorum destructione, & in tria principia reductione.

I. **C**itra corruptionem nulla resurrectio, nec glorificatio, si-
ve multiplicatio est speranda; nam corruptio supremus
est gradus, primúmque novæ generationis nec non multi-
plicationis exordium: idcirco hic, tanquam de præcipuo

R r

puncto

puncto tractabimus, nempe de destructione, inque materiam primam reductione. Hæc verò destructio & corruptio aliter fieri non potest, quàm duntaxat cum hac re, ex qua materia venit, & nata est, inque quam ipsa iterum redibit; Et, quælibet in re, ortus sui ac quoque interitus est causa, hanc ultimam rationem oportet Chymicos præ cæteris ponderare; propterea si semen tuum in metallis multiplicare intendis, aut alias *Universalem* præparare *medicinam*, scias, hoc semen quoque de metallo, quod multiplicare, seu ferere vis, extrahi debere, ope astralis Universalis feminis, quod est spiritus Mercurialis, animaque Sulphurea, de quo antè, & post longius adhuc sum acturus: in præsentiarum verò loquar, nihilque amplius præ manibus capiam, nisi solum materiam metallicam, & cum materia hæc sit *duplex*, idcirco subsequenter à me suscipe doctrinam.

2. Philosophos scilicet *duo* tantum habere metalla, ex quibus Opus magnum & *Universale* conficere, quorum unum metallum omnium *primum*, aliud verò *ultimum* dicitur; Metallum *primum* est illud, in quo incipit natura metallica, vocaturque materia prima: nam hæc, in forma & proprietate metallica, à *cœlestibus influentiis*, propagans metallare semen primitè obtinuit; *Secundum* autem *ultimumque* metallum est illud, in quo desinit operari natura, & tanquam sistere cogitur, non potens ulteriorem habere progressum. Ubi nunc natura cessat atque quiescit, ibi ars primò incipit, efficitque de natura suam famulam: nam hæc arti obsecundare & succurrere debet, quando nempe ars sibi naturale medium suppeditat. Feriatur natura supersedetque laborare in auro, istud metallorum omnium est finis, aliùs seu longius metallum nullum per se natura potest evēhere; quia hoc, ex tribus suis principiis, in puram constantem coagulationem & fixationem abiit, hinc destructu est difficile.

3. Jam est ante omnia unicè notandum, & à me sæpius memorandum, quòd res quævis corruptionis suæ causam in se circumgerat, & quòd res quælibet per illud, unde venit, & in quod

iden-

identidem resolvetur, corrumpi debeat. Scimus, quòd omnia metalla, de Mercurio Sulphure & Sale, sint prognata; volumus quoque in materia ultima incipere, eamque vice primæ nostræ habere, hinc oportet nos eandem materiam, per sua tria principia, videlicet Mercurium Salem & Sulphur, denuò in tria sua primordia reducere. Dicit Basilius, ex vitriolo & antimonio cuncta crescere & generascere metalla. Vitriolum est sulphur, Antimonium mercurius; *modo* veram habes informationem: quoniam non tantum Vitriolum metallorum est sulphur, sed & eorum sal, sub Antimonio mercurius intelligitur.

4. Et ut verificem seu probem, rem quamlibet causam corruptionis suæ apud se gerere, scito, quòd, dum mercurium metallorum per sui simile fortificas, inde separatio in metallico sulphure & sale debeat sequi; Et iterum, dum metallare sulphur augmentas, acuis & incendis, quòd tum similiter dissipatio ac dissolutio in tribus principiis fiat, & quemadmodum cum his duobus agitur, ita & cum sale contingit. Separationum optima est hæc, quando ad summum sulphur extrahitur, per incensionem *Magici* ignis, qui sympathiam habet cum metallo; hæc divisio & segregatio parvo potest fieri tempore, igne aperto; oportet verò unicè attendere, ne metallorum sulphur præ incensione suâ comburatur; debet idcirco custos adeste, qui hoc impedit, hunc custodem tibi nominavi, nihilumque omnino dubito, quin satis noveris, præcipuè si reminiscaris, quomodo natura metalla maturet, figat & perficiat, hoc in *Terra* per spiritum fit *Terræ*, qui *Terræ* est vita, per quem *ipsa* omnia gignit.

5. Si jam hæc omnia exactè observaveris, quòd simile à sui nascatur simili, & quòd simile rursum, per sui simile, retroagi debeat in sui simile, tunc errare non potes, nisi fortè contrarius tibi esset Deus, sine cujus expressa voluntate, nemo ad optatum effectum potest pervenire: nam Dei Omnipotentis est dare illuminationem, & cui vera divina *lux* non est *dux*, neque præluet, hic nil boni habet expectandum, Et posito, illum etiam quasi

ad rem pervenisse, eamque invenisse, nihilominus errabit, insumma id, quod quaerit, inscius contemnet, pedibusque conculcabit, & loco illius, falsum processum, seu particulare quoddam, in medium proferet, etiam priusquam illud ex dimidia parte semel elaboratum, iterum inanem, nulliusque valoris, processum ad manus sumpturus.

6. In me ipso reperi, quod, tametsi hanc destructionem ac reductionem dudum scivissem, similiterque medium conjungendi, nimirum aquam illam permanentem cognovissem, equidem parum inde profectus habuerim, cum Creator coeli & terrae illud mihi adhuc non faveret, sed potius unum atque aliud infortunium adjungeret, ita ut vitrum disruptum, parumque residuum fuerit, quod tamen tingendi possibilitatem quandam habuit, nam hujus pars una decem *Saturni* in *Lunam* puram convertebat, Et quamvis diversis postea vicibus penes me constituissem, etiam praeparatoria necessaria ad manum sumpsissem, ad hanc conjunctionem denuò repetendam, equidem tot semper intervenerunt impedimenta, ut difficile sit describere, imò & propria mihi voluntas mea defuit, hæc divina est providentia, quæ rebus omnibus certum tempus modumque statuit.

7. Legimus qualiter Moyses propter peccatum, quadraginta in deserto annos, cum populo Israëlítico fuerit divagatus, & terram promissam à longinquo quidem viderit, ingressus verò eam non fuerit, sed tandem extinctus sit. Eodem modo testatur *Rhenanus*, *Sol è puteo emergens*, quod annos duodeviginti Magnum opus sciverit, nec tamen illud unquam inceperit, non quod de eo dubitaret, at quod non esset voluntas Altissimi: nec est mirum hoc, cum Deus summus illud soli, cui, & quando vult largitur, nec est *volentis*, aut *currentis*, sed solius *miserentis* Dei.

8. Crede mihi, *cordate & sincere Artis amator*, hanc medicinam, quia ab experientiâ loquor, quod, licet lux hæc modò tam clarè luceat Orbi, tamen à paucis agnoscatur, nam totus stat in caligine Mundus, hominesque in tenebris ambulant, *Terram*, quam pedibus

bus calcant, non agnoscentes, investigant Spiritum mundi vago supra se aëre, cum tamen *ipsum* in proximo quasi ante pedes suos habeant, quid quæso prodest alicui lux, seu perspicillum, si contumaciter nolit videre? Magnus ille error provenit inde, quod materia nostra conspectu nimis sit vilis, hinc à multis graviter contemnitur; Et quemadmodum leprosi procul à sanis collocantur, sic etiam materia nostra longè à medicina seponitur, & tanquam nihili penditur. His desino, de duabus solutionibus *Magis*que elementis, ulteriùs discurrere, de *trium* principiorum natura, in genere tractaturus.

Caput quintum.

De natura & proprietate primi principii, Mercurii.

1. **M**ercurius metallorum communis est calidæ complexionis, sua propria qualitas est humiditas & calor, hinc concordantiam obtinet cum aëre, philosophique sub elemento aëris ipsum Mercurium intelligunt, præ magna sua affinitate, quam cum aëre tener. Est de natura fugitivus, spiritualis & corporalis, instar nitri, cui specialiter, tanquam ighis, seu spiritus, præ aliis additus est: Habet mercurius multum sulphuris, nihilque salis, appropriatus est in specie pulmoni, propter elementum aëris, quo pulmo minimè carere potest. Mercurius velut spiritus pervadit, penetratque *ambo* alia principia, nempe *Sal* & *Sulphur*, supple *corpus* & *animam*, quæ ambo, per naturalem calorem, conjungit constanterque vincit.

2. Philosophi vocitant Mercuriû medium conjungendi animam cum corpore, gestat enim animam in ventre suo, corpusque solvit, ut anima in eo habitare & delectari possit. Præter hanc penetrabilitatem aliàsque proprietates, est naturæ solutivæ propter humiditatem radicalem, unicéque in infirmitatibus, quæ ex viscoso tartaro suam trahunt originem, usurpandus; Et quamvis quidem Mercurius nullam videatur habere congruentiam cum tartaro, nihilominus hæc intercedit, ob innatum occultumque ignem, & nomi-

natim, cum suam proprietatem tartarus, per calidam mercurii humiditatem, elargiatur, mercurioque ipsam accedere permittat, hoc pacto à mercurio tartarus solvitur & educitur, specialiter quando aliquid sui proprium, aut aliàs metallicus quidam sal, mercurio adjungitur; *Mercurius* verò antea præparatus est, & non vulgaris, sed metallorum *Mercurius*.

3. Adhæc autem unice advertendum est, quòd, prout quodvis in particulari metallum, aliquam peculiarem in se habet facultatem, secundum id quoque ipsius metalli mercurius, illam facultatem specificam penes se retineat: Quo sic obiter dicto, hæc vice desistam, cum hic mercurius, de quo nunc ago, non sit *Mercurius* Philosophorum, sed metallorum, qui in Opere majori parum admodum & parcè prodest, quod si verò ad hoc etiam peculiariter præparatur, dextrè strenuèque suum tunc obit munus.

Caput sextum.

De natura alterius principii, Sulphuris, in genere.

1. **S**ulphura metallorum sunt omnia volatilia, ignea & concretabilia, nisi illis arte succursum sit. Sulphura quælibet sunt naturâ salubri, portantia secum puram quandam oleositatem. Post præparationem suam facile in calore colliquescent, præ ignea sua proprietate, penetrantia instar spiritûs sive mercurii. Promoveant sudorem, uniuntque se cum sulphure naturæ Archæo, gaudent sui simili, exiccant, purgant, sanantque omnibus modis, porrigentia rei cuique nutrimentum ac incrementum. Nullâ ratione potest spiritus vitalis seu mercurius, qui ut plurimum prope corda se sustentat, hoc sulphure carere, quia calor naturalis per hoc sulphur fovetur & enutritur; Et quemadmodum ignis materialis per applicationem lignorum fortificatur, sustentatur & invalescit, hæud secus fit item cum nostro intrinseco igne.

2. Sulphura metallica resistunt corruptioni, specialiter verò, quando ipsa proprio suo sale fortificantur, tunc enim expediunt
hoc

hoc multò magnificentiùs, idque secundum institutum naturæ, vel facultatem rei, ex qua prædictum sulphur extractum est, nam omnia sequuntur naturam illius rei, ex qua sunt extracta, & ista natura illis peculiariter adhæret.

Caput septimum.

De proprietate tertii principii, nempe Salis.

1. **S**AL est conservatio, constantia & induratio omnium rerum, præservat unicè à corruptione, propterea natura omnibus illum fixis elementatis, vel creatis constantibus, in comitem protectoremque adjunxit; Est principium igneum omnium constantissimum, quod alia duo in suo esse & statu conservare debet, estque naturâ terreâ.

2. Sapientum terra sal est, quod solum est indestructibile, incombustibile & inexpugnabile; Propter virtutes suas præpotentes & excellentes, philosophi veteres Salem divinæ majestati assimilârunt, eidemque vim quandam divinam ascripserunt, & Electrum ipsum dixere. Nisi Physiarcha Deus hoc principium, tanquam tutelam, utriusque debilis principii, sulphuris & mercurii, ordinasset, creatura sua perire debuisset, & quasi in nihilum reduci. Est ipsa radicalis veritas, ni Deus omnipotens creâset salem, Lapis Philosophorum confici in æternum non posset: nam conservationem, fixationemque omnis rei sal unicè solum peragit, in sanguine hominum, & in vesica, potissimum, deprehenditur.

3. Sal omnium metallorum est malleabilitas, & præinopia salis sunt ipsa immalleabilia, hoc verificat Saturnus, qui plurima ex parte sal est, ut id calcinatio ejus testatur. Sal metallorum medicina est prorsus sublimis: quidquid mercurius & sulphur in medicina præstant, id Sal meliorare aggreditur, aliâque præire conatur, hoc fit, quia facilius liquefit, se extendit, ac sic humanum sulphur spiritumque vitalem conservat, & adversus omnes morbos defendit.

Caput

Caput Octavum.

Num Medicina Universalis in septem astris, id est, in septem metallis, utrum verò in auro, materiâque primâ sit invenienda?

I. **O**Mnes philosophi, qui antehac & in hunc usque diem, de Medicina Universali, materiâque primâ scripserunt, non tantum opinionis sunt discrepantis repugnantisque, verum etiam tam obscuri, ut in sermone eorum fundamentum nullum sit invenire: nam quandoque intendere Mercurium Saturnumque vulgarem, subinde verò videntur nitrum, sive solum vitriolum significare: utuntur sibi quoque his, vel illis nominibus, cum tamen longè aliud intelligant. Philosophi fuere perpauca, qui non semper metaphoricè, vel aliàs, involutâ quâdam viâ, rem indicarent & descripserunt: quinimo amplius tractant de virtute medicinali, vi & efficacîâ, quàm aliquid de re ipsa, quomodo nimirum illam probè dignoscere, vel ubi eam invenire possimus, & quomodo, habitâ notitiâ materiæ, sine quâ nihil efficiendum, brevissimè & certissimè, procedere debeamus, hinc dicitur, *Materiam enim celantes, solum effectum patefecerunt*; Ego hinc autem tam apertam, certamque demonstrationem daturus sum, quàm unquam ante me facta est: nam dilucidissimè hic, non de virtutibus, at verius de materia ipsa, & qualiter illa ad medicinam trahenda, verbis plebeiis, styloque simplici acturus sum, ex ratione, quod titulorum præconiis omnes ferè philosophici libri sca-teant, & non de virtutibus, cæterum de materia, huc usque subdubitatum sit.

2. Itaque tibi, sub conscientiæ tuæ sigillo, iterum committo, quòd toti mundo terrarumque universo Orbi, materia nostra sit comparanda, nempe quoad virtutes: nam est omnium mineralium metallicarumque rerum vis attractiva; quia *Anima, seu Spiritus mundi*

mundi est medicina, menstruúmque universale, per quod medicina incipitur, & finitur, talem materiam reperimus in omnibus metallis fuis, præcipuè verò in non fuis, quemadmodum ego peculiariter de unoquoque metallo sum docturus. Medicina universalis, quæ cunctas metallicas juxta ac humanas infirmitates curat, consistit nedum in omnibus metallis conjunctim, verum etiam in auro solo, ejúsque magnete. Putant aliqui, ipsam in radice, omniúmque metallosum origine, solùm esse reperibilem, quandoquidem tradux, sive propagativum semen, inibi occultatum sit; & semen hoc est vera nostra materia prima, *duplici* modo armatus Saturnus, & reverà *duplex* Mercurius, qui proprium suum sulphur secum habet, ex hoc nunc omnia metalla nascuntur & generantur, sùntque solummodo, ob sua sulphura & salia, nimirum eorum abundantiam, distingvenda: nam in illo latet suprema medicina, præcipuè quando Sulphur & Sal ex auro est extractum, quia *hoc* etiam solum omnium aliorum terrestrium planetarum facultatem & proprietatem continet.

3. Defectu verò auri, potest prædicta medicina, ex prima quoque materia, omnibúsque metallis simul in unum conjunctis, procurari, nempe ex eorum sulphure & sale, quæ per sympathicum metallicum ignem extrahi oportet; nam hæc *Magica* sunt elementa, quæ in metallis sui simile in nobis ad se trahunt, ea ipsa augmentant, sulphúrque eorum, sive elementum ignis, accendunt, ut hinc Mercurialis ligatura nimium debilitetur, & terra adversus similem incensum ignem, prædominantémque animam, nimis parvi sit reputanda, propter quod expertior artifista facillè illam ad se trahere & potiri eá potest.

4. Quod si nunc talem animam tibi per *Magica* elementa comparasti, tunc appone ei proprium suum salem & *spiritum* Mundi ex anima Mundi, solvéque illa ambo principia in eo, tunc *spiritus* proprio suo sanguine tingitur, proprioque suo Sale fortificatur; affunde huic optimè tartarizati spiritus vini

S f

partes

partes tres , digeratur aliquamdiu , sic obrinebis verum supremúmque Aurum potabile. Sin verò metallicam discupas medicinam, tunc præfatum sulphur & salem figito cum suo *spiritu* Mundi, qui semper præcedit, & simul retro concomitatur &c.

5. Hæc vice me, de Medicina Universali, de *Magicis* elementis, & solutivâ necessariâ igneâ clavi, sufficienter satis tractasse opinor: nam hîc tibi demonstravi, quòd universalis medicina in auro, in materia prima, &, necessitate exigente, similiter in metallis omnibus conjunctis deliteat, & quòd per *Magica* elementa exinde sit paranda, proprioque suo spiritu in aurum potabile, & metallicam quoque medicinam redigenda. Itaque hoc filum perscindam, inque particulari de quolibet metallo agam, ut omnimodè materiæ primæ recordari, eamque tibi possis usque & usque liquidè ob oculos ponere.

Caput nonum.

De natura ac proprietate terrestris Planeta, Saturni.

I. **S**aturnus est terrestris frigida naturæ, multitudine corruptibilis sui salis omnia metalla præcedens: habet multum præterea mercurii, sed sulphuris boni continet parum; sùntque hæc inquinamentis plena, quæ illi in matrice eorum agnata sunt; Hæc immunditia præpedit, quòd anima Mundi, per astralem suam influentiam, per exiguam fecerit unionem inter tria illa principia, quæ ex hujusmodi infirmo atque corruptibili corpore facile admodum educuntur; Isti verò, qui aceto, post præcedentem calcinationem, salem Saturni extrahere conantur, graviter, imò gravissimè decipiuntur, præcipuè dum vulgari aceto ad hoc utuntur, & non Sapientum Azoth, quod de immaturis uvis, id est, immaturo metallo, speciali sit confectum modo, qui metallum hoc immaturum ignorant, saltem non consequuntur, sed tantummodo

modo merum Saturnum, sicque deluduntur. Rectus verò philosophicus modus est, quando omnium primò sulphur illius eliciamus, salémque ultimò elixiviamus. Mediator universalis, seu medium conjungendi, non potuit in hoc Saturno, velut destructibili quâdam domo, constantem sibi figere habitationem.

2. *Sal saturni* omnibus numeris frigidus est, sulphur autem est quidem aqueum, attamen calidum, hæc discordantia destruit frigidi Saturni residentiam. Mitigat temperatque Saturnus calorem superfluum in infecto corpore Veneris: omnibus metallis morbus est, hostis & mors; & vice versa, eorum quoque est resurrectio ac vita: Intelligo nunc philosophicum Saturnum, in quo solo recta resurrectio, veraque inseparabilis vita, stabulatur. Hic ad vivum est infantium ille heluo, pater, frater, soror, amicus, inimicus, cunctorumque planetarum latro; & hinc gestat talis Saturnus utroque latere & ambabus manibus suis falcem, ad denotandum, per hoc, naturam suam ac proprietatem. Insumma ille ipse Saturnus est *duplatus*, qui *dupliciter* armatus; ex incremento & decremento Lunæ (cùm ipsa staret in tactu primo & ultimo) in verum Philosophicum Saturnum abiit, talique cum constellatione de terra [fortè melius, *cælo*] in mundum venit, & per plenilunium, in solarem splendorem commutatus est. Ecce verò, ut repentè se claudicans ille grallipes in celerem activumque Mercurium Philosophorum convertere & transformare novit! est jam Azothii Universale receptaculum.

3. Saturnus vulgaris, nempe mineralis, qui inculpatus, veram monstrat viam ad Mercurium Philosophorum: si hunc interrogemus benèque examinemus, examussim ab ipso ad materiam primam ducimur: oportet nos verò deliberare, morosumque Saturnum non prius pro instructione interrogare, donec cum crescente jam Luna sit foeliciter ex uno latere conjunctus, neque aliàs, ex altero latere, à pravo quodam aspectu impeditus; debes ipsum liquidè habere præ oculis viderèque, quicum loquaris, cæteroqui nihil efficies; quia astra, velut lumina cœli, habent singu-

larem cognationem cum oculis animi intellectusque nostri, qui solum hoc apprehendere & capere debent.

4. Ut verò etiam medicinalem ejus virtutem tangam, Est singulare per se solum pro liene specificum, & quidquid ulterius inde dependet. Calefit sal Saturni, inque bonum temperamentum, per duas partes sui proprii recteque præparati sulphuris, reducitur. Quid Saturnus porro possit, id alibi apud famosos & expertos Medicos, copiosius expeditiusque descriptum invenimus, quo de præsentis listis, meque ad benignum Jovem converto.

Caput decimum.

De natura & proprietate terrestris planeta Jovis, stanni.

Cinertius ille probus justus Jupiter influentiam suam habet in terrestrem Jovem, qui, post præparationem suam, se clario aërio suavi cum sale, sulphureque lunari ostentat, & Mortalibus virtutes suas præsentat. Habet quoque specialem suam influentiam bonus ille Jupiter in jecur, sanat propterea illud, omnesque affectus, qui inde oriuntur. Oportet verò ipsum exactè à suo cubo, qui huc usque in ternarium dominatus est, liberatum esse, adhuc certam portionem primæ materiæ apud se habere, qui Jupiter (siquidem in se ipso nullos prorsus radios, neque scintillas seu vestigia, materiæ primæ exhibeat) pro refractario, perversoque Saturno æstimandus est.

2. Jupiter cum plumbo neutiquam concordat, hoc valdè malum est, hinc cum materia prima etiam non consentit, propter hanc causam nolo me diutius cum Jove occupare, ast pergere ad præpotentem illum belli ducem, quem Ferreum Capitaneum philosophi intitulant.

Caput

Caput undecimum.

De natura & proprietate Martis, ferri.

DIcunt philosophi, *Qui ignorat Martem, non novit Artem*, id est, qui nescit, nec cognoscit qualitates ferri, is non est artificius, & qui non scit, qualiter Mars per illud, quod in se ipso latet, destruendus, & similiter in materiam sui primam redigendus, idem quoque, Chymicis suis stratagematis, martiali inexuperabili belli duci parum est, extremâ ejus in necessitate, laturus præsidii.

2. Mars habet solare calidum sulphur, ab extra quidem *albus* apparet, verum ab intra *ruber* est: Sale ejus à proprio suo sulphure taliter maturatus animatusque est, ut etiam fugitivo raptori, nempe Mercurio, multum negotii faceat: Nam sal Martis potest Mercurium constanter coagulare atque fixare, præcipue dum illi vetus Saturnus duplici suo gladio armisque succurrit, citra cujus opem verò & subsidium, nihil ardui nec heroici, adversus inimicos suos, vel in favorem amicorum suorum, Mars efficere valebit, ex ratione, quod coagulatio (ut omnes mecum philosophi testantur) solum in Saturno sit reperibilis; quâ autem viâ cum hoc Saturno contumax Mars in æquilibrium & foedus tendet, seque opis Saturni redditurus sit participem, aliquatenus superius indicavi; nam ipsum ad tria sua principia oportet prius esse redactum, & hoc per *Magicos* ignes, quæ elementa sunt philosophica, clavésque salutis; Itaque vide, quî sensum meum dextrè capias, relege scripta mea sæpius, usque dum fundamentalem intellectum animo tuo bene infixeris, id autem fieri non potest, nec fiet, si imagineris tibi, me aliquo modo cothurnico-philosophicum ducere stylum, ut tibi res descripsi & depinxi, sic quoque semper, nullâ aliâ formâ, specie, nec figurâ, pulchellæ instar picturæ, ob oculos tibi stabunt.

Sf 3

3. Ut

3. Ut verò ad rem veniam, scias, animoso illi glorioso belli duci Marti adimete rapinam prorsus esse difficile, oportet ipsum astutiâ, inquam muliebri argutiâ circumducere: nam omnium fortissimi ac sapientissimi adversus hanc valent nihil: Sumamus in exemplum, qualiter Judith Holofernem, Dalia Sampsonem, & mulieres Ethnicæ sapientipotem illum Salomonem in ruinam præcipitârint; quemadmodum & olim cum Venere ejusque genio generosus Mars satis expertus est, non sine ludibrio, cæterorûmque planetarum ignominiâ; ut de hoc fabulatur poëta &c. Si jam Venus Marti semel par pari referet, oportet ut rem cautè peragat, aliter præparari & exornari debet; similiter non amplius pristinam suam lascivam salacem faciem formamque habere, sed oportet ipsam inverti cûmque Simeone quasi denovò renasci, Signum novi ortûs, vestigium vitæ, speciei splendoris solaris, auro insertum, super frontem gestare: Hoc signo medicinalis eam Raphaël jam honoravit ac ornavit; nam angelus Domini, supremâ illâ die, in clarificatione secuturus est, suos quoque charactere vitæ insigniturus, quemadmodum subdolus satanas suos pertinentes, singulari perditionis stigmate, signo videlicet lethiferi Saturni, qui falcem suam à dextra contra inque lævum latus gestat, dignorat.

4. Observamus etiam & animadvertimus, quòd, quando internum occultumque in Venere externum, & invisibile ignotumque visibile & notum factum est, Venerem tunc non amplius noscamus, quia signo fidei, & præcipuè sacri baptismatis lavacro, denovò regenerata est, propterea potest nunc illi Martialis heros credere fidemque adhibere: nam veterem suam formam, naturam ac effigiem, planè & plenè reliquit; cor calidum illius lascivians adinstar est cordis frigidi recani Saturni, quando primum terrestris Arietis gradum ingressus est, & unâ falce Orientem, aliâ verò Occidentem versùs, ferit & messëm facit. Tali frigidâ Venere præfervidus Martis cruor temperatur & condesponsatur, adeò ut ambo infinitos fructus, solarémque sobolem, tantâ sint pro-

procreaturi multitudine, quanta est in litore arena, & quot polo stellæ. Concubitarum autem illum Martis, & primogeniti Veneris, fieri oportet in diluvio ignis; Si scies jam hanc Venerem probè præparare, meumque sensum dextrè cepisti, fortunatus es in hoc mundo, quia opus solummodo habes, ut tibi in veritate dico, Venerem in minerale redigere, & illud in aquam Mercurialem, atque exinde clarum quoddam oleum conficere, hoc singulariter cum astrali custodi Sale, est enim generativa & seminativa virtus in eo; Idcirco illud bene considerabis, quia nequit te diutius manere celatum, quod philosophi in alto & profundo occultarunt, imò tibi omnes cœli planetæ, cum suis pravīs aspectibus, sapientia ac opulencia ad pariendum, nunc non ampliùs poterunt officere.

5. Jam nemo sibi in animum inducat suum, me vitriolum Veneris per hoc intelligere, ne propriā suā phantasticā imaginatione deludatur, vitriolum est sal Veneris, omniumque metallorum sal vitriolicum obtinet gustum & aspectum, expertus loquor, igitur crede mihi, plus non dico, quàm coram Deo cogito defendere, siquē necessarium, nec Omnipotenti displiceret, ad oculum omnia ista demonstrare possem &c. Expropter diligenter animadvertes, nam in hoc totum consistit, & si in hoc introitu erres, impossibile est tibi, foelicem colophonem attingere; nam inquit proverbium,

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

Longiùs hâc vicē de Marte scribere haud ausim, antiquus est eques sagittam suam armis gestans, clypeoque suo equestrem lanceam, per hoc denotat heroum suum ortum nobilēque profapiam, de quo Tubalcain testimonium perhibere potest.

6. Ego porrò, quod hætenus occultum fuit, id totum vero artis Amatori, expressē jam & expedirè, ob oculos posui manifestumque reddidi, adeò ut innecessarium reputem, de naturā & origine Martis, ulteriorem dare instructionem; Cum alioquin quo-

quoque, ex forinsecis Martis gesturis atque apparente posturâ, patre, matre, omnibûsque ejus prædecessoribus consanguineis, perfacile satis dignoscere sit, qui vir fiat, quandoquidem persona ipsius totum regat orbem, coërceat, & velut sub pedes suos redigat: Nam *Mars mundo crux est & flagellum*, quo inhabitatores illius castigantur, & ad emendationem suorum peccaminosorum ituum adiguntur, ideo non debeo illi, ex metu stomachosi sui iracundi animi, verbis nimis prope accedere, sed me ad medicinam meam convertere; Quamvis hîc tamen illius, in bonum & favorem fossorum minerarûmque Consultorum, satis adhuc recordari possem: Nam magno perfectò emolumento, tempore brevi valdè, ferrum insigni cum lucro in chalybem, & similiter, spatio longiori, Martem valemus evehere in Venerem, cujus proba in paucis diebus adduci potest, & facit hoc quoque ad convincendum eos, qui transmutationem ullam admittere nolunt, de quo suo tempore plura &c.

7. Nunc ad medicinam me accingo. Curat imprimis Mars omnes defectus, qui à bile oriuntur & indè derivantur, singulari quâdam mysticâque sympathiâ, aliàs sulphur ejus cordi ac jecori unice competit. Sal Martis in arte Chymica præpollet, præterea idem in medicina famosum sibi nomen retinuit: nam prodest omnibus morbis, qui ex sulphurè humano inflammato processerunt; & cum fel, præter salem, valdè virulentum aquosum secum sulphur vchat, hinc sanat sal Martis omnes ventriculi febres, quas bilis exuperans caussavit, similésque plures, quæ omnia mihi hoc compendiolo recensere est impossibile, proptérque motiva mihi nota desisto; Ideo scilicet, quòd intentionatus sim, post hanc editionem, latius & fusiùs de hóc discurrere, oportet me verò de illo adhuc conticere, donec priùs experiar, quomodo hic meus labor, & experientia, præsentì mundo arrideat, & quid idem indè sibi profectûs consequatur. Forsan quoque Medici indignarentur mihi, quòd nimirum Chymicas rosas tam temerè indignis prostituam, qui pedibus eas suis contrituri ac commaculaturi

turi sunt, ut insipientum mos est, omnia contemnere, quæ usque facile adipiscuntur, aut quæ apprehendere neutiquam possunt. Genuini scientiæ hujus sectatores, seu discipuli, etiam forsitan, ubi indignationem Medicorum animadverrent, averfantes fierent, meumque Tractatum, quem omnium illorum in favorem conscripsi, imperlectum rejicerent & deriderent, præcipuè cum innumeri cacochymici ac pseudophilosophi totum ceu mundum deludant, multisque mille praxium præstigiis homines circumducant & emungant, ingentibusque expensis objiciant &c. Intentum autem meum non esse aliquem circumscribere, vel in sumptus præcipitare, at tantummodo cogitare, quomodo omni malo præveniendo, resistendo, errantesque ad rectam viam revocandi sint, cum coram Deo, tum toto Orbe confiteor, Me videlicet, non ex superbia, sed *inpiratione* & impulsu *divino*, verum enucleasse fundum, quo sublimis hujus scientiæ Amatores tutò incedere possint; Et rursus, non ex opinione me, seu ore aliorum, scripsisse imperterritus ingemino, & quod uni, vel alteri, æquo sinceròque secretipetæ, præcipuum hujus Artis libenter sim ostensurus.

8. Jam verò præcipuum, seu cardo, totius rei est reductio, sive in primam materiam destructio, nempe in *tria* sua principia, hoc enim præcipuum est ad Universale generalissimum punctum, unde prædicant philosophi, *Facilius fit aurum, quàm corrumpitur aurum*, Ego autem præstare hoc possum *trium* aurorarum curriculo, & id omne per materiam primam &c In testimonium verò hujus quælibet sulphura, saliaque metallica, singulariter Solis & Lunæ, quemadmodum & aurum lunamque Potabilem, adaptari curabo, quæ ii, qui indiguerint, apud me reperient, omnia candidè, non langvidè, ut decet. &c.

Caput duodecesimum.

De natura ac proprietate Solis, id est, auri.

1. **A**urum est metallum omnium purissimum, fixissimum & perfectissimum, in quo qualitates elementorum peroptimè concordant, & quamvis quis ex alticoruscente colore auri judica-

T t

dica-

dicare vellet, sulphur in auro aliis principiis, seu elemento aquæ & terræ, antevertere, nihilominus experientia rectam & fundamentalem veritatem aperit, tunc videlicet, quando aurum, per anatomiam, vi *Magicorum* elementorum, retroagitur in id, quod fuit antè, nempe Mercurius, Sulphur & Sal. Qualiter autem ejusmodi radicalis solutio peragatur, continuò nullibi non nimis apertè indicavi, idcirco unicè tibi advigilandum est: Nam non est profectò exiguum quid, verùm supremum hujus mundi arcanum, maximèque hujus Artis necessarium, istiusmodi ignipotens corpus redigere in sua principia, & id indè efficere, quod priùs ante conjunctionem ac fixationem fuit, & adhæc terrestre maledictum, seu molem, tempore tam brevi, ab his principiis separare, vel aliàs, per *Spiritum Mundi*, in constans corpus figere, quæ medicina est, pro metallicis humanisque corporibus, in omnibus affectibus, citra periculum tutò usurpabilis.

2. Fit verò hæc conjunctio, interea dum cunctos supremum astrum planetas per præfatum spiritum transmeavit, & aliàs non; Et quemadmodum est impossibile, aliquod Particulare, seu Universale, absque *Spiritu mundi* (vice cujus est Spiritus Saturnalis *duplicati* Mercurii usurpandus) conficere & perficere, sic quoque fieri non potest, ut Universale generalissimum, extra tria illa exordia auri, affabrè construamus &c. Propter hanc rationem Sapientes *tres* illas igneas claves, quas ego hîc elementa *Magica* baptizo, quibus solidum Solis corpus referamus, illius animam, clarificatùmque corpus certò indè educere possumus, tam summè & profundè velârunt, ut aliquis, citra expressam voluntatem beneplacitùmque divinum, pertingere eò non possit.

3. Ut verò verba mea habeant effectum suum, ac materiam hîc etiam non præteream, quandoquidem superiùs dixerim, quòd materia penes omnia metalla sit reperibilis, cujus tum promissionem feci, ut apud quodcunque metallum in specie de eadem medicina, seu materia, mentionem facerem, scias, Quòd nostra in auro taliter sit consideranda materia, qualiter centrum, seu punctus, in circulo & circumferentia, nam aurum rotundæ est instar sphæ-

ræ,

ræ, unde plenum perfectionis materiæ primæ solare corpus communicat ; Ex his rationibus dicitur materia prima non incongruenter Solaris Magnes ; cum ipsa solare corpus à Sole mutata sit, & aurum econtrâ sulphuream animam à prima materia constanter sibi attraxerit, ex his jam perfacilè Philosophorum Azoth, ac similiter Menstruum universale potest fieri , quod Sapientes *acetum nostrum* nuncupant , cum absque aceto prædictam materiam non sit reddere scibilem : Nam scatet materia sulphure, hoc verò manifestat vulgare acetum, dum utpote, quantitate debita, acetum illi adjungis, adeò ut tres digitos circiter supernatet, tunc ex aceto dignoscimus , cujusmodi sulphur fuerit intus occultatum ; In hoc jam summam totius mundi est invenire medicinam, ex quo verum aurum Potabile , ope præfati Azothi, seu materiæ primæ , confectum est , quæ cum qualitate suâ materia jam plenius nobis per acetum notificata est , ita ut omnimodè certò sciamus, in auro hoc *animam & spiritum Mundi*, quemadmodum punctum in circulo suo, esse occlusum, quod totum hîc materiam primam nominavi.

4. Sed postquam promisi, paucis expressam fundamentalem, de Medicina Universali, perhibere doctrinam, tunc est quoque conveniens, ut me iterum ad commune aurum convertam. Sol est tanquam vita & cor omnium planetarum , unde illi competenter sedes destinata est in medio planetarum : Quemadmodum enim cor humano in corpore ex illo medio quasi omnia membra movet & moderatur , præterea ab omnibus inibi artubus simul administratur; eodem etiam modo oportet solem cæteris astris ex illo medio splendorem suum, fulgorem, seu lucem, communicare ; Econtrariò verò ex utrâque parte soli quoque ab alijs planetis servitur : nam sæpenumerò soli, per proprietatem astantium aliorum planetarum, ab utroque latere adminiculatur, quia sol frequenter, ex aliorum astantium planetarum proprietate, fortificatur & supra omnem modum clarificatur ac incenditur, hoc Mars igneus Venúsque calida expediunt : nam domus Martis, quæ est Aries, principium est elementi ignis ; Sic unus ignis

T t 2

per

per alium inflammatur, inque quantitate & qualitate augetur; Ignis auri nil aliud est, quàm ejus Sulphur, sic etiam in Venere & Marte est intelligendum; Ex his rationibus est quoque duntaxat in iis summa nobilissimæque medicina, imò omnium metallorum virtus & operatio.

5. Aurum est specificum cordiale, quod moderni Medici in rei veritate negare non possunt, quando ii rude corporale aurum, aliásque inseparatas gemmas, receptis suis præscribunt, putantes posse ventriculum patientis earum virtutem & facultatem solvendo vel digerendo extrahere, solutámque proprietatem longiùs ad finem, locúmque eum dirigere, ad quem illa requiritur: Quamvis nunc autem verus Spagirus, per fundamentalem experientiam, quâ semper nitor méque defendo, his illorum erroribus satis obloqui & obstrepere posset, hâc vice equidem ego non faxo, sed præterire sinam; hoc solummodo pro parte meâ indè derivans, quòd, juxta illorum propriammet opinionem, in auro sibi attributa nucleetur medicina; Et cum istud sit ita, quidni hoc summè depuratum aurum, nempe tria ejus principia, multò expeditiùs securiùsque possint efficere? siquidem ipsum ab omnibus inquinamentis terrestribusque manibus exoneratum, ad clarificatum salem & animam illuminatam redactum atque reductum, quinimo in quandam potabilitatem adactum sit; Quemadmodum nunc hoc Aurum potabile, sive liquor, faciliter se humano in corpore seu ventriculo dissolvit, sic diffundit idem se quoque libenter, imò protinus se effundit, omnia membra pervadens totúmque sanguinem, exercens universalem suam efficaciam & operationem, ut Universalem Medicinam decet, & hoc summâ cum admiratione; Qualiter autem hæc medicina applicanda sit, Medicis commissum relinquo, qui ad hoc etiam appropriatum quoddam vehiculum possunt præscribere.

6. Hactenus sicca humidæque radicalis solutio occulta fuit, idcirco Medici indissolutum corporale aurum, cum inquinamentis suis, patientibus necessitati fuerunt præscribere, adeoque nucleum simul cum cortice applicarunt, nunc verò, in solatium totius

tius Orbis, Amatoribus artis hoc Tractatu vera solutio, Universale menstruum, per quod omnia & quælibet metallica corpora in materiam primam debeant reduci, expressè revelatur inque lucem evocatur, adeò ut posthac de veteri Orbe dilucida quædam scintillans lux exierit & elucescat; Et licet hæc lux à Deo omnium conditore jam dudum creata sit, nihilominus Mundi hujus inhabitatores non omnes talem comprehenderunt, ex hoc fonte commotus sum ego bonitatem Dei manifestare, & hoc præsentidie, fenestram & januam ad materiam primam referare, quemadmodum jam eas omnino latè largèque adaperui, ingredimini modò omnes, qui *vosmetipsos noscitis*, si ad hoc sublime Opus habiles sitis, nec ne, nam digno quoque jure dicere possumus, *Multi sunt vocati, pauci verò electi*: Tu autem, qui unice ad hoc delectus es, sine metu intrepidus ingredi, philosophis te convincito, permitte tibi sigillum eorum imprimi, sinceram usque in finem tuum duc vitam, sic hîc & in futuro gaudebis, cordisque tui voto & siti obtentâ, Deo gratias æternum persolves.

7. Unum vellem sanè lubenter adhuc hîc adjungere, formido autem iram Martis justitiâque Jovis, hinc proposito meo oportet me desistere, Interim verò esto æquanimis, repete hujus Libelli lectionem, donec lucem indè hauseris, quam nemini, nisi electis affaveo, quibus etiam plus præstare paratus sum &c. Gaudeant bene meriti, & alii se crucianto suumque appendunto, sicut ego feci, atque ita tentent, si electi sint: Interea quoque hoc meo labore, fidelique instructione, contenti sunt: Nam quibus à Deo fautum est, iis ego de fundo cordis mei gratulor; Superbientes, avaros, qui solummodo ad vanitatem, & non ad Dei honorem, sive proximi sui salutem, aspirant, O Domine, *poli solique Architecton*, cæcitate ferire dignare, ut Sodomiticis puniisti, ne januam justificati Lothi valerent invenire. Angelus Domini continuò illis in via stet, quemadmodum is Bileam, qui vocatus erat ad maledicendum populo Israëlito, resistebat & præpediebat, ne voluntatem suam exequi posset: sic fiat etiam om-

nibus iis, qui mala cogitant, nec à Deo Omnipotente vocati, multò minùs electi sunt. *Amen.*

Caput decimum tertium.

De natura & proprietate Veneris, cupri.

1. **H**abet lasciva Venus corpus prorsus terrestre, quod sublimi quodam solari sulphure oppletum est, hoc autem, præ debilitate ossium infirmique impuri habitaculi, non potuit inibi stabilem sibi facere mansionem, quando corpus destructum est, oportet anima descendat suamque habitationem deferat. Quisquis nunc hanc animam, per *Magica* in igne elementa nutrire & conservare, posteaque à corpore calcinato extrahere novit, is verum hujus libelli sensum obtinuit, nam luce, quæ splendet ipsi, potest gaudere; Hoc sulphur, quo Venus circumvestita est, colore suo solare longè antevertit, propterea quòd sulphur solis notabiliter sulphure Veneris melioretur: Etenim quemadmodum verus leo sanguine *leonis* viridis se nutritur, ac sic totus sanguinolentus efficitur & accenditur, sic eodem modo delectatur, cibatur, fortificaturque se quoque aurum tincturà Veneris ac Martis: idcirco ergo non vacanter, nec abs re, dixere philosophi. *Sol non tingit, nisi tingatur.*

2. Rex unam unicam solummodo habet honorariam vestem, casu quo hæc ei abstraheretur, foret is *nudus & ludus*, hoc autem esset contra omnem regiam reputationem & dignitatem, præcipuè cum Regum mos sit omnes circumstantes aulicos ex suis regalibus censibus, collectis & redditibus, quos tamen antè semper à suis subditis collegerunt, ditare. Si jam philosophicus Rex noster, sive aurum, suis deservitoribus & aulicis benefactor sit, eosque opulentaturus, & ad honoris altos gradus evecturus, tunc oportet ipsum quoque priùs exigere à suis subditis impositiones, contributiones, vectigalia, seu simplicia collecta; Subditi autem Solis sunt

Mars

Mars atque Venus, hi sunt cum bonis suis & sanguine tanquam addictitii servi auri, & in omnem necessitatis casum, regi assistere parati: Nam præpotens belli Dux Mars novit mille viis & mediis, nunc contributionum, nunc evacuationum, satisfactionum, nunc munitionum, fortificationum, omnisq; generis collectas indicere, omnia à servitio regis sui ac Principalis, quemadmodum ille præscribit, sic in servitium & rem regni impenditur: Hoc & adhuc majus quid potest Mars; nam ille *statio & ratio* est, quòd, ubi subditi sunt divites, ibi reges necessario debeant esse pauperes; &, ubi ubi reges sunt opulenti, quòd inibi inopes & morigeri sint subditi, ac consequenter nulla quoque timenda rebellio: Et si ex desperatione fortè seditio aliqua oriretur, *Mars* mox adest, remque componit, idcirco *maximi Mars* apud aulam fit, quia regni robor & honor est.

3. Venus verò quamvis quidem astu, ut vir ejus Mars facit, regi prosperare possit, equidem ipsa nec die nec nocte feriat, sed utitur proprio suo corpore, & stat omnibus mercabilis ære, sive personæ sint ecclesiasticæ, sive sæculares; cælibes seu maritatæ, hoc nihil ad ipsam, cum omnibus se propter opes prostituit; nam debet regi suo annuè ordinarium & extraordinarium dare tributum, quòd rex opulescere possit; Summatim Venus partibus suis strenuè fungitur, estque regi fida famula, ut in calidarum luxuriosarum regionum primariis urbibus videre est, ubi summa curia, ad vitandum Sodomitica peccata, Veneri velut sempiternum sedile ac palatium deputat, & pro certo anniversario tributo concedit. Quemadmodum nunc hanc Venerem, ut subditam regis, contribuere oportet, sic similiter oportet nostram Venerem corpus suum & præcipuè animâ suâ auro divitem conferre splendorem; Et licet Venus satis hoc sit præstando, attamen non est illa sola; nam omne præter Venerem, quod rubicundo metallico cum sulphure invenitur, astro Solis affine est, seque libenter cum sulphure Solis fermentari sinit, quia *simile* de sui *simili* ortum habet, ideo *simile* sui *simili* continuo & semper gaudet.

4. Al-

4. Alma illa Venus proprietate suâ haud exiguam præbet introductionem Menstruum Universale præparandi ; nam ex arte præparata & verè fundamentaliter inversa Venus jam amodò in minerale quoddam, minerale autem in Mercurium Philosophorum abiit, indè jam, subsidio salis ammoniaci, verum lac virginis provenit, permanens illa aqua, quod inculpatum genuinum universale est menstruum, verus ille spiritus *Hermaphroditicus*, duplex ille Mercurius, unicum illud medium solvendi, & animam cum corpore jungendi &c. Et licèt corpus Veneris horribili sit infectum leprâ, nihilominus ipsa, post præparationem suam, magnificos effectus magnâque mira edit.

5. Astrum Veneris habet suam influentiam penes microcosmum in renes; in macrocosmo autem in cuprum, sive terrestrem Venerem, quæ, vi susceptorum astri sui beneficiorum, renibus auxilio venit ; Cæterum est sulphur Veneris cordialis quoque medicina, sicut etiam sulphur Martis, & hoc ideo, quia solaris sunt, ut superiùs informationem dedi. Quando autem Venus in translucentum vitrum, crystallum, seu stircias abiit, per viam solutionis & reductionis, tunc ea superexcellens est medicamentum, unicè que facit ad *magnum* Sapientum *Opus*, præcipuè ejus anima, quæ exhibebit se specie rubicunduli ponderosi olei. Sulphure Veneris internum hominis sulphur melioratur, roboratur & ex integro restauratur ; nam hydropem quoque exiccat, jecinori servit, sedâtque omnes sanguinis apud mares & fœminas fluxiones, speciatim verò, quando illi aliquid de universali menstruo adhæsit, quod se sine illo ægrè ab anima separari patitur. Et ut difficile est segregare spiritum ab animâ sua, sic quoque solvens nostrum à suo soluto sine detrimento non est separare.

6. Vitrificata & fixata Venus pellit tantum sudorem : sal verò per spiritum vini clarificatus purificat, debitamque efficit digestionem, solvit calculum renum citra dolorem, & omnes viscosos tartaros, qui in vesica & alibi quoque nidulantur &c. Ne autem Mercurii obliviscar, oportet me laude nunc & virtute præfatæ Ve-

Veneris *defletere*, & ad fugitivum servum, nempe Mercurium, alato qui pede carpit iter, *refletere*, qui servus est & non servus, dominus & quoque non dominus, ut sequentibus latius declarabo.

Caput decimum quartum.

De natura & proprietate fugitivi Mercurii.

1. **P**hilosophi veteres Mercurium solummodoposuerunt in secunda honoris mensa, quod summopere admirandum est, cum tamen Mercurius de natura generosus sit & superbus, ac se ipsum super omnia astra evehat, ad denotandum, sedem suam jure superius esse oportere, & sibi supremum honorem deberi; quandoquidem in ipso summum sanitatis humanæ arcanum sit reperiibile. Est alioquin omnibus astris propter astrale semen socialis; & planeta, quocum se conjungit, in suo puncto fortificatur: itaque si ille malitiosus sit, redditur hic adhuc malitiosior, sin vero benignus, tunc iste per unionem Mercurii melioratur, inque proposito suo fortificatur. In summa Mercurius est instar hominis neutralis & politici, qui neminem lubenter offendit, sed omnibus applacet; Aliàs est de natura sua calidus & igneus in toto suo esse. Ignis metallicus tam est apud Mercurium efficax, ut hinc suum corpus in continuo fluxu debeat permanere.

2. Et licet Mercurius hic multas virtuosas medicinales facultates ac vires in se habeat, equidem longè adhuc non est Mercurius Philosophorum: nam Mercurius Philosophorum metallorum est Mercurius, qui nunquam calidus & frigidus, siccus ac calidus est &c. Quia complectitur in se quatuor elementorum qualitates, Mercurius autem vulgaris calidus est in toto suo esse, igitur is Mercurius philosophorum esse non potest; & quamvis hoc sit ita, attamen non oportet ipsum propterea contemnere nec rejicere, cum Sapientes antiqui multum & sublimiter de illo semper tenuerint, quandoquidem ipsum, loco bene meritæ coronæ, lunâ exornarint ac sole insignierint.

V v

3. Effic

3. Effice hoc *visibile invisibile*, & depone Mercurium à suo officio, facie & dignitate, præcipitâque ipsum infra se, redige in terram, unde natus est, sic multò majorem calorem, quàm antea, poterit sustinere, interroga ipsum tunc, & poterit tibi materiam primam, verâque clavem ad *magnum opus* monstrare. Plumæ ipsius evulsæ sunt, suæque alæ effigiem vespertilionis induerunt, & factus est draco terrestris; Natura ipsius calida in admodum frigidum toxicum commutata est, hoc fit per detractionem honoris, capitisque elati præcipitationem; hoc totum autem cedit ipsi in melius, nam per infamiam, ignominiam & proprium exitium, exaltatur ad maximam dignitatem & constantiam; Oportet verò sibi ab ipso nunc cavere, quia est venenosior, quàm antè; sanguis ejus est subrufus, quemadmodum verus draconis cruor, ex quo cæteroquin etiam lac virginis solemus distillare, quod, ubi cum igniti leonis sanguine & spiritu aquilæ seu salis ammoniaci fuerit unitum, post debitam digestionem cum spiritu vini, debet in probum, verumque Aurum Potabile evadere, quod, etiamsi à multis in *longinquo* quæratur, attamen in *propinquo* inventum est.

4. Hæc medicina se in Mercurio universaliter exhibet, & qui Mercurium, ut superius retuli, speciali modo præparare, præcipitare, sublimare, aut aliàs, ut dixi, cum illo procedere novit, is veritatem experietur, qualem nempe medicinam fuerit adeptus, quia Mercurius non solum pulmones curat, ac inde provenientes defectus, sed & tanquam spiritus omnia membra pervadit, & restaurat in iis spiritus vitales, absūmit velut spiritualis ignis omnem materiam peccantem, quod etiam unice Mercurius antimonii facere potest, quod nullum ex mineralibus præcedit; Et quanquam vitriolum etiam suum ad hoc præffare debeat, dum mediante vitriolo Mercurius in oleum transmutatur, quando idem antè per spiritum vitrioli in Mercurialem aquam abiit, quod absque vitriolo fieri non potest, *satis est*. Unde inconstans sibi Mercurius omnem in modum de humanitate ac amabilitate Veneris congratulatur, quod nasci singulariter expendent; Et cum spectet hoc ad secretius Sapientum sigillum, hinc hæc vice desinam, interea tibi præfatum Mercurium cum proprietate Venericæ ad examinandum relicturus, Dii cœpta secundent.

Ca-

Caput decimum quintum.

De natura ac proprietate phlegmaticæ Luna.

1. **E**Xercet Luna astralem suam influentiam, ope frigidi Saturni, in mineram argenti, quæ tanquam receptaculum lunarium facultatum, suam ulteriùs bonitatem Mortalibus communicat, Et quemadmodum habet influentiam suam Luna in argentum, & eidem operationem suam speciatim exhibet, sic quoque moderatur ea in microcosmo cerebrum; unde venit, quòd Luna inferior, nempe præparatum ad hoc argentum, omnibus cerebri defectibus ex fundamento medeatur; quia hæc facultas est argento à Luna superiori communicata; Nam illud, quod est inferius, est sicut illud, quod est superius &c. Et dum Luna superior in benignis suis operationibus retardatur, per alios contrarios aspectus, qui Lunæ ceu in opposito stant, aliud, quàm Luna intendit, efficere volentes, vel alioquin eam inficere, tunc per hoc non tantùm Luna inferior, tanquam receptaculum superioris virtutis, in suo spiritu debilitatur ejusque operatio præpeditur, sed etiam patitur propterea cerebrum humanum, pro natura superioris infectionis &c. Et exurgit astralis quasi morbus, quo microcosmus affligitur; hæc infirmitates vix possunt communi viâ per Vegetabilia curari, cùm ea in inferiori & inæquali gradu collocata sint; ex his rationibus oportet nos talem in hoc ad manum sumere medicinam, quæ sublimiori gradu, vel saltem ad minimum, in eodem persistat, ut exempli gratiâ.

2. Luna à pravis admodum venenosis contrariantibus planetis infecta & suppressa est, indè jam etiam humanum cerebrum, tanquam receptaculum, debilitatur seu inficitur; si nunc morbus hic curandus sit, oportebit id fieri per sympathicam medicinam, hæc medicina autem debet ipsa priùs ab omni infectione, quam illa à suis superioribus sibi attraxit, liberata atque purgata esse, & cum causâ prima in proximo, æquali, vel etiam superiori gradu, persistere: Jam potest nemo, in rei veritate, ire inficias, quin metalla ac gemmæ nobiliori

quodam & sublimiori sint gradu, quàm debilia illa facilitérque destructibilia vegetantia corpora, igitur oportet ipsa quoque habere prærogativam & primas, ideo potest argentum has vel alias incurabiles capitis affectiones sanare, sed oportet illud prius, ut dixi, à terrestri maledictò suo seu inquinamento, in quo se illa à superiori derivata infectio sustentat, probè rectéque esse separatum.

3. Hæc *separatio* est illa in *tria* sua principia reductio, quando *tres* illas puras partes specialiter ad hoc redigimus, & maledictum seu infectam qualitatem removemus: hoc modo & aliàs minimè possunt hæ affectiones curari, Nam superius ligat & regit suum inferius, & inferius ostendit obedientiam suo superiori, hinc venenum cedere & puro lunari sulphuri locum dare cogitur. Sub sulphure Lunæ intelligitur Luna Potabilis, quæ in æquali stat gradu: Verumenimverò fixa & excocta illa *alba rubraque* Lapidis nostri substantia supremo triumphat gradu, unde est ipsa infallibile medium in similibus prædictis infirmitatibus, & super omnia exaltatum. Aliàs est Luna naturâ frigida & phlegmaticâ, concordat ex parte cum Saturno; nam sicuti Saturnus supremus, sic Luna extremus est planeta, & uterque æquè longè à Sole distant, qui, tanquam cor omnium planetarum, in medio cœli consistit.

4. Habet Luna Sal stabile, quod proprium suum Mercurium constanter fixit, & hic Mercurius animam cum Lunari corpore, nempe Sale, convenienti satis harmoniâ, prorsus æqualiter & probè copulavit: In hac conjunctione non potuit maledictum terrestre, nempe exiguum inquinamentum, quod extra *tria* illa principia in omnibus reperire est, copulationem impedire.

5. Præbet Luna per se exiguam introductionem seu progressionem ad Universalem fontem, sive sublime Sapientum Opus: invertamus eam iterum atque iterum, equidem nihil Solare apud illam reperiemus, nisi forsân, aliquo modo arte, Solare quoddam calidum sulphur Lunari illi frigido sciamus adjungere, ipsam co-

inca-

incallescere solaribusque radiis incendere, & sic in verum Solem tingere, quod non fit ex parte Lunæ, sed beneficio fixi rubri sulphuris. Ex Luna nil solare potest extrahi, nisi prius id in illam introduxerimus, hoc experimur in Luna fixa, quando scilicet cæruleum aquosum argenti sulphur per solare incendimus & compactum reddimus; dum hanc solvimus, aut remanet certa quædam pars auri, aut aliàs Luna fixa, quod citra introductionem fieri non potuisset: Nam quemadmodum aurum *tingere* non potest, nisi prius *tingatur*, sic quoque nil potest de Luna extrahi, nisi prius in ipsam sit introductum, per specialem Arsenicalem ingressum. Qualiter verò hoc dextrè peragendum sit, pertinet ad Universale, & secus non contingit, quàm per Philosophorum Alkahestum, sitque viâ siccâ vel humidâ, ut ex præcedentibus meis credo intellexisse te.

6. Possem hîc quidem unum atque alterum inferere processum; Quomodo nimirum Luna fixa &c. Quomodo augmentum perpetuum per *duplatum* Mercurium institui posset: sed quia prolixitatem refugio, teneor manum de tabula auferre, sigillum mihi imprimere & habenam ori injicere, ne tanquam defrænatus equus, quem nemo sistere valet, mihi ipsi collum detrudam; quisquis hoc periclitari desiderat, rem expendere potest, meosque labores, quos in gratiam Amatorum artis conscripsi, acceptos suscipere; Et si tibi grave videretur, in omnibus his dilucidum impetrare sensum, convertè te ad orationem; nam petenti dabitur, & sic proba te ipsum, antequam de *calice* hoc bibas, & si non es *prædestinatus*, fac ut *prædestineris*, quia *electis* nil tenere volui occultum; Iraque cor tuum humilia, interroga illum, qui damno dexteritatem quandam certamque experientiam adeptus est, sic ad tuum pervenies intentum, pro quo Omnipotenti ad summum habes agere gratias; præ omnibus autem *pauperes* tibi curæ sint, & attende ad te ipsum.

De natura ac proprietate gemmarum.

Quomodo nimirum eæ ad sublimem medicinam, per Philosophorum Universale Menstruum, reducendæ?

1. **H**Abent gemmæ principium suum & originem ab astrali primo mobili, æquè ac etiam suprema & infima metalla, unde illæ coloribus suis, sulphuribus, aliisque proprietatibus, cum septem astris superioribus & inferioribus correspondent, suamque operationem perficiunt, dum eadem prius, à terreis suis vinculis & fascibus terreni maledicti, fuerint exoneratæ, inque tria sua principia abierint, quod fiet per Menstruum Universale. Menstruum, quod metalla in sulphur & salem dissolvit, idem quoque debet, ad extractionem gemmarum, colorum ac salis, usurpari, cum ab uno *spiritu* mundi omnes ad corpus quoddam delatæ sint; hic *spiritus* autem Universale est Menstruum, in quo est vis quædam attractiva omnium rerum, tam mineralium, quam metallicarum, vocatur apud Basilium, *Omnia in Omnibus*; Crede mihi, quod *spiritus* Terræ sulphur suum è terra, atque iterum in terram debeat ducere, unde est in *hoc spiritu* supremum totius Chymicæ scientiæ arcanum, sine *hoc spiritu* bonitatem Creatoris nostri in gemmis non potuissimus animadvertere.

2. Et ut ne medicinam, quæ in gemmis reperibilis, præteream scito, quod gemmarum unaquæque proprium suum habeat astrum, à quo vim suam & operationem suscipit, sicut etiam metalla, & quod metallica medicamenta in septem præcipuis hominum membris expediunt, idem quoque gemmæ efficiunt: Nam Granatus, vi fidere Saturnalis influentiæ sui Orphicis, sanat defectus splenicos, quemadmodum similiter plumbum, quia utraque unicum tenent astrum, quod naturam suam supernè in illa deorsum influit, indè jam venit, quod mineralia, vegetabilia, atque etiam animalia aliqua unius generis virtutem possideant.

Topa-

Topazius vi influentiæ Jovialis Zachariælis jecori, omnibusque defectibus, qui inde exurgunt, eodem modo succurrit, & hoc non minus, quam præparatus Jupiter facere posset, seu valeret. Martialis sympathicus Rubinus concipit ab intelligentia Martis, qui cum Samuël sit influentia & virtus singularis, idcirco is bili ordinatur, servitque omnibus defectibus, qui hinc proveniunt.

3. Solaris Carbunculus cunctarum gemmarum lucem, splendorem ac virtutem antevertit, quia ipsius influens intelligentia est præpotens ille Michaël, cujus interpretatio quærit; *Quis est ut Deus?* &c. Quasi intelligentia indicare vellet, quod, sicuti nihil Deo est altius, sic quoque sublimius in mundo Deo, Solarique Carbunculo, non sit invenire: Voluit natura Carbunculum super aurum exaltare, quia illa eundem plenariè maturavit, quin etiam ad vitrum efuscitavit, quod finis & omnium perfectissima est operatio, quam natura vel ars valet efficere, quia ultra vitrificationem nihil amplius cogitandum est, unde rationabiliter erit concludere, sulphur Carbunculi cordi majorem indubiè fortitudinem adferre, quàm sulphur Solis, hæc utraque cardiaca sunt, in omnibus morbis, convenientissimè usurpabilia. Jam verò operatur Venerus Smaragdus per intelligentiam Anaëlis, qui influit terrestrem in Venerem ejusque Smaragdum, per quem morbi renum atque dolores, per brevi tempore, possunt curari. Martialis autem CrySTALLUS operatur per influentiam intelligentiæ divini Medicinalis Raphaëlis, appropriaturque pulmone, & quidquid inde dependet.

4. Obtinet Mercurius affinitatem cum Saturnali curâ lienis, qui aëre carere non potest, alioquin ejus adfert commotio plures convulsiones, estque Saturnus plurimam partem Mercurialis. Quemadmodum nunc Mercurius, tanquam spiritus vel aër, possum pulmonem transmeat, ejusque obstructions recludit, & infectionem aëris, quæ aliàs putrefactionem in pulmone causat, corrigit: sic sanat Saturnus ratione Mercurii sui splenem, ejusque

que compunctiones. Pulmo aëre minimè potest carere, & omnia elementa aëre nutriuntur. Aër vehiculum est, quoëstra superiora influentiam suam in terrena corpora exercent & communicant; Et ut se habet aër ad ignem & aquam, sic etiam se tenet aërius Mercurius ad nutriendum sulphur ac salem &c. Verbo, Mercurius atque aër vehiculum est sive medium inter duo extrema &c. Et quod hîc dictum est de Mercurio, intelligendum item erit aliquo sensu de Saturno, quia habent singularem cognationem ad invicem. Hanc concordantiam, quam habet Mercurius cum Saturno, unicè attendent ii, qui in Chymica palæstra *victores & ictores* cogitant evadere. Philosophi non sine notabili scrupulo magnum Opus Saturno ascripserunt, tantum suis scriptis prætendentes, quasi Saturnus esset materia prima; quippe inquit Basilii, quòd, etiam si Saturnus minimam apparentiam habeat in Arte nostra, locatúsque sit infimâ honoris mensâ, equidem idcirco is minimè sit despiciendus, at in summo honore habendus, quia coagulationem Mercurii in Saturno reperimus, specialiter dum illi certa quædam particula fixi Metallici salis apponitur.

5. Forſitan hîc summè miraberis, quòd Saturni hîc tam multum ſim memor, cum tamen intentum meum in Mercurialem Cryſtallum ſit directum. Itaque ſcias, me hoc ob ſpeciales cauſas feciſſe, & ad obtenebratum intellectum tuum illuminandum, adque ulteriorem ruminandi anſam tibi excitandum; Videmus ut in mineris ferri & cupri Saturnus tam libenter ſe ſinat inveniri, ex hoc poteſt ſibi ingenioſus artiſta facilè formare conſuſionem quandam, remque tam diu perſcrutari, donec Mercurium Saturni offenderit, qui de divite quadam nondum fuſa minera magnâ dexteritate eſt educendus, & hoc ope aquilæ ac draconis, qui aliàs etiam *Rupicoluber* dicitur, quod totum eſt idem habens ſolummodo diverſa nomina; qui hoc non apprehendit, nec cordi ſuo inſigit, is in omnem æternitatem nihil intellectus neque profeſtus ex philoſophicis libris obtinebit.

6. Hic

6. Hic porro non obliviscar, quod, quemadmodum Mercurius in aliquibus punctis cum Saturno concordat, sic pariter Granatus cum Crystallo respondeat; nam illorum intelligentiæ atque influentiæ in mundo cœlesti, per specialem distantiam & figuram, talem harmoniam primò componunt, & ex his causis est, quod hîc Saturni fuerim sic memor: Nam cum ille terrestris sit planeta, & siccam frigidamque qualitatem habeat, hinc idem cum Mercurio concordat, qui aquam repræsentat, & frigidâ humidâ qualitate præditus est; ac sic accordat ulterius Mercurius, propriâ suâ frigidâ aqueâ qualitate, cum Saturni aliâ correspondente qualitate, quæ similiter frigida est.

7. Cæruleus Lunaris Sapphirus efficaciam suam astralem à Luna suscepit; namque intelligentia Lunæ est ejus Angelus, nempe Gabriel, qui influentiam suam per Lunam & aërem ope elementorum consummat: idipsum nedum in suo inferiori astro contingit, verum & in suo Sapphiro, qui æquè pari facultate delibutus est, ut argentum, quæ utraque, in omnibus capitis seu cerebri infirmitatibus, tutissimè usurpari possunt, suumque effectum summa cum admiratione exerunt. Oportet verò illorum compacta occlusa corpora prius dissolvi, nobilemque eorum animam, sive sulphur ac sal &c. inde educi, quæ similiter in potabilitatem quandam abire oportebit. Potabilitatem autem ejusmodi conficere sine Saturnali spiritu est impossibile, qui quidem spiritus, aut ex saccharo, aut potius ex Mercurio Saturni debet extrahi ope salis ammoniaci, ut paulò antè mentionem feci, id non parvi æstimabis, sed maximi facies.

8. Comparatur sal ammoniacum aquilæ, & sulphur draconi; quemadmodum enim aquila supra omnem modum sublimè volare potest, sic etiam facit sal ammoniacus. Et ut igneus draco quævis absomit, sic sulphur similiter omnia corpora peredit, calcinans ipsa in pulverem & cinerem; Ex utrisque item prædictis spiritibus, ope Vulcani, grave oleum extorquetur,

X x

quod

quod omnia metallica mineraliâque sulphura solvit, inque oleum quoddam resolvit, sed jam tempus est *auris arrigendi*; Si illius partem unam super duas puræ separatæ argenti calcis projiciamus, figit se oleum illud simul cum metallico sulphure in Luna; calefacit ipsam, evehitque eandem ad naturam solarem &c. Si possis hoc arte consequi, tunc nihil amplius est tibi necessarium, nam attrahit, introducit, solvit, manetque cum suo soluto; Videmus, quàm proclivis sit cinnabaris ingredi vigore sulphuris, quomodo similiter illa, ope fixi cujusdam corporis & metallici salis, in Lunam transmutetur; id ipsum ansam præbet ulterioris considerationis; Nam si possit *draco* solus tamabilem reddere Mercurium, ut ad prædictum opus qualificatus fiat, quid non *alba illa aquila* ipsi præstabit? &c. Ubicunque nunc lux talis deprehenditur, ibi *filius artis* continuo cessabit, remque eousque indagabit, quousque ad causam efficientem perveniat, hæc vera est via scientiæ obtinendæ; secus qui facit, & de uno ad aliud saltitat, nihil experitur; & si ipsi aliquando obstaculum eveniat, juvare se ipsum non potest, quia nec naturam, nec qualitates ejus cognoscit.

9. His hac vice de *Magicis* elementis, de Medicina Universali, ejusque Menstruo, scribere superfedebam: quandoquidem quoad minerale regnum promissa mea abundè satis adimplevi. Spero *benignum lectorem* hanc meam sufficientiorem doctrinam, quantum ad hoc, æqui bonique facturum; & hunc meum Libellum, non obiter vel perfunctoriè, ut aliàs fieri solet, lecturum: verum lectionem, magnâ considerantiâ, sæpè sæpius reiteraturum; Nam verba pauca scripsi, habentia tamen omnia suum specialem sensum & interpretationem, sunt quoque omnia necessaria, & tam arctè in unum collecta, quàm mihi etiam possibile fuit; & hoc propter has feci rationes, ut ne *benevolo Lectore* displicentiæ nausea inter legendum obveniret: Ut autem hoc impediam, meamque candidam affectionem, erga omnes sinceros Amatores, eò melius exhibere possim, his, cum præcedens lectio *lectori* adhuc recenti sit in

memo-

memoria, in epilogum hujus libelli, brevem valde repetitionem de *Magicis* elementis, de Medicina Universalis, sive Auro Potabili verè irreducibili, deque Menstruo Universalis, per quod hoc ita sublimiter præparandum est, sum adjunxi. Eapropter unicè attendere dignare, quia in eâ totum nuncupatum, à cortice suo planè plenèque denudatum, dilucidissimè ob oculos ponam.

Caput decimum septimum.

De medicina Vegetabilium & Animalium, qua se in duobus illis regnis exhibet, sympathicæque ad primam medicinam spectat.

I. **D**icimus estque verum, *Homo vinum & aurum sunt sibi invicem benevola*. Vinum possidet efficacem, fortificantem Spiritum, quicum cor hominis, reficere potest. Vinum refocillat in senibus spiritum, qui aliàs, tanquam mortuus, apud illos tam profundè sepultus jacet, ut ipsum deprehendere ne possimus; ubi verò vinum, ab hominibus potum, conjunctionem quandam cum animalis vegetabilique spiritu fecit, excitatur per hoc spiritus vitalis, nempe Mercurius, perque integrum corpus dilatatur, ut etiam illum omnia membra percipiant, & se movere indè habeant. Mercurius regit microcosmum, & vinum est vehiculum universalis ac particularis medicinæ; & quod plus est, spiritus vini non tantum est vegetabile menstruum, sed etiam minerale. Talem amicitiam habet idem, qualem ardens quoddam sulphur cum sulphure metallico, unde venit, quod nullum Aurum poculentum sine illo possit effieri. Spiritus mercurii extrahit tincturam de sulphure solis, tanquam intimum ex anima, spiritus vini autem extrahit intimum ex his intimis, quia ibi iterum separant se faeces, quæ non introducendæ, nec ad tincturam trahendæ sunt. Tinctura est ficcum sulphur, quod per Mercurium Philosophorum dissolvitur, & se cum eo ita unit, ut solutum à solventi non sic

sejungere, quia velut una aqua in aliam abierunt, Et quemadmodum nunc una aqua in aliam libenter intrat, seque in intimis commiscet & separari non patitur, sic facit quoque menstruum, nempe mercurius Saturni quem alibi *animam* mundi vocavi; Et spiritum vini similiter hoc verum solutivum menstruum demonstrat experientia in auro potabili, quia hic à primo menstruo, nec ab extractione neutiquam potest separari, æquè ægrè ac aqua ab aqua &c. Et hoc verum est signum, quia philosophi in hoc omnes consentiunt, quòd solvens nimirum in magisterio magno apud solutum suum debeat permanere. Hoc est imò rectè & bene pronunciatum, cum verum solvens à soluto non possit divelli; sed debeat cum eo ad minimum duodecim dies in digestionem stare, rubramque effigiem præferre, modò aliàs verum Aurum poculentum dicendum erit.

2. Et cum nunc spiritus vini menstruum vegetabile sit, tunc est quoque medicina vegetabilis, aliàs non esset opus ipsum apud aurum potabile permanere, cui nihil alienum, nisi tantummodo mera medicina, debet accedere; Et quemadmodum spiritus vini pro sublimi menstruo ac medicina potest & debet reputari, haud aliter quoque tartarus, cujus spiritus similiter ad reclusionem metallorum potest usurpari: metallis enim valdè faver, augens eorum malleabilitatem, id est, eorum salem, quia sal est metallorum malleabilitas, ergo quidquid malleabile reddit, augmentat eorum salem. Unde possemus etiam tartarum bene, vel satius ejus spiritum, ad optinendum *tria* principia, usurpare, ut superius indicavi, oportere scilicet separationem quoque in *tribus* principiis sequi, quando nimirum sal, seu elementum terræ, ita augmentatur, ut incipiat dominari, tunc protinus duo debere cedere: Quandoquidem autem hæc non sit via nec intentio, ut sulphur deperdamus, hoc unicuique liberum relinquo, volens saltem illum de eo ipso ulterius ponderando monitum habere; ego quantum ad me facillè contentor illo, quod expertus sum, quousque inveniam mellorem & propiorem
viam

viam *trium* illorum principiorum de fixis metallis educendorum.

3. In tartaro non exigua herculè delitescit medicina; nam præter clarificatum salem occulitur etiamnum magnifica tinctura in illo, quæ contra calculum aliósque multò plures defectus, mediante suo vehiculo, tutissimè potest applicari. Ex tartaro, ope sulphuris, liquorem quoddam menstruum, seu oleum, distillatur, quod tincturas & essentias, ex omnibus vegetabilibus, sibi attrahit; præcipuè dum spiritus calcis vivæ ipsi incorporatus est. Ab hoc autem menstruo potest spiritus vini tincturas deintegrò auferre, ita ut menstruum propterea illæsum maneat; utrùm etiam hoc oleum metalla apprehendat, determinare intermitto: mihi constat, oleum quoddam ex his ambobus igneis spiritibus posse extorqueri, quod incontinenti dissolvit, & omne, quod naturæ suæ est, absument instar draconis, quia in ipso sunt serpens dracòque simul &c. Ex dracone præterea solo, per additionem draconis volantis, quem philosophi sal ammoniacum nominant, potest præigneus mysticùsque spiritus educi, qui profectò non contemnendus est; Qui hunc spiritum sui simili animare novit, instructione meâ non opus habet, gratulorque ipsi de illo.

4. Sed ut iterùm ad tartarum veniam, & doceam, qualiter tinctura obtineri possit, scito breviter, Sal tartari tam diu debere in igne calcinari, donec optatus color tibi apparuerit; huic affunde rectificatum spiritum vini, sic habebis in spiritu vini tincturam tartari, instar sanguinis rubicundissimi, hæc potes separare, vel juncta simul conservare juxta beneplacitum tuum, mihi sufficit, viam tibi aperuisse, qualiter in vegetabili regno, consimilis insignis medicina & menstruum possit obtineri; Et cum illud ex animali quoque regno tincturas & essentias habeat extrahere, idcirco tibi hic brevissimè manifestaturus sum, quòd, Quemadmodum in auro virtus aliorum metallorum omnium solum comprehendi-

tur, sic quoque in Mumia, supple. in corde humano, ; suprema nostræ valetudinis medicina certò sit reperibilis; Quia verò non semper recens humanum cor habere licet, ad illo in medicina utendum, hinc convenit istud, quod cordi proximum est, loco illius usurpare, vel aliàs specialia præparare, & *simile sibi simili* curare; Per hoc autem non tam securi sumus, quàm per Universalem Medicinam, quia Medici iudicio suo non semper consentiunt, tanguntque causam ac fundamentum infirmitatis admodum raro: adhæc etiam plura subinde, quàm unum, membra in corpore laborant & ægrotant, & quod duntaxat illi uni convenit, id aliquando alteri nocivum est; In Universali verò Medicina hoc minimè timendum est, quoniam in corde, auro ac vino, sunt omnes animalium & mineralium & vegetabilium virtutes in unum collectæ, omnia ad solatium & utilitatem generis humani, quod sibi de hoc summè gratulari potest, & omnium rerum Conditori Deo, pro hac excellentissima medicina, de fundo cordis habere gratias.

5. Æterno poli Monarchæ sit laus, honor & gloria pro sua gratia, quam mihi concedit, in describendo hoc meo Tractatulo, qui non ex vana fama, aſt tantum ideo publicatus, quia vide, quòd per diverso-varia proluxa philosophica scripta, mundus ad talem devenerit errorem & seditionem, ut spectare sit lamentabile, qualiter nimirum plurimi quoque se frustra torqueant, crucient, quærantque in quo nihil est, dilapidantes, præter opes suas, irreparabile tempus, & tamen nihil deprehendentes; Eapropter fas est, ut quis materiâ clavique huc properet, antè & priusquam totus corruat in errorem Orbis, & probi ipsi desperent, quibus hisce fortunam temporalem, sempiternamque salutem precor. Cæterum *Commentationem* meam Deo omnium illi scientiarum superabundantissimo fonti commendo, qui quibus velit probum illius suo tempore sensum & intellectum daturus est, Amen. Remanet igitur verum, *Hominem vinum & aurum se invicem amare.*

Per-

*Perfer & obdura, dolor hic tibi proderit, olim
Sæpè tulit Physicis succus amarus opem.*

Caput decimum octavum.

De Chymico Alphabeto.

Quomodo nimirum veterum philosophorum characteres, signa ac verba intelligenda sint & interpretanda.

1. **P**Ræcedentibus capitibus de Materia prima, de Menstruo & Medicina Universali; similiter de *Magis* elementis si-
ve clavibus, quantum mihi Deus quidem permisit, clarè ac ex-
pressè satis scripsi: Cum autem id incipientibus tyronibus ali-
quo modo grave obvenire posset, quandoquidem illis philoso-
phicus stylus adhuc ignotus sit, atque ego aliud nil prorsus in-
tendam, nisi qualiter omnibus fidicordibus probisque Artis Fi-
liis servire possim, summè necessarium deprehendi ab humili &
simplici intellectu sumere exordium, & Chymicum Abecedà-
rium ac aliquos novos characteres, qui proprietatem rerum de-
signatarum veraciter exhibent, annectere; Idcirco æquus tech-
nophilus unicè curam adhibebit, in discutiendo hoc Abecedà-
rium, & adjunctos novos characteres, nam indè prima lux oritur.

2. Philosophi materiam suam, si-ve menstruum, aceto acerrimo
assimilant, itémque vitriolo si-ve nitro, quia hoc omnes qua-
litates continet, quæ materiæ primæ à philosophis attribuuntur,
cum illud humidum & siccum, frigidum & calidum, leve & gra-
ve, secundum quod ipsum habere volumus, deprehendatur. Mer-
curius jam similiter hanc habet proprietatem, & est perspicuum,
Lapidem Philosophorum sine illo non posse fieri, eapropter Sa-
pientes haud injustè faciunt, quando ii suam Materiam Mercu-
rium vocant.

3. Quòd verò multi ex frigido Saturno, cum opus Magnum
ipsi ascribatur, salutem suam consequi desiderent, id ipsum tam
diu

diu ego in illorum opinione perdurare sino, donec ii sentiant, quas Saturnus in se habeat qualitates; Materia sapientum solaris est & calida &c. Saturnus autem est lunaris, ut idem demonstrat ipsius character, qui semiluna est. Sapientum Saturnus non est à philosophis omnimodè dextrè consignatus, nec proprio suo nomine expressus, quia illum jurè caractere solis oporteret esse insignitum, cum circulus figura sit omnium perfectissima. Et quamvis ex materia prima cuncta metalla sint nata, & hinc non fuerit inconueniens, quòd signum illud omnium metallorum characteri responderet; nihiloscius Sapientes id ipsum, ex speciali consideratione, facere non voluerunt, ast solummodo aliquatenus per signum vitrioli, nistri, aceti. Saturni, sive Mercurii, expresserunt.

4. Qui jam ex arte novit hæc in unum formare characterem, ita ut etiam harmonia quædam per conjunctionem contigerit, is habet materiam ante oculos suos; ideò oportet ad Sapientum Alphabetum te convertere & videre, si tibi succedere velit; Signum autem aceti sive Azothi primas habere debet, post hoc alia, quæ aceto omnium proximè cognata & addicta sunt, quamprimùm pedibus insequentur, & sic de cætero: Hæc viâ mirabilis consurgit character, qui naturam rerum prædictarum per omnia comprehendit, excepto quòd mercurius vulgi non plenariè ante oculos jaceat, & à quovis dignosci possit; Ego autem ajo tibi, quòd Mercurium non tam ex alis suis cognosces, quàm ex igne suo, & hic frigidus est ac terrestris, sicuti ille antiqui istius infirmi Saturni, hoc modo certificatus es, præcipuè dum in hoc caractere calidum ignitum signum potes videre. Igne hoc excessivum venenosum materiæ tuæ frigus temperatur, & fit tandem omnes qualitates, hinc menstruum Universale, & balneum Regis præparatur.

5. Hic notandum est, sub vitriolo sulphur ardens esse intelligendum, hoc vocamus quoque aliquando igneum draconem; Nam quemadmodum omnia absumit draco, sic etiam sulphur omnia igne suo comburi & calcinari facit; Qui verò frigidum meum draconem probè intelligit, & ipsum in præfatis figuris offenderit, idem nihilo

hilo ulterius eget, quàm duntaxat rubrum quendam igneum volantem draconem huic suo fratri adungere, tunc duas naturas in unam redegit, quæ tamen antè quoque unà unica fuere, & tantum in qualitatibus diversificabantur; retinent verò ambæ unam spirituales Mercuriales naturam: Absque hoc nequit Universale generalissimum confici, deberet jurè characteri Altissimi vivace consignari; quia bonitas, quam Deus Omnipotens in toto Universo collocavit, huic præfatæ materiæ soli communicata est. Et quemadmodum generi humano omnia bona de Terra proveniunt, taliter progerminat ab hac materia sanitas atque divitiæ. Assimilatur, ut antè recensui, divinx majestati, quæ omnia comprehendit, & in qua omnia quoque comprehenduntur.

6. Character divinus rotundus est circulus sive sphaera, cujus centrum ubique, circumferentia autem nusquam terminat; Similitudine divini hujus characteris creavit Deus Omnipotens cælum & univèrsam Mundum in rotundam perfectam circularem formam; Et quantò exactius astrale quoddam corpus cum hac divina figura & signatura convenit, tantò nobilius idem reputabimus, quia non gestat tantum figuram illius, à quo cuncta moventur, sed etiam rudis elementaris terrarum Orbis, seu potius fixi indestructibilis Salis sui Salvatoris; Nam philosophi, ut superius declaravi, intelligunt etiam nonnunquam salè sub nomine Terræ.

7. Cæterum in hoc meo proposito nihil refert, sive globum hujus mundi velut circulum, sive verò salè & nitrum expendas; Non autem debemus cum his procedere, ut supra dictum est, sed hæc duo bene permiscebis, proprio suo aceto labibes, ita ut id in quantitate materiæ supernatet; Acetum autem fieri oportet ex prædictis salibus, per diametrum salis sive vitrioli, & lineam perpendicularem nitri, sic fit acetum acerrimum; Per acetum Azoth sive crux, & vice versâ per crucem sapius intelligitur Azoth, nempe Redemptor, qui se de sursum in

Y y

hunc

hunc Orbem deorsum demisit, ferūque, ut spiritus Domini, super aquam salis, siue vitrioli & .nitri, ex quo ipse natus & extractus est. Hic facillimè te adiutum habere possem, sed non est mihi supernè permissum, de hoc longius scripto revelare, propter tyrannos & indignos huius mundi, qui in tenebris ambulant, & lucem, quæ nunc his ultimis temporibus exorta est, ac clarè lucidèque scintillat, minimè acceptare volunt, Et propter has rationes tam crassâ passim superbiâ ab Omnipotente Deo in hunc mundum animadvertitur, ut is se ipsum planè non possit noscere; Nam mundanus spiritus, nimirum illorum proprius malus bonusque genius, qui *duplex* spiritualis est conjunctio, omnia mortificans atque vivificans, ab iisdem discessit. Et quando aliquid semel vi seu arte, à terrestri suo maledicto, aut materiâ peccandi, quæ matrix ac domicilium fuit huius boni & mali, se junctum est; tunc illud se ampliùs ita conjungi non patitur, nimirum tali harmoniâ, subque forma tali, quali priùs, ante separationem, ob oculos jacebat; inde est Mundus vivens mortuus, vidensque cæcus.

8. Jam prorsus simpliciter locutus sum, & illud Abecedarium digitis meis Terræ, ex quâ creatus es, in pulvere consignavi. Et inter hæc est mihi *unus unicus*, qui omnium planetarum virtutem, omniumque mineralium & vegetabilium proprietatem complectitur. Hæc est materia prima Lapidis nostri, quæ ex isto A & Ω procreata est. Principium finisque Lapidis nostri dicitur *duplex* caudatus Saturnus; hæ caudæ sunt lunariæ, & per specialem conjunctionem cœlestemque figuram, in primo & ultimo tactu Lunæ, ad huiusmodi arquam virtutem ac heroicum characterem transmutatæ sunt. Hoc complectitur in se totum Alphabetum Chymicum; Nam in hoc est etiam supremus Saturnus omnium maximè visibilis; Ferreus centurio ex hoc universali Characterè dignoscitur, sed impones ipsi cassidem suam, tunc præsentat Mars officia sua, designat principium, materiâque primam in Terræ & in minera sua expresse demonstrat; quoniam ille alioquin libenter ibi est.

9. Mercurius nihil est aliud, quæ vera quædam Venus, quæ lunarem coronam gestat, & cum illa solare sulphur habeat, discipit illam æquus bonusque Jupiter ad maiorem exaltare honorem. Extrahe mercurio cornua, id est, ambure ipsi alas suas, sic est Venus quædam, tam invertas, tunc habes efficax quoddam sulphur, quia vitriolum est sulphur & antimonium est mercurius, hoc semen est & matrix &c. quod de Terra progenitum est, & terream faciem formamque circumgestat, nec non iterum, ope terræ, corporaliter coagulandum, constanterque, congruo beneficio Vulcani, fixandum erit.

10. Fastuosus ille mercurius habet salutiferum istud signum, quod Moyses in deserto erexit, & serpentem illi affixit, despectum pedibusque conculcatum. Illi injunctum est, ut crucem devoraret, stomacho suo concoqueret, seque statuto quopiam tempore *cruce* cibaret & sustentaret, æquè ac elatus ille superque se jens Nabuchodonosor, quia superbi per contrarium humiliantur, & impiis malum, quod formidant, omnium primò evenit. Mercurius metallicus est Lucifer, hesperus & vespers; Spolia ipsum ornamento capitis sui, sic sphaericus est truncus, super quem fortuna circumcursitat, donec ipsi nutrimentum rude & indigestum ultra se superius erumpat, tunc est præquam submissus & humilis, eodem modo quasi redegressus ipsum in vitriolum per proprium suum *acetum*, quod ipsi subiectum est. Qui hunc rectè novit, probè invenit, dextrè tractat, salvus est diversæ usque in finem suum: Adige mercurium in crystallum, adde ipsi salem suum, sic habes omne, nempe Universale.

11. Intentio mea non est de rebus sublimibus hinc sermocinari, sed de Abecedario, quomodo videlicet inde syllabæ, & postmodum verba formanda sint. Hoc Abecedarium sunt simplices characteres, syllabæ verò eorum conjunctio, quando nempe aliqui characteres in unum contrahuntur, syllabæ autem abeunt in verba, & hæc dant sensum sive intellectum; explanant item naturam ac proprietatem designatorum & figuratorum: Quod enim ex aliqua re facere possumus, id quoque prius fuit in illa ratione virtutis. Ex Catholico Chymico caractere, qui materię primæ appropriatur, potest Mercurius,

rius, Saturnus, sal, antimonium, vitriolum, nitrum, Venus &c. confieri; idcirco omnium illorum virtus, sicut in sphærico quodam trunco, nativè & affabrè conjuncta est, ut figura ejus demonstrat.

12. Et ut absolvam, dico tibi iterum, quia nihil plus eges, inquire, nisi solummodo Chymicum adjunctum Abecedarium. Oportet te verò, pro instructione meâ, bene advertisse; nam exempla declarant, non autem docent, & quod præ oculis delineatum habemus, id intellectus multò citius apprehendit, aliàs tibi Chymicum illud Abecedarium ob oculos non statuissem, & per illud quasi omnè, quod hætenus tractavi, tam in principio quàm fine, & recapitulatione totius Opusculi, denovo & tertio repetiissem: Causa autem hujus est, quòd resolutus non sim impostèrùm clariùs seu longiùs, de hac materia scribere; Propterea ergo brevissimè tantum sum septem astris verum suum proprium characterem, illorum combinationem & colligantiam, ut etiam aliquorum semimetallorum, & quidquid aliàs sparsim commemoratum est, per uniuscujusque propriam figuram annexaque nomina, significaturus, ut sequitur ex

Alphabeto Simplici.


- 13. h Plumbum, vocatur quoque Lupus niger, Mors & Aurum.
- ♄ Stannum, sub quo aliquando Mercurius sublimatus, & Sal ammoniacum intelligitur.
- ♂ Ferrum.
- ☉ Aurum, Rex, Leo ruber, & Draco.
- ♀ Cuprum, Fœmina viridis, Leoque viridis,
- ♁ Argentum vivum, Mercurius, Serpentiger, Tilbon, Hermes vel interpres Deorum, Angvis, Sal volatile; Hæc efficiunt metallicam quandam aquam in terra: Dicitur cygnæum balneum, in quo se Regina purificat.
- ♁ Argentum, habet Saturnalia arma, habilitat se ad Universale, ratione qualitatis &c.

Metallica Sulphura & Salia.

14. Ni-

4. 0 Nitrum, Rupicoluber, Mercurius, Sapientum draco &c. Aquila, itémque Saturnus.
- ☉ Sal, Venerea proprietas, Leo viridis, Potus draconis, Balneum Veneris, Sal metallorum &c.
- ♄ Sulphur, Cerberus infernalis, Igneusque draco, Diluvium ignis, Sagitta mortis, Oleum & Spiritus vitæ, Anima vivificans per se vivens, Clavis clavium, Draco alatus.
- ♁ Sub antimonio semper Mercurius intelligitur : Vocatur vita nova, Medicina incognita, Arbor vitæ cognitionis boni & mali, Arsenicum nigræ mortis, Noli me tangere, Cerberus infernalis tri-ceps.

Syllaba Chymica.



15. Quisquis nunc rectum nomen & characterem materiæ primæ cognoscere vult, is sciat, ex combinatione figurarum resultare syllabas, ex his verò verbum significativum, vel universalem characterem, quem superius in titulo prodelineavi ; Non est autem in istiusmodi simplici despicabili contrariâ formâ comprehensus, ut philosophi fecerunt, & est nihilominus oculariter inibi reperibilis, valdeque simpliciter inde constructibilis ; Ista ratio est, quòd hos paucos solum characteres voluerim consignare ; hi sunt tanquam lucioli, qui ducere te debent ad veram cognitionis lucem. Et quamvis majus quid revelare hic intentionatus sim, equidem ab hoc brevitate temporis abstinetur, præcipuè cum mihi constet, consimiles characteres in typographiis non esse reperibiles, & istiusmodi excudere seu fundere nimis longum fore, atque sic per hoc retardatum iri, ne nova hæc lux Nundinis hisce cooriri posset, quod ægrè ferrem.

Yy 3

16. Quan-

16. Quandoquidem jam tempus advēnit, quo per talentum meum, in illis adhuc pauculis restantibus vitæ meæ annis, hominibus lubentius gratificatum vellem, idcirco abrumpere me filium oportet, interim tibi ad summum hoc Alphabetum Chymicum recommendando; cum promissis, quod, in casu quo mihi Deus gratiam concedere dignaretur, illas adhuc paucas deficientes novas figuras primâ sim occasione annexurus; est autem, novit Deus, innecessarium: Sis igitur his contentus, cum illis tibi communicatis, & sub animæ tuæ salute tibi commissis *Magicis* elementis, duplicibus ignibus, cum Menstruo Medicinæque Universalis tripartitâ, Materiâ primâ, nec non reductione omnium metallorum in *tria* sua primâ principia; & specialiter cum hoc Chymico Alphabeto, quod expertis simul ac tyronibus in bonum cedit: Eapropter sequere doctrinam meam, Dei indigique proximi tui noli oblivisci, & tibi ab interno inimico tuo cane pejus & angve caveas memento.

Brevis Appendix,

Omniûmque præcedenti Commentatiunculâ descriptorum clara repetitio.

1. *Æ* *Que lector*, scripsi hætenus ex singulari inspiratione divinâ, quomodo universale per menstruum Universalis Medicinæ sit obtinenda, idq; quantum mihi quidem possibile fuit, in arctum redegi; In præsentiarum verò vellem adhuc lubenter doctrinam & introductionē ad Artem dare breviorē, qualiter nimirum Antiqui sanitatē suam conservârint, & ad sublimius quoddam altare evexerint; Pròinde scias, quod, tametsi coram Omnipotente Deo, qui omnium cordium scrutator & probator est, salvâ conscientia testari possim, me non ex superbia vanæque honoris aurâ, non ex opinione sive protervia, verum ex propriâ scripsisse experientia, equi-

equidem idcirco, tam apud probos aliquos quàm improbos, de-
tractionem pati debuero. Probis intelligentibus displicet, adeò
perspicuè scripsisse me, improbi autem, quibus Omnipotens illud
non favet, putabunt, nimis obscurè me de re locutum, aut etiam
alias sinistras opiniones super eo sustinebunt. Quamvis jam pro-
borum in arte expertorum offensæ jurè me deterrere possent,
hoc tamen non obstante, compatiòr ex altera parte probis in-
scientibus sincerisque Amatoribus, quibus experientiam meam
lubenter communicare vellem, miseretque me illorum, qui per
multos cacoehymicos libros dilassantur, occupantur & in vanum
laborant.

2. Idcirco scias primò, res omnes ex tribus essentiis, in tale
ac simile corpus, formatas factasque esse, per astralem impressio-
nem elementarèmq; operationem. Elementa reperiuntur in
metallis, & non metalla in elementis; nam semen metallorum
non adeò longè remotum est, ut quidam scioli sibi imaginati sunt:
Et quamvis elementa, in formatione cujuslibet corporis, coope-
rari debeant, attamen philosophica materia prima non sunt, sive
astrale illud semen; sunt autem generationis & corruptionis caus-
sa, & corruptio unius alterius est generatio.

3. Opinantur philosophi veteres, rem omnem ex odio seu a-
more fuisse creatam, id est, ex sympathia & antipathia, tanquam
ex duabus sibi invicem contrariantibus elementorum qualitati-
bus, quæ hanc operationem, per coelestem influentiam specia-
lèmq; astralem impressionem, expediunt &c. Jam sunt in metal-
lis elementa inque mineralibus incorporata, & ideo habent eà-
dem quoque illorum qualitates. Qualitates contrariæ tantum-
modo sunt duæ, per quas, quidquid est, generatur & nascitur; Ig-
nis calidus est & siccus, contrarium ejus est frigidum humidum
elementum aqua; Aër humidus est & calidus, contrarium ejus
est siccum frigida terra. Et cum extra quatuor illa elementa cor-
pus nullum sit reperibile, sintque in rebus omnibus elementa in-
corporata, hinc contrarietas quædam exurgit in quovis elemen-
de.

tato. Ex his rationibus sunt omnia, sub globo lunæ, peritura & destructibilia. Quia dum duo sibi contraria in uno subjecto persistunt, contingit incessabilis lucta, donec tandem pars una ab externo suo elemento opem accipiat, tunc namque pars opposita protinus debet recedere, & fortiori victoriam cedere, inde oritur corruptio quædam, seu totius substantiæ segregatio, adeo ut forma nova præ oculis jaceat, quæ per corruptionem generata est.

4. Metallorum elementa eorum *tres* primordiales sunt matrices, Mercurius, Sulphur & Sal: hæc sunt velut contraria in continua pugna atque inimicitia; quia Mercurius, tanquam spiritus aërius, hostilitatem adversus salem gerit, qui terram repræsentat; & calidum Sulphur, seu ignis, aquæ hostis est, nempe humiditati mercurii contrarium est: nam hic metallorum est aqua, duoque repræsentat elementa, ut aërem & aquam; Hæ præfatæ *tres* matrices, seu metallica elementa, suum habent nutrimentum à nostris materialibus, visibilibus comprehensibilibusque elementis; luctantur mortali suâ in domo, usque ad præfixum tempus, donec elementum unum, per externum subsidium, alteri *nimis* forte evadat & illud supprimat, cum nullum ipsi à sui simili fiat auxilium; Et quemadmodum homo, dum elementum unum in illo dominatur, in gravem infirmitatem incidit, & primò ejus pingvedo tanquam sulphur, postea etiam caro illius sanguisque deficit & mori cogitur, ni ipsi ad patiens sive prædominans elementum debitam restorationem faciamus, & congruam quandam harmoniam denovò erigamus; idcirco medicum scire necessario oportet, quod principium sive elementum in patiente agat, & quod sufferat; Sicuti nunc in microcosmo contingit, sic quoque in metallis & mineralibus evenit, quæ per fortificationem unius alteriusve elementi contrarium elementum supprimunt & suffocant, ut hinc corruptio & separatio sequi debeat.

§. Qui

5. Qui ex hac corruptione metallicum scit sulphur velut eorum animam seu ignem, per philosophicum illum *Magicum* ignem, capere, iste mundi hujus gloriam expugnavit; Ignis hic est *duplex*, & unicè attendes, quòd, Quemadmodum duo illa elementa duos suos habent hostes, qui totius corruptionis sunt caussa; Eodem etiam modo sapientes duo elementa, seu potius receptacula elementorum, habeant, per quæ ii unum, aut alterum elementum augmentant, fortificant, ac sic aliud opprimunt.

6. Percepisti ex præcedenti meo Tractatu, uti Philosophos, in resolutione omnium metallorum, duobus contrariis elementis, quæ tunc duos ignes baptizavi, nempe sympathicum flagrantem Hermaphroditicum ignem, & frigidum metallicum ignem. Elementum igneum, seu metallorum anima, est sulphur illorum. Frigidus ille ignis est Mercurius, qui metallorum aqua dicitur, & per salem reducitur.

7. Ulteriùs recordare, omnia per illud esse destruenda, ex quo prodierunt, & in quod reditura sunt, nempe mercurium, sulphur & salem. Sulphur metallorum suum proprium habet sulphur, per quod fortificari & incendi debet, ut dominium retinere possit, quod citiùs fieri nequit, nisi cedat aqua igni, videlicet aqueus Mercurius suo igneo Sulphuri.

8. Vulgare sulphur & nitrum sunt ambo efficaces ignes, verùm infestissimi inimici; si scis hos reconciliare, ac tum metallicum sulphur per illorum igneum spiritum incendere, tunc tibi nemo, nisi Deus, officere poterit, ad sanitatem divitiâsque obtinendum: Hoc est illud, quod mihi solum adhuc residuum reservaveram, tendit nihilominus jam in bonum illorum, qui ad hoc electi & benefacere intentionati sunt.

9. Possumus præterea, per multiplicationem salis, metalla bene destruere, per mineralem & tartarium salem, ut suprâ latius demonstravi; at non conducit ad obtinendum metallicum sulphur,

Z z

quod

quod anima est omnium metallorum; Idcirco oportet ipsum ante omnia, maximâ cautelâ, per sui simile capi, nempe per illum ex contrariis constructum ignem conflantem, quæ sulphur & nitrum dicuntur, ac nonnunquam sub uno nomine comprehenduntur.

10. Ut verò etiam notitiam habere possis frigidi illius metallici ignis, scito, eum nil aliud esse quàm Mercurium Saturni, qui se cum metallis amalgamat, & ope jam prædicti ignei *duplisis* elementi in igne se patitur calcinari.

11. Modò perspicuam, imò omnibus numeris dilucidissimam à me suscepisti doctrinam, quomodo nimirum omnia metalla, per astralem quandam fideream imaginationem elementarémque operationem, ex sulphure sint & mercurio prognata; Quòd præterea metalla per elementa debeant nutriri, vivere, atque iterum mori, hoc est, in primum suum esse redigi; Cæterum metalla elementis non posse carere. Philosophos similiter duntaxat elementa venerari, quorum utrumque inimicum habet. Hæc duo elementa sunt ignis & aqua, nempe mercurius & sulphur. Ex his duobus, mediante sale, unumquodque in elementatum abiit, oportet idcirco per sulphur quoque & mercurium iterum destrui, inque sulphur &c redigi. Hæc jam sunt elementa *Magica*, quæ omnia corrumpunt, & novum exortum manifestant, Hæc inquam est sicca *prima* solutio, de qua prolixius in principio tractavi.

12. *Altera* humida solutio fit per Mercurium Saturni, quem animam mundi vocavi; quoniam ut Saturnus in cœlo primus est planeta, patérque omnium planetarum dicitur, ita est quoque terrestris Saturnus primus, & adepta sunt omnia metalla originem suam ab ipso, invenitur præterea apud omnia, dehinc haud immeritò spiritum ejus *Spiritum* mundi intitulavi.

13. Antè verò quàm de hac solutione secundâ longius differam, debeo te adhuc semel ex fideli corde informare, Philosophos scilicet nedum duo elementa *Magica*, Mercurios duos & Sa-

Sa-

Saturnus duos, verum etiam duo duntaxat habere metalla. Et quantum ad duos illos mercurios, proposui cum omni veritate, sine dolo & nodo, breviter me instructurum, qualiter te in similibus occasionibus habere debeas. Scias itaque, quod, quando philosophi loquuntur de Mercurio suo, minimè tu per illum intelliges mercurium vulgi, quia illorum mercurius est metallicus, nempe metallorum mercurius, est calidus & siccus, humidus & frigidus: Mercurius verò vulgaris calidus est in toto suo esse, ideo nequit iste pro mercurio philosophorum haberi nec sumi.

14. Mercurius vulgaris semen argenti apud se gestat, alter autem mercurius sulphur solis in metallica forma & proprietate à Creatore cœli & terræ obtinuit; Est solaris magnes, quemadmodum mercurius communis potest dici lunaris magnes; & hoc ita esse designat mercurius suâ femilunâ, quicum illum Sapientes insignierunt, & à vero solari discriminârunt ac se junxere. Hos duos mercurios dignoscimus ex fumo, qui est illorum sulphur: Oportet autem etiam animadvertere, quàm volatiles, fixi, seu fugitivi ii sint, ut citò, sive ut tardè ei se sublimari & præcipitari patiantur: Hæc ipsa *viva est via* utrosque illos mercurios dignoscendi.

15. Et scias ulterius; Quemadmodum natura duos generavit mercurios, nempe lunarem & solarem, Eodem pariter modo per artem, ex duobus illis fixis corporibus, similem mercurium posse præparari: imò quod plus est, potest quoque ex mediis metallis, ut antimonio, bismutho sive arsenico, vivus mercurius fieri, qui unice ad medicinam conducunt; Hi sunt nihilominus, salvâ suâ excellenti medicinâ, pro mercurio philosophorum neutiquam censendi nec proclamandi, cum ille mercurius sit menstruum universale, & bis de mercurio sit natus, supple *primò* de lunari, *postea* solari, hunc mercurium jurè licet *duplicem* Mercurium nominare.

16. Lunaris mercurius potest leviori quoque operâ ex Saturnino corpore educi & distillari, habet æquè naturam & proprietatem, sicut ipsemet mercurius lunæ; nam per Saturnum luna ge-

nerata est. Et sicuti jam ex Saturno lunarem mercurium est conficere, ita similiter de minera Veneris calidum solarem mercurium est extrahere per tartarum ac salem ammoniacum, quæ, licet summam inimicitiam adinvicem gerant, nihilominus hoc negotium promovere debent. Qui novit Mercurium frigidi Saturni & Mercurium calidæ Veneris in oleum redigere, is habet menstruum Universale, firmamque clavem adeptus est, quâ omnia sulphura in potabilitatem adigi possunt. Sed ad rem,

17. Scias porro, quod, ex allegatis rationibus, philosophi non inconvenienter duos habeant Saturnos; quia sub jam præfato duplici mercuriali spiritu intelligunt ii duos illos Saturnos, ex quibus uterque ille mercurius, & postea eorum spiritus extractus & distillatus est. Multi plumbum aurum & aurum plumbum vocârunt, hoc est, Sapientum plumbum, & est quoque in hunc usque diem mundo incognitum. Alterum plumbum est similiter quidem Sapientum plumbum, atverò ab omnibus [non] habetur tale; est argentopulentum &c. Cum econtrâ aurulentum illud plumbum rarò apud metalla deprehendatur: In officinis sub improprio nomine distrahitur minimique fit, colore ejus albo altisflavoque nihil obstante; Grave est in pondere, spirituale ac corporale, arsenico comparabile conferendumque, quia illud ex ipso fratribusque ejus progenitum est, sunt in hoc sibi mutuò in linea collateralis affinia; Ut arsenicum arsenico est amicabile, sic & res se habet cum hoc occulto Sapientum antiquorum plumbo, qui cum & ipsi duobus tantum, ad Magnum Magisterium, utantur metallis, his ego similiter sistam, & pro parte amborum illorum metallorum Sapientum Antiquorum, meam experientiam ad lucem protraham.

18. Dicunt philosophi, primum & ultimum metallum tantummodo pro uno metallo esse reputandum, nempe pro uno metallo, quod ad artem & promotionem Universalis medicinæ usurpandum sit. *Primum* metallum est ipsum sperma metallorum, quia ex illo est propagativum metallicum semen & sulphur visibiliter in lucem evocabile: Hujusmodi metallum reperimus in minera Saturni,

ni , Radix est metallorum perfectorum juxta ac imperfectorum , Singulari quodam Saturnino spiritu præditum est , Apparet ut minera mercurii , Vocatur sapientum Plumbum , philosophûmque Azoth , de quo lac virginis distillare solemus , habetque Veneream proprietatem . *Ultimum* autem metallum ideò vocatur ultimum , quia ad maturam perfectionem & finem devênit ; finis autem metallorum est esse aurum , ultra illud natura non operatur in metallis , sed debet desistere & cessare , usque dum dominatrix sibi ars in succursum veniat ; Hæc parvo temporis spatio (quanquam haud sine naturæ ope) eatenus progreditur , quatenus ex solari compacto corpore translucidum quoddam diaphanum corpusculum exurgat , quam philosophi vitrificationem vocant . Hoc jam est nobilissimum , quod natura & ars perficere ac operari possunt ; Qualiter verò hæc vitrificatio facienda aut instituenda sit , non possum debirè hîc describere ; nam consurgeret , præter intentum meum , ingens volumen de hoc meo compendio ; Veruntamen ne videar hoc pro me solo velle retinere , & id ipsum , ut quàm plurimi Sapientes veteres fecerunt , mecum portare in sepulchrum , adedum .

19. Recipe hoc igneum elementum *Magicum* , quod ex duabus infernalibus contrariantibus materiis , ut ex sulphure & nitro , compositum est . Cum hoc infernali absumptivo igne incipe in fine naturæ , id est , oppugna & calcina illas aliàs inexuperabiles portas solaris munitii , nempe auri , sic incendit unus ignis alium , videlicet unum sulphur aliud : & dum hoc fit , dominatur elementum ignis , quod secundum est principium in corpore solari , quia ignis , qui in auro est , vocatur sulphur & anima ; Ubi nunc ignis vincit , ibi debet elementum aqueum , nempe humidus fugitivus mercurius , ad suum astrum volare ; Et cùm mercurialis spiritus animæ sit domicilium , vinculûmque vocitetur , qui corpus cum anima copulet , sequitur inde prima separatio , & animæ ac corporis dissolutio . Debet verò ad hoc alter ille frigidus metallicus ignis quoque usurpari , quem de minerali quodam necdum fuso Sa-

turno extrahi oportet, & qui etiam mercurius Saturni nuncupatur; Hic Saturnalis Mercurius, qui ex immalleabili illo & non fuso plumbo factus, non ardet [*forte melius legeris, currit*] ut communis mercurius, sed habet in se terrestrem siccam qualitatem, hinc potest ille sulphur solis defendere & præservare, ne comburatur & suo cum mercurio avolet.

20. Quando aurum cum mercurio Saturni amalgamatum est, tunc aurum efficitur porosum, potestque infernalis ignis solidum illud corpus multò citius & melius calcinare, & solarem ignem ab omnibus partibus accendere, inque cineres redigere, ex hoc deducimus clarum cum coelico rore sulphur, & ex remanente corpore elixiviamus, post debitam reverberationem, superpretiosissimum illum medicinale Salem, de quo Sapientes dixerunt, *Sal metallorum Lapis est Philosophorum*: Deinde alius philosophus ait, *Ni Deus creasset salem, Lapis philosophorum fieri non posset*; Hic sal autem, ut decet, cum spiritu vini clarificari debet, & hoc facto, cum sulphure suo unitur, & cum spiritu mundi, id est, illo cum spiritu, qui ex mercurio Saturni distillatus est, imbibitur, in uno unico vitro atque fornace putrificatur & figitur; Sic est magnum Opus usque in fermentationem ac augmentationem perfectum, estque universalis medicina in omnibus infirmitatibus: Qui ea fruitur, renovationem spiritus sui consequitur, omniumque suarum defectarum virium robur; Et qui scire gliscit, quomodo & quando hanc medicinam applicabit, hunc ego, ad diutius me non retinendum, ad philosophorum libros ablegabo, & in meo proposito persistam.

21. Mirabitur indubiè summoperè *benevolus lector* perspicuam meam radicalem instructionem, quam in repetitione feci, præcipuè quantum ad frigidum illum Mercurium Saturni, & infernale illud *Magicum* elementum igneum, citra quæ in tota Chymica scientia nihil utile est expedire; eidem verò in responsum esto, quòd, licet expertis scientibusque rem nimis clarè, etiam expressius,

fius, quàm ullus unquam philosophus scripsit, in medium pro-
duxerim, attamen sit adhuc exiguum quid, quod sibi occultum te-
nui, videlicet qualiter ex non fuso quodam immalleabili minerali
Saturno adeò sublimis, rarus & præclarus, Mercurius extrahendus,
& quomodo is præterea in rubicundum spiritum sit adigendus: id
quod potest duntaxat per unam unicam viam & medium fieri,
de quo quidem superius lucem accendi, at spero, cui Deus idip-
sum non favet, is etiam non apprehendet nec animadvertere po-
terit.

22. Secundò non solùm mihi etiam adaptationem frigidi me-
tallici ignis ex parte reservavi, verùm & præparationem igneæ
Magiæ clavis, quæ, ut percepisti sæpius, ex duobus contrariis re-
pugnantibus ignibus præparatur, nempe ex sulphure & nitro,
quæ, tametsi quidem ambo infernales sibi que mutuò adverfa-
rantes ignes dici possint, nihilominus quantum ad hoc unum
fieri debent & utraque unum præstare effectum; Quomodo au-
tem hæc unitio fiat, propterea invoca Deum, pro illuminatione
animi tui, ego luculenter partibus meis functus sum, & plusquam
satis in hoc libello revelavi; Ratio est charitas proximi mei,
quem lubenter vellem exiguâ meâ experienciâ animare, inque
rectam viam reducere: Nam quid prodest mihi sapientia meâ?
ecquid sepultum terræ talentum? profectò nihil; Considera-
tione hujus esuscitatus sum ad istiusmodi perspicuam veritatis
promulgationem, speciatim ubi expendissẽ,

Scire tuum nihil est, nisi, te scire hoc, sciat alter.

Secundò est quoque dignum & justum, ut omne, quod bonum,
commune sit, videlicet sis, qui se cum philosophis devinxerunt
& devoverunt ac intra illorum sunt numerum; Cæteris verò,
qui extra sunt, fiunt omnia per similitudinem, ut audiant & non
intelligant; videant & non apprehendant; nullas gemmas inter
porcos spargemus, quia illi tamen eas inquinant nihilque fa-
ciunt istas &c.

23. Unum quod tibi magnam posset creare intricacionem ra-
tione

tione utriusque illius Saturni sive Mercurii hîc non præteribo; idcirco unice doctrinæ meæ præbe aures tuas. Audivisti superius, quòd ex Luna, & similiter ex frigido illo Arietino Saturno Mercurius quidam possit fieri, & quòd hic ad sapientum Opus specialiter inserviat; *Deinde*, quòd ex minera Veneris etiam Solarem quendam Mercurium sit efficere, qui solari sulphure condotatus est, unde & ipsum ibidem Mercurium Solis baptizavi, quandoquidem is ad generationem Solis sit usurpandus: *Tertio*, quòd ego, hoc non obstante, Mercurio Saturni jam penes destructionem auri fuerim usus; itaque ad hoc dubium dico, etiam Mercurium rubrum in Lunari alba tinctura, ingenti & meliori cum commodo, posse usurpari. Et quemadmodum non valemus ab uno extremo sine medio ad aliud tendere, haud aliter quoque possumus ad nullam rubram tincturam devenire, nisi habitâ prius albâ; sic potest *benevolus lector* scrupulum suum jam ipse resolvere, & recolere, quòd hîc non de Universalis Generalissimo, at duntaxat de simplici Universalis scripserim.

24. Universale Generalissimum ex *duplici* Mercurio, ut suprà narravi, producitur, & cum solari sulphure animatur atque fermentatur, & cum perdurante auri sale figitur, nec non ulterius in infinitum per duo alia sulphura augmentatur, tam in quantitate quàm qualitate; Qualitas ceu vita per sulphur cibatur, quantitas augmentatur per jam dictum Mercurium, qui non modò indolem & facultatem proprietatis Veneræ, sed & naturam mineralis frigidi Saturni secum gestat; idcirco *duplici* Mercurio assimilatur, *duplatusque* Mercurius dicitur, cui omnes qualitates appropriantur; nam habet qualitatem Veneris ratione calidi sulphuris: frigiditatem autem ex parte Saturni. *Candidus æmulusque artis Amator* omne quæso dubium missum faciat, ac meæ experientiæ in veritate fidem adhibeat. Feceris quodcunque volueris, sic nullius me mendacii insimulare poteris, quia ego hoc non ex aliis libris commendicavi, ad mihi aliquo modo famosius nomen comparandum; ast per manuum mearum laborem periclitatus

tatus sum, & postmodum intellexi, quod scire debuisssem antè.

25. *Syncero* verò *technophilo* contingit fundamentalis mysterii Sapientum explanatio, quod superius quidem descripsi, nunc autem, in hoc spicilegii sicilimento, quàm succinctissimè complexus fui, quatenus repetitionem hancce legendo frequentares ac tam diu reiterares, donec omnia internè externè edoctus sis; Et cùm non ignorem, hanc meam *Commentationem* non posse impugnari, sic partim ex metu, partim item ex odio & invidiâ, in omnibus locis coëmetur, ita ut paucis ad manus sit perventura, ego autem meum indè colligam & sciam, quid fecerim, & quid adhuc imposterum sim facturus.

26. Interim his meam repetitionem, ratione duorum *Magicorum* elementorum, *Menstrui* sive *Mercurii duplicati*, finitam esse volo, & de medicina, quæ in mineralium monarchiâ consistit, tractando abstinere: Suscipe pròinde has gratiore animo sudoris mei primitias cum *Magicis* elementis, cum *Menstruo* *Medicinæque* *Universali*, cum *Materiâ Primâ*, per quam quodlibet in *tria* sua principia metallum potest reduci, verumque aurum Potabile debet fieri. *Materia prima* expressis tibi verbis, quemadmodum & utraque elementa sive ignea clavis, usque dilucidè, imò perspicuè, adumbrata & ad oculum demonstrata est, ut clariùs, opinor, non desiderabis.

27. *Æternus*, misericors, poli solique Conditor, primus & novissimus, qui tenet clavem Olympi & Orci, animos ac ingenia dignorum humilium illuminare dignetur, & captum voluntatèque impiorum, superborum, avarorum, ita occludere atque obthurare, ne quid ex hac mea fidei candidaque intentione provenire possit mali, sed omne bonum illâ debeat exoriri, ab honore laudèque Sancti nominis ejus, proximi emolumento, propriarumque animarum nostrarum salute & beatitudine Amen.

M E M O R I A L E

Ad

L E C T O R E M.

1. **L** Ector benevole, quandoquidem in præcedentibus meis unam atque alteram obligationem fecerim, quæ benigno Lectori in rem & utilitatem cedere posset, prætereaque verum Aurum Potabile irreducibile aptari & perfici permittere spondederim, ita ut ii, qui hoc tanquam Universali Medicina indigent, inquirere & habere valerent: Et ego quoque, ex singularibus ponderosisque motivis, ad certum quendam locum, residentiam meam fringere sim intentionatus, Interea autem, ut obligationem meam promissaque ex verbo servem illasa, candidum Lectorem jure deberem, ubi exquirendus, informare; quia defectu illius obligatio & promissa obsolescunt, & faciem merae jactationis præseferunt; prout æquus Lector sciat, quod, licet Colonia Agrippinae, ubi longo satis tempore moratus, non ero reperibilis, attamen ibidem de mea præsentia, apud Iacobum januum (cujus nomen in tabellarii tablino, vulgò Postæ Comptoria, & aliàs multis quoque technophilis, diversis in locis, notissimum est) poterit habere instructionem; Ratio autem, quare ignotus esse velim, est, quod quieti me tradere constituerim; interim Coloniae, apud prædictum Iacobum, Aurum Poculentum poterit haberi, quod de veri Leonis sanguine confectum est.

2. Nam dum Rex in sua est reductus principia, sulphurque
sive

sive anima Solis in promptu, debet per familiarem illum Philosophicum Spiritum ea amicabilem absque strepitu seu adustione in oleum resolvi &c. Hinc mediante spiritu vini Aurum Potabile, alias verò & sine illo per Vulcanum fit tinctura, tunc autem Sal auri adesse debet, quod facile ex mortuo quodam corpore, à quo anima emigravit, potest obtineri; ita ut præter principia adhuc quartum aliquod videre sit, quod ego terrestre maledictum materiâque peccantem, sive receptaculum mali proprii & boni alieni baptizo. Ubique nunc, ope hujusmodi separationis, ex sulphure Solari, per Universale Menstruum, tinctura extrahitur, ibi in omnem æternitatem nulla reductio in priorem formam est speranda nec efficienda: Quia malleabile metallicum corpus debet à Sale suo habere indurationem & malleabilitatem suam, hîc autem tantummodo est mera anima & spiritus Hermetis &c. Ergo nostra solutio, si de aurum potabile nostrum verum & irreducibile dici debet, quod hîc in rei veritate edoceo. Eapropter candidus mihi Lector fidem faciat, nihilque dubitet, quin tinctura quædam per hoc adipisci possit.

3. Redde autem glorificatæ illi igneæ animæ proprium suum clarificatum corpus ac Sal, & reduc animatum hunc spiritum per salem in coagulationem, sic spirituale efficitur corporale &c. Tu verò videbis, quid tibi Altissimus daturus sit, si longanimitate & providentiâ tempus expectes, cui soli honorem attribues, quia ego plus non sum, quàm vox quædam clamitans in deserto, quæ tibi lucem Sapientiæ, Opulentiæ, Sanitatisque consequendæ proclamât; Jam autem est illud Alpha & O mega, prora & puppis omnium rerum.

4. *O principium sine principio, & finis sine fine, omnibus obsecro
iis, qui à te Sapientiae hujus exordium impetrant, ad tuum hono-
rem salutemque animarum suarum, felicem effectum donato, ut ei-
dem, qui suum à te Alpha principium habent, apud te quoque
inposterum Omega, finem sine fine, interminabili bonitate tuâ, in
omnem aeternitatem, fruisce, teque amare, honorare, & grates tibi
exolvere possint immortales. Amen. Hoc peroro clamore, amo-
re, more, ore, re.*

F I N I S.

angLos DUM batavi præstarent æquore bello.

&

DUM batavos angli præstarent æquore bello &c.

Operis

Operis orthodoxia.

Quantum quidem usque adhuc scitur.

Errata grandia, seu gravia, non insunt; minutula tamen (transpositione scilicet, aut immutatione, literæ alicujus) eaque valdè pauca irrepperunt: Legendum itaque

Pag. 7. lin. 18. Mecænati cum æ diphthongo, in medio, pro *Macenati*.

P. 12. vers. 4. Nuntius, pro *Muntius*, per M; errore typographi: itémque ibidem, dicitur, pro *diciter*.

P. 27. vers. 3. Hesperios, pro *Hesperidos*, sed in aliquibus tantùm exemplaribus.

p. 55. lineâ antepenultimâ, fillos, loco *sales*, propter carmen.

Item ibidem, lineâ penultimâ; Paræmiographo, cum æ diphthongo, pro *Paramiographo*, per æ diphthongum.

p. 66. l. 11. audite, pro *audire*, quia sic connexior erit sensus.

p. 80. vers. 2. nunc, pro *nunc*, per tria n.

p. 82. vers. 11. defluxit, pro *distabit* (propter syllabæ quantitatem, sensûsque melioritatem) idque in paucioribus exemplaribus.

p. 116. l. 25. mundum, pro *mundum*, per unum u.

p. 125. l. 10. conopeis, sine æ diphthongo, pro *conopæis*, cum eadem; in exemplaribus quoque valdè paucis.

p. 128. l. 18. prudentiâ, pro *prudemi*, incuriâ typographi, quamvis in paucissimis exemplaribus.

p. 157. l. 21. Sibyllæ, pro *Sibulla*, at in pluribus exemplaribus.

p. 216. l. 25. catenâ, pro *catenâ*, per aspirationem.

p. 281. vers. 2. sive l. 8. Qui, pro *Qui*?, cum notula & ziphera?; sed in quibusdam tantùm exemplaribus; error typographi.

p. 291. l. 5. itineris sui, pro *sui*: vitium ferè maximum, quod scio inesse.

p. 63. lege tato, pro *de*, syllaba ultima seu cauda indicativa; incuriâ & errore typographi.

p. demùm 67. l. 1. Saturnos duos, pro *Saturnus duos*; erratum sanè maximum, quod inest. &c.



